LOGICÆ

LIBRI QVINQVE:

De Prædicabilibus.

De Prædicamentis.

De Syllogiſmo.

De Syllogiſmo Demonſtratiuo.

De Syllogiſmo Probabili.

Authore Ri: Crakanthorp.

LONDINI,
Ex officina IOHANNIS LEGATI, impenſis
Iohannis Teage: Et venales extant in cœmiterio
D. *Pauli* ad inſigne Pilæ.
MDC. XXII.

A.
4to C.B.

VIRO CLARISSIMO, MIHIQVE CHARISSIMO, Magiſtro RICHARDO LEVESONO.

NON es neſcius, vir clariſsime, *Tractatus aliquot in omnem Logicæ partem, à me juvene conſcriptos fuiſſe. Eos vt in lucem ederem, flagitarunt a me ſæpiſſime multi: Inter omneſto primum habeo: Tu hoc ardenter ſitiebas, cum* Oxonix *in* Collegio noſtro Reginenſi, *illis ſtudijs alijſque optimis diſciplinis, non ſine magno fructu, operam dares. Ceſſi tandem tam multorum poſtulatis, & Tractatus illos, ante complures annos, a me relectos, auctos, & in quinque libros digeſtos, iamque editos, velut pignus amoris atque officij erga te mei, tuo nomini dicaui. Merito etenim tibi a me debentur. Ego a prima pene iuuentute tot tamque magnis officiorum generibus, tuis parentibus fratrique tuo, viris honoratiſſimis, me obſtrictum, ſic aperte atque ingenue vbique profitecr, vt illud, niſi qui me neſcit, neſciat nemo. Sed & Collegio noſtro commune hoc officium. Nam quod tu opinor per ætatem neſcis, de fundis ac fortunis omnibus olim valde pertclitabamur.*

clitabamur. Erant qui illustris illius Collegij ruina ita auide inhiabant, vt non spe solum, eaque (vt illi rebantur) certissima, sed propemodum, ipsave, Roberti Egleffeldi, pientissimi fundatoris nostri bona omnia, bona ecclesiæ, ipsique Deo dicata, deuorassent. Notum satis, cui illa omnia, vt fisco debita (& certe debebant ir,) ex Principis donatione, in prædam cesserant. Nec quidquam ei tum in mora, nisi Iudicis sententia. In illis angustijs, M. Henr. Robinsonus, postea Carliolensis episcopus, tum Collegio præfuit; vir probitate ac prudentia singulari. Inter alios felicis memoriæ viros, duorum ille opem atque operam magnopere imploranit, eademque felicissime vsus est. Eorum vnus nunquam mihi sine honore nominandus, fuit dignissimus Pater tuus, Collegij olim nostri alumnus, Cui & ille Tutor, qui iam tutelam ab eo postulabat. Alter patris tui Leuir, mihi nunc ex Coniugio Auunculus charissimus, M. Rob. Honiwoodus, vir omnino qualis pater tuus, pietate ac prudentia spectabilis: primogenitus ex trecentis sexaginta, & plus eo, liberis, quos ipsius pijssima mater, licet vnico viro nupta, ex se, dum in vinis esset, prognatos ac propagatos numerare, atque censicere potuit. Vterque eorum summa gratia apud D. Rogerum Manwoodum, Capitalem Scaccharij Baronem, & tum in ea causa Iudicem (Socer ille vtriusque fuit) polebat. Tam fidam igitur illi, tam piam ac fœlicem operam apud eum assidue impendebant, vt malacrit is grauem Serenissimæ Reginæ offensam iramque subire, quàm præstitissent sententia, æternum tam nobili Collegio exitium afferre. Sententiâ igitur diu comperendinata, & Principis mente sensim in mitiorem ac longe beatiorem partem inflexa, factum tandem est, vt & Serenissima Regina diploma suum reuocaret: & Parliamento non diu post euocato, Collegio patrimonium suum sic firmatum est, vt Collegium illud quod aliàs nullum nunc habuissemus, non saltes modo atque incolume, sed flo-

rens

rem ac beatum exinde perſtiterit. Si hoc ego literariolum (luniuſculam ſit licet) munus, tam benefici parentis filio, amoris ſimul atque officij ergo, etiam & ipſius Collegij vice atque nomine dicauero, nemo (ſat ſcio) iure, & omnino nemo, niſi qui Ingratus, id eſt, omnium peſſimus, audire vult, reprehendat. Sed & alia mihi adhuc cauſa, eaque ſuprema, ab auo tuo materno D. Gualtero Mildmeio, honoratiſsimo viro, pietate, ac prudentia nulli ſua etate ſecundo. Certe enim Mildmei nomen vt nardus & vnguentum ſuauiſſimum vbique in Eccleſia Dei diffuſum; imò & in orbe vniuerſo: literario præſertim; in quo, tot ſunt tamquæ illuſtria pijſſimi illius animi monumenta, vt Muſis omnibus exoſum eſſe oporteat, cui non illius mentio honorifica. Beatam dicent illius memoriam boni omnes, Academici, Emanuelenſes inprimis: qui (ſcio) mihi ab Oxonia oleaſtro non ſuccenſebunt, quòd in ſui Fundatoris laudes tam auide ac libenter prorumpam, tamque profuſus ſim. Publicum ille Bonum fuit, publicum & hoc officium. Quin & ipſe ſumma cum humanitate, in florentiſſimam illorum Academiam velut Oleam inſitus, & particeps pinguedinis illius factus, vere Oleaſter ſim & dicar, ſi parcus in vllius encomijs, qui vtriuis Olea bene eſſe vult ac beate. Mildmeius modò quis ſit, Tros, Tyriuſue ſuat, nullo diſcrimine habebo. Et volui ſane, vir clariſſime hæc tam illuſtria Patris, Auique tui, exemplaria, tibi ante oculos ponere. Virtus tibi adhuc fere in herba eſt; Segetem & vberem meſſem expectant omnes. Hæc verò ſtimuli tibi ad virtutem, & calcaria eſſe debent. Premito pede fausto ac ſtabili illorum veſtigia: eandem cum illis pietatis, prudentiæ, [illegible] probitatis, omniſque virtutis ſemitam ſeriò atque conſtanter calcato (ſit te facturum confidimus omnes:) eris Patriæ, Reipublicæ, Eccleſiæ, non ornamento ſolum ſed præſidio: & quod caput eſt, Hac itur ad aſtra. Macte igitur & animo & virtute ſis, & Pater Æneas,

& avunculus excitet Hector. *Te nunc ad extremum rogo, vt hoc qualecunque sit, quod tibi dicam, benigne ab eo accipias, qui est, eritque,*

Dignitatis tuæ

Studiosissimus,

RI: CRAKANTHORPVS.

Ex tua inter Trinobantes
Nodea nigra. Kalend.
Augusti. 1622.

Index Capitum.

LIBER I.

De Prædicabilibus.

Præfatio in Logicam.

Cap. 1. De Vniuersali in genere.
2. De Numero Vniuersalium.
3. De Genere.
4. De Specie.
5. De Differentia.
6. De Proprio.
7. De Accidente.
8. De Definitione & Diuisione.

LIBER II.

De Prædicamentis.

Præfatio, vbi agitur de subiecto, & ordine huius libri.

Cap. 1. De Æquiuocis.
2. De Vniuocis.
3. De Denominatiuis.
4. De Prima Diuisione anteprædicamentali.
5. De Secunda Diuisione anteprædicamentali.
6. De prima Regula anteprædicamentali.
7. De secunda Regula anteprædicamentali.
8. Quid sit Prædicamentum, & quot modis aliquid sit in Prædicamento.
9. De

9. De Numero Prædicamentorum.
10. De Substantia.
11. De Quantitate.
12. De Relatione.
13. De Qualitate.
14. De Actione.
15. De Passione.
16. De Vbi.
17. De Quando.
18. De Situ.
19. De Habitu.
20. De Oppositis.
21. De Modis Prioris.
22. De Modis simul.
23. De Motu.
24. De Modis Habendi.

Liber III.

De Syllogismo.

Præfatio, vbi agitur de Subiecto Logico, & quo ordine Tractari debeat.
Cap. 1. De voce in genere, & voce non Significatiua, & Significatiua tam Naturaliter, quàm ad Placitum.
2. De voce Simplici, eiusque speciebus, Nomine, verbo, & voce Syncategorematica.
3. De Oratione in genere, eiusque speciebus.
4. De Propositione in genere.
5. De Propositione Categorica, quid sit.
6. De Qualitate Propositionis Categoricæ.
7. De Quantitate Propositionis Categoricæ.
8. De

8. De Oppositione Propositionum Categoricarum.
9. De Æquipollentia Propositionũ Categoricarũ.
10. De Cõuersione Propositionum Categoricarũ.
11. De Modali Categorica Propositione.
12. De Propositione Hypothetica.
13. De Argumentatione in genere.
14. De Syllogismo : & Syllogismo Categorico.
15. De Syllogismo Categorico Communi.
16. De Reductione Syllogismorum Categoricorum Communium.
17. De Syllogismo Singulari seu Expositorio.
18. De Syllogismo Hypothetico.
19. Enthymemate.
20. De Inductione.
21. De Exemplo.
22. De Sorite.

LIB. IIII.

De Syllogismo Demonstratiuo.

Cap. 1. De Syllogismo Demonstratiuo in genere quid sit, & de triplici Necessitatis Gradu. De Omni, Per se, & Quatenus ipsum.
2. De Demonstratione a Causa.
3. De prima specie Demonstrationis a Causa, quæ est a Causa efficiente per Emanationem.
4. De secunda specie Demonstrationis a Causa, que est ab efficiente per externam actionem.
5. De tertia specie Demonstrationis a Causa, quæ est a Causa Finali.
6. Quòd neque Formalis, neque materialis Causa sit vnquam Medium in Demonstratione a Causa.
7. De Demonstratione ab Effectu.

Index Capitum.

LIB. V.

De Syllogismo Probabili.

Cap. 1. De Syllogismo Probabili in genere, & quid sit Probabile.

2. De Locis arguendi, & Quomodo sciatur a quo Loco Argumentum vllum ducitur.

3. De numero Locorum a quibus argumentum probabile ducitur.

4. De Argumentatione a Causa: déque primo Loco arguendi, qui est a Causa Efficiente.

5. De secúdo Loco arguendi, qui est a Causa finali.

6. De 3. Loco arguendi qui est a Causa materiali ad quem spectant argumenta omnia a genere ad speciem, itemq; a specie ad indiuidua ducta.

7. De quarto Loco arguendi qui est a Causa formali, & ad hunc spectant argumenta a Definitione seu descriptione, itēq; a Differentia ducta.

8. De quinto Loco arguēdi qui est ab Effectu: huc spectāt argumenta a definito ad definitionē, a specie ad genus, ab indiuiduis ad speciē ducta.

9. De sexo arguendi Loco qui est a Subiecto.

10. De septimo arguendi Loco qui est ab Adiuncto seu Accidente.

11. De 8. Loco arguendi qui est a Dissentaneis.

12. De 9. arguendi Loco qui est a Comparatis paribus.

13. De 10. arguendi Loco qui est a Comparatis imparibus tam maioribus quam minoribus.

14. De 11. arguendi Loco qui est a Distributione.

15. De 12. arguendi Loco qui est a Signo.

16. De decimo tertio arguendi Loco, qui est a Testimonio seu Authoritate.

Appendix de Syllogismo sophistico.

Epilogus totius operis.

Eue-

Euenit, Candide Lector, absentiâ meâ & Typographi incuriâ, vt complura errata quæ sensum meum immutant, irrepserint; ea tu, pro tuo candore ante omnia corrige.

Errata in Lib. 1. & 2.

PAg. 1. lin. 25. æquale leg. *æquale*. p. 3. lin. 16. lib. 3. leg. 8. p. 6 lin. 24. vtr. leg. *Patrum*. p. 8. lin. 9. constituta, leg. *constituta*. p. 9. lin. 14. ar leg. *et*. p. 15. l. vlt. eadem leg. *eadem*. p. 16. l. 2. constituunt hoc, lege hic, *constituunt corpus viuens & animal, quod prius existunt hic & non constituunt hoc &c.* p. 16. l. 20. essq; l. *esse*. ibid. l. 21. in specie l. *a specie*. ibid. l. 34. 2 materiæ l. *ex materia*. p. 22 l. 27. constituûtur l. *constituitur*. p. 24. l. 36. bus l. *similibus*. p. 25. l. 10. more l. *morte*. p. 33. l. 23. hac l. *hæc* p. 36. l. 2. & liquet, dele *&* p. 39. l. 4. secundum l. *secundam*. ibid. l. 10. in signif. l. *in suas signif.* ib. l. 23. omittere l. *amittere*. p. 40. l. 23. ipso l. *& ipso*. ibid. l. 40. reponantur l. *reponuntur*. p. 41. l. 39. cum l. *cur*. p. 42. l. 29. nec l. *non*. p. 43. l. 24. siue l. *sub*. p. 46. l. 23. um l. *cum*. p. 47. l. 27 se l. *sic*. p. 52. l. vlt. declaramus l. *declaremus*. p. 53. l. vlt. etiam vniuersalis l. *etiam totum vniuersale*. p. 54. l. 3. ius l. *eius*. p. 59. l. 23. viuentis Corpus, & Substantia l. *Viuentis, Corporis, & Substantiæ*. p. 65. l. 10. ca. 2. l. *ea*. 3. ibid. l. 31. Simp. l. *Timp*. p. 68. l. 10. referantur l. *referuntur*. p. 69. l. 12. notare necessario, extend. l. *notare, necessario extend*. p. 70. l. 14. quinta l. *quinque*. p. 71. l. 3. Aruesti l. *Aruesti* p. 74. l. 37. qua l. *quæ*. p. 75. l. 28. consequitur l. *quatuor consequ*. p. 84. l. 28. p. 88. l. *p. 90*. ibid. l. 43. faciunt l. *faciat*. p. 86. l. 43. lib. Dem. l. *lib. 1. Demonst*. p. 88. l. 45. habet l. *habent*. p. 89. l. 6. visibiliras l. *visibilitas*. p. 90. l. 27. erit in l. *erit. In*. p. 93. l. 5. illum l. *illum*. ibid. l. 6. motus l. *motum*. p. 94. l. 9. quæ concaua l. *quæ a concaua*. ibid. l. 38. ca. 5. & 4. l. *ea. 1. et 4*. p. 95. l. 3. Trinarius l. *Ternarius*. p. 107. l. 11. intensionem quanti l. *intensionem, sed extensionem quantis*. p. 118. l. 10. tripliciter l. *dupliciter*. ibid. l. 42. absolutam l. *absolutum*. ibid. l. 43. relatiuam l. *relatiuum*. p. 124. l. 23. habens l. *habentem*. p. 126. l. 19. & sua l. *vt sua*. ibid. l. 26. omnium l. *omnia*. ibid. l. 44 nec l. *ne*. p. 127. l. 43. aliquid l. *aliud*. p. 136. l. 37. autem l. *aute*. ib. l. 9. in marg. 2776. l. 2770. p. 137. l. 6. facta l. *facta*. ibid. l. 7. Poetæ. Mrg. l. *poetæ labem* ibid. l. 34 & 40. Nuez l. *Nunez*. p. 139. l. 37. Clario

l. *Clauio*. ibid. l. 41. vt faciles l. *vt futiles*. p. 140. l. 6. ca. 12. l. *ca*. 10. p. 144. l. 14. Eucyclo l. *Encyclop*. p. 145. l. 13 quando l. *ue*. ibid. l. 28. quæ Iniust. l. *quæ in defectu, Iniustitia*. p. 148. l. penult. ca. 7. l. *ca*. 1. p. 153. l. 12 & mediate l. *& immediate*. p. 155. l. 30. Physicam l. *Physicam*. p. 156. l. 35. cidere, posse rolorē l. *ridere, posse colorē*. p. 157. l. 25. pag. 1. l. *parte* 1. p. 159. l. 3. illuminato l. *illuminante*. p. 160. l. 10. istas l. *ista*. ibid. l. 27. aut l. *a timore*. p. 163. l. 27. vt vitari l. *vt facile vitari*. p. 164. l. 36. Spiritum l. *spiritus*. p. 169. l. 15. agens actionem l. *agens per actionem*. p. 170. l. 24. Meteorum l. *Meteororum*. ibid. l. 43. facelem l. *facerem*. ib. l. vlt. & atio l. *& ratio*. p. 172. l. 21. Intellectum esse l. *Intellectum agentem esse*. p. 173. l. 43. vacata l. *vacat a*. p. 177. l. 15. Summa l. *Quintum*. p. 178. l. 5. mode l. *modis*. p. 184. l. 2. corrumpitur viuens l. *corrumpitur*. *Cum corrumpitur viuens*. p. 185. l. 18 & 24. in choatum l. *inchoatam*. ibid. l. 26. ideo l. *quia*. p. 186. l. 19 motum dictum l. *motu dicto*. ibid. l. 44. ad augm l. *ad hanc augmentum*. p. 187. l. 19. lib de Gen. l. *lib*. 1. *de Gen*. p. 188. l. 24 ante l. *antequam*. ibid. l. 40. generis l. *Generationis*. p. 189. l. 39. motus l. *motus localis*. p. 194. l. 21. nu. 26. l. *nu*. 66. p. 195. l. 27. vtrum l. *vtrumque*. p. 197. l. 16 art. 12. l. *art*. 2. ibid. l. 30. se l. *sed cire*. p. 199. l. 3. ca. 18. l. *ca*. 8. p. 200. l. 11. Olimp. 144. l. 114. p. 203. l. 13. q. 79. l. q. 76. ibid. l. 35. §. At l. §. *Ad locum*. p. 204. l. 17. oritus l. *oritur*. ibid. l. 30. rursum l. *sursum*.

Proœmium

TRACTATVS LOGICI.

De Prædicabilibus.
De Prædicamentis.
De Argumentatione.

Authore. R. C.

LONDINI,
Ex officina IOHANNIS LEGATTI, impensis *Iohannis Teage*: Et venales extant in cœmiterio D. *Pauli* ad insigne Pilæ.
MDC. XXII.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Proœmium in Logicam.

CVM Logicæ ſubjectum ſit Argumentatio, *libri iſti ad Logicam propriè ſpectant, qui de argumentatione agunt; Iſti ſunt, liber* Periherme-nias, *libri* Priorum, Poſteriorum & Topicorum.

Quia verò Argumentatio *omnis* ex vocibus *ſit, & voces ſunt* ſigna rerum, *ideò vt facilius aptiuſque argumentationes texantur, leuis aliqua rerum ipſarum cognitio præmittenda eſt. Rerum cognitio quanta logico neceſſaria eſt in* prædicamentis *traditur, quem librum velut præfationis loco ſuis omnibus libris de Logica præpoſuit, & merito, Ariſtoteles.* *Logicus Res conſiderat & quomodo.*

Quia verò logicus conſiderat res, non nudè & ſimpliciter vt in ſe ſunt, ſed vt ſub Notionibus quibuſdum ſecundis ſeu vocibus artis logicæ comprehenduntur, *prout nimirum ſunt aut individua, aut genera, aut ſpecies, aut ſimiliter; ideò neceſſe erat tractatui de prædicamentis* vbi res conſiderantur, *præponi tractatum aliquem de* Notionibus illis ſecundis *quas logicus rebus accommodat. Is eſt hic, quem jam damus* de Prædicabilibus.

Sed cur Ariſt. iſtum tractatum omiſit ſi neceſſarius ſit. *Dub.*
Reſpondeo, Nonpenitus omiſit, ſed quantum ipſi viſum erat commodum, ſub nomine Vniuocorum, & Denominatiuorum, *aliiſque* Anteprædicamentis *complexus eſt. Quia verò illa tractatio breuis valdè erat, (ideòque obſcura,) ideòcirco* *Sol.*

& Arist. ipse plura adjecit de prædicabilibus lib. 1. Top; & alij libellum illum Porphyrij (quem doctissimum philosophorum vocat Aug. lib. 19. de Civit: Dei, cap. 22.) in quo prædicabilia fusius explicantur, Aristotelis tractatui de prædicamentis præfigendum censuerunt.

Ex illo Porphyrij libello non pauca nos colligenda duximus; etiamsi & librum, & illius autorem (quem infensissimum Christiani nominis & fidei hostem fuisse testatur Aug. lib. illo & cap. citato) execraturos nos profiteamur, nisi Porphyrium in exilio (in quod justissimo Constantini Magni edicto, propter fidei oppugnationem, ejectus erat) sententiam suam mutasse, & palinodiam cecinisse, Hieron in suo Chronico, ad an. 332. alijque testarentur. Sed rem ipsam jam aggrediamur.

CAP.

LIBER PRIMVS DE PRÆDICABILIBVS.

CAP. I.

DE PRÆDICABILI SEV VNIVERSALI IN GENERE.

PRIMVS hic liber est *de Prædicabilibus, seu Vniuersalibus.* Idem enim hæ duæ voces significant. De Vniuersali autem agendum est: *Primo in genere*, vbi quid omni vniuersali communiter conuenit, declaratur. *Secundo in Specie*, vbi quid singulorum proprium est, explicatur. De vniuersali in genere duo declaranda sunt. *Primo quid sit. Secundo Quæ sint illius proprietates.* Vt *quid sit* vniuersale intelligatur, animaduertendum est, Omne Ens esse, vel Individuum, vel Vniuersale, vt Arist. in prima diuisione Antepræd. docet: atque ita quodcunque Ens prædicatur, vel prædicatur de Vno tantùm, & *tum est Individuum*; vel de pluribus, & *tum est Vniuersale.* Ex quo vtrumque facilè definiri potest.

Individuum est Ens quod de vno tantum prædicari aptum est, vt Socrates, hoc animal, hæc linea, hæc albedo. Ista enim de nullo alio prædicantur, (sed de seipsis tantùm, ideque *Idem*, vt loquuntur logici, sic vt idem de seipso prædicetur,) *non autem ordinate*, vt cum prædicatum est vel superius, vel æquale subiecto, sed ab eo distinctum. Dicturque Individuum, quia in plura de quibus ordinatè dicitur, non potest diuidi. *Individuum quid.* *æquale*

Dub. Si dicas Individuum prædicari de omnibus Individuis, cum vnumquodque eorum Individuum dici possit: Itidem Iohannem prædicari de hoc & illo Iohanne. Respondeo facilis est. Vox hæc artis, *aut hæc secunda Notio Individuum*: itemque hoc *nomen Iohannis* de pluribus prædicantur: prior vt appellatio Notionalis seu Intentionalis secunda vt appellatio æquiuoca. Sed *Res illa quibus hæc nomina tribuuntur*, vt ille homo qui vocatur Iohannes, aut hæc albedo quæ vocatur Individuum, res inquam istæ de nullo alio nisi de seipsis solis dicuntur.

Sol.

Vniuersale quid. *Vniuersale est Ens quod de pluribus prædicari aptum est*, vt homo, animal, linea, albedo. In qua definitione duæ particulæ obseruandæ sunt. Prior, quòd *Vniuersale est Ens*, id est, Res quæ verè vel est essentia, vel essentiam habet. Quare quod non est tale Ens, id Vniuersale dici nec debet nec potest. Atque hinc multa excluduntur ab Vniuersalium numero.

1. Omnia *fictitia* vt Chimæra, Centaurus & similia.

2. Omnia *negantia*, vt non homo, non lapis.

3. Omnia *Priuatiua*, vt tenebræ, cæcitas, silentium. Huiusmodi enim non notant Rem, sed carentiam rei; nec aliquid subiectis illis de quibus dicuntur, inesse, sed deesse significant.

4. Omnia *æquiuoca*, seu voces æquiuocæ quæ res diuersas æquiuocè connotant, vt Canis, prout est vox communis sideri cœlesti & animali latrabili. Vox enim ista solùm communis est, non res vlla per istam vocem significata.

5. Omnia *Complexa*, quæ res diuersas significant, vt homo doctus, nam talia non sunt *Ens*, sed *Entia*, & duas diuersas res, non vnam significant.

Dub. Dices multa ex his de pluribus prædicari: vt homo doctus de Socrate & Platone: cæcus de Homero & Appio. Ideo vniuersalia esse, cùm de pluribus verè prædicentur. Respondeo, Si Prædicabile aut Vniuersale sumatur in *amplissima significatione* pro omni eo quod quoquo modo de multis dicitur, tum ista in hoc sensu prædicabilia aut vniuersalia dici possunt. Sed si sumatur *proprie*, *vt in hoc tractatu sumendum est*, pro eo quod cum sit Ens de pluribus prædicari possit, tum nihil eorum quæ exclusimus vniuersale dici potest, quia in omnibus, prior hæc particula deest, quod non sint Ens.

Sol.

Altera particula est quòd vniuersale *aptum natum sit de pluribus prædicari*: & prædicatur *vel actu vel potentia*, & per hanc differt vniuersale ab Individuo: quis etsi Individua omnia sint Entia, nullam tamen eorum vel actu vel potentia de pluribus prædicari potest.

Proprietates Vniuersalis. Quid sit vniuersale dictum est. Proprietatum loco obseruentur hæ tres Regulæ.

1. *Omnia vniuersalia existunt in suis individuis, & gratia ipsorum, sic vt neque existant sine Individuis suis, neque extra ea.* Nec enim est aut esse potest Homo extra omnes particulares homines. Sed natura humana

humana, in quantum existit & per Individuantes conditiones *Hic & Nunc*, restringitur, est Individuum: in quantum verò abstrahitur mente ab existentia, & ab Individuantibus illis conditionibus, est vniuersale: quod idem de omni alio vniuersali dicendum est.

2. *Vniuersalia nullo sensu percipi possunt sed solo intellectu. Sensus enim*, vt docet Arist. 1. Demonst. cap. 15. & lib. 2. de Anima cap. 5. *nihil percipit nisi singularia*: Intellectus verò & singularia percipit, & in ipsis (abstrahendo ab eis individuantes proprietates quæ existentiam consequuntur) vniuersalia ipsa intuetur, & discernit.

3. *Vniuersalia ex sese nec oriri possunt, nec interire, gratia vero singularium & oriuntur & intereunt.* Cum igitur individua omnia præter Deum, a Deo condita sint, & ortum ac initium habuerint, etiam vniuersalia omnia cum ijs ortum habuerunt. *AEterna quidem fuisse, & mundum & vniuersalia omnia, & quædam individua, putauit Arist*: vt clarissimum est ex lib. 5. Phys. cap. 1. &. seq. Sed hic locum habet id, quod ipse de Platone dixit, lib. 1. Ethic. cap 6. *Amicus Plato, sed magis amica veritas.* Et quidem in Philosophicis authoritati Aristotelis plurimum tribuendum est, nisi constet (quod hic certè constat) eum aut Sacris literis, aut euidenti experientiæ contradicere.

Atque hæc de Vniuersali in genere dicta sint.

Cap. 2.

De Numero Vniuersalium.

SEquitur nunc consideratio vniuersalium in specie: priusquam verò ad singulorum tractationem descendamus, de Numero eorum pauca dicenda sunt.

Vniuersalia sunt Numero quinque: nec plura, nec pauciora. Nempe, *Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.* Nam quod nonnulli Proprium & Accidens è Prædicabilium numero expungenda contendant, vt Keck. lib. 1. Log. cap. 3. pag. 45. & cap. 6. pag. 31. nouitatem sapit non veritatem. Non esse plura certum est, cum nullum Ens sit præter Individuum, quod non in aliquo horum quinque contineatur. Non esse pauciora liquet, quia vnumquodque horum diuerso modo prædicatur, & ex diuersitate prædicandi oritur diuersitas Prædicabilium. Ea verò diuersa prædicandi ratio in subiecta Synopsi facilè perspicitur. *Vniuersalia quinque.*

Vniuersalium distributio.

Omne vniuersale prædicatur vel

- *In quid*, hoc. que vel
  - De *differentibus specie*, & tum est *Genus*, vt animal, color.
  - De *differentibus numero tantum*, & tum est *Species*, vt Homo. Albedo.
- *In Quale*, & hoc vel
  - *Essentialiter*, ita vt sit de essentia eius de quo prædicatur, & tum est *Differentia*, vt Rationale.
  - *Accidentaliter*, & tum conuenit vel
    - *Necessario*, sic vt a natura fluat, & tum est *Proprium*, vt risibile.
    - *Contingenter*, quod aliunde non a natura rei oriur, & tum est *Accidens*, vt doctus, bonus.

Dub. At sunt decem prædicamenta, & in omni prædicamento sunt multa vniuersalia, ergo necesse est multo plura esse vniuersalia quàm quinque.

Sol. Respondeo, Sicut Grammatici dicunt esse octo partes orationis, non quia plures voces non sint quam octo (sunt enim infinitæ) sed quia hæ sunt octo classes, ad quarum vnam, vnaquæque pars orationis seu dictio referri potest & debet; Ita planè logici docent esse quinque vniuersalia, id est, Quinque vniuersalium classes, ad quarum vnam omnes res vniuersalis, (quæ infinitæ sunt) referri debent.

Vel sic respondet:

Vniuersalia sumuntur dupliciter.

- *Intentionaliter* pro illis secundis Intentionibus aut vocibus artis, sub quibus res ipsæ quæ vniuersales sunt comprehenduntur, & sic sunt solùm quinque.
- *Realiter*, pro rebus ipsis quæ sub illis secundis intentionibus comprehenduntur, & sic sunt infinita vniuersalia, quæ omnia ad hæc quinq; reuocantur.

Dub. Illa maior difficultas est, quòd Arist. 1. Top. cap. 4. nu. 2. dicat *omnem propositionem*, id est, omne prædicatum cuiusque propositionis, *aut Genus declarare, aut Proprium, aut Accidens.* Quibus cap. 8. eiusdem libri addit *Definitionem.* Certum est autem omne Prædicabile aut vniuersale, esse *prædicatum in propositione.* Erunt igitur tantùm tria, aut ad summum 4. Prædicabilia, & ex eorum numero delenda erunt Species & Differentia.

Sol. Respondeo, Vniuersalia aliter considerari in Topicis, aliter in tractatu de Prædicabilibus. Hic considerantur iuxta *modum prædicandi*, illic iuxta *modum arguendi*; & quia quin-

quinque sunt diuersi modi prædicandi de alio, ideo hic quinque ponenda sunt Prædicabilia vt antè dictum est, non plura, non pauciora. Nam definitio cum non sit simplex sed complexum, non est Ens sed entia duo, ideoque nec Vniuersale. Si verò spectes modum arguendi, tum vel ad tria vel ad quatuor reduci omnia possunt. Nam idem prorsus est arguendi modus a Specie ad Individua qui est a Genere ad Species, ideo Species ad locum Generis pertinet. Differentia autem generica eandē rationem arguendi habet, quam Genus, ideo ad Genus refertur: Specifica autem eandem planè quam Definitio, & ideo ad Definitionis locum spectat. Vtrumque autem tam Definitio, quàm differentia specifica, Proprium dici potest, vt Arist. cap. 8. illius libri docet. Sunt enim vtraque propria sed, essentialia; Proprium autem accidentale distinctum locum Topicum ab vtroque facit. Ita Prædicata Topica vel tria vel quatuor dici possunt, Prædicabilia verò & Vniuersalia sunt Quinque.

Ac de numero Vniuersalium hæc dicta sint.

CAP. III.

De Genere.

NVnc ad singula vniuersalia descendendum est. Eorum primum est Genus. Nomen autem generis aliter vsurpatur apud grammaticos, Oratores et Historicos, aliter apud Logicos. Apud grammaticos sexum notat. Apud Oratores significat vel *multitudinem eorum quam hominum qui ab vno aliquo originem ducunt*, quo sensu Romani dicuntur Genus Romuli, Iudæi Abrahami: vel *vnum illum a quo quasi a radice multitudo illa descendit*, quo sensu Romulus dicitur Genus Romanorum, et Abraham Iudæorum. Has Generis acceptiones vt alienas ab ipsorum proposito Logici respuunt: ipsi verò Generis nomen accipiunt pro eo quod essentialiter de pluribus speciebus prædicatur, in quo solo sensu de Genere hic agendum est. *Acceptiones Generis.*

De Genere tria cognoscenda sunt. { 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quæ eius sunt proprietates.

Generis sunt duæ definitiones. Prior et vulgaris est hæc.

Genus est vniuersale quod prædicatur (actu vel aptitudine) *de differentibus specie in quid*, vt Animal de Homine et bruto: Color de Albedine et Nigredine. *Prior Generis definitio.*

Huius definitionis tres sunt particulæ. Per primam [vniuersale] excluduntur omnia Individua. Per secundam [*prædicatur de differentibus*

bus specie] excluditur species. Per tertiam [*in Quid*] excluduntur Differentia, Proprium, et Accidens.

Cæterùm posteriores duæ particulæ fusiùs explicandæ sunt vt recte intelligatur, quid sit, *differre specie*, et quid sit, *prædicari in quid*.

Differre quot modis dicuntur res.

Differunt alia ab aliis tripliciter.

Genere, quæ *vel sunt diuersa genera* (vt Substantia et qualitas,) vel *ponuntur sub diuersis generibus*, vt Homo et Quercus, Animal et Color.

Specie, quæ *vel sunt diuersa species*, vt homo et Equus; *vel ponuntur sub diuersis speciebus*, vt Socrates et Bucephalus.

Numero tantùm, quæ nec Genere, nec specie differunt sed solùm particulari sua natura et Accidentibus, vt Socrates et Plato, et omnia Indiuidua eiusdem infimæ Speciei.

Pari modo, res etiam dicuntur *eadem*, nam *quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur et alterum.*

Eadem aliqua dicuntur tripliciter.

Eadem aliqua dicuntur tripliciter.

Genere, quæ *sub eodem Genere continentur*, vt Corpus et Spiritus, Color et virtus.

Specie, quæ *sub eadem specie infima ponuntur*, vt duo homines, duæ albedines.

Numero, quæ *re, natura et essentia sunt omnino eadem*, vt Aristoteles, et Philosophorum princeps. Nam nullæ duæ distinctæ Res eædem Numero esse possunt, vt clarè docet Arist. 1. Topic. ca. 7. iuxta Vat.

Ex his nunc liquet omne Genus prædicari tam de pluribus Speciebus, quàm de Indiuiduis differentibus specie, vt Animal de Homine et Bruto, itemq; de omnibus Indiuiduis tam Hominis quàm Bruti.

Si autem quæratur an Genus prædicetur de Indiuiduis mediate vel immediate, distinguendum est de Indiuiduis.

Genus an prædicetur immediate de Indiuiduis.

Alia sunt *completa in infima specie*, vt hic Homo, hic equus; et de his Genus nunquam prædicatur immediate, sed prius de ipsorum speciebus, et illis mediantibus, de istis indiuiduis.

Alia sunt *incompleta in specie infima, etsi completa sint in Genere*, vt hoc animal, nihil aliud addendo, est Indiuiduum Animalis, sed nec Hominis nec Bruti, id quod in Embryone actu euenit. Sic hæc substantia (nihil cogitando vtrum corporea sit vel incorporea) est Indiuiduum Substantiæ quæ est summum Genus. Et de his Indiuiduis incompletis in Specie, sed completis in genere, genera immediate prædicantur. Tam enim verè hæc Substantia est Indiuiduum Substantiæ, et hoc Corpus, corporis: quàm hic homo hominis: et omnia genera sua

propria

propria et immediata Individua habent incompleta, nulla autem genera habent vllum individuum completum in specie sibi immediatum.

Sed quomodo genus prædicatur vel de speciebus vel de individuis, cum non possimus verè dicere species est genus, aut Individuum est genus. Illud autem dicitur *prædicari de alio quod est prædicatum in propositione, in qua alterum est subiectum.* Dub.

Genus Intentionaliter sumptum, non prædicatur de Specie intentionaliter accepta; sed Res illæ quæ sub Intentione hac generis continentur, de rebus quæ species sunt prædicantur, vt, homo est Animal. Quod idem in omnibus secundis Intentionibus similiter fit. Sol.

Logici ita et aptè exprimunt.

Prædicatio est duplex.
- *Exercita, vbi veritas ipsa prædicationis exercetur*, et hoc semper, ac solum fit in rebus per voces secundæ intentionis significatas, vt, Socrates est Animal.
- *Signata, quando illa quæ prædicari dicuntur de alio, signa sunt rerum, in quibus ea non in ipsis Signis prædicatio illa est extrenda.* Sic genus dicitur prædicari de specie aut de individuo.

Hæc de priori particula, sequitur secunda, quæ vt intelligatur aduertenda est hæc distinctio.

Ea *quæ dicuntur de alio, vel* prædicantur
- *In quid, ea nimirum per quæ apte respondetur ad quæstionem factam de aliquo per quid est?* vt Quid est homo? apte respondere licet, est Animal. Quid est Socrates? est homo. *Prædicari in Quid.*
- *In quale, ea nimirum per quæ apte respondetur ad quæstionem quomodocunq; factam per Quale est?* vt Quale Animal est homo? recte respondeas, est Rationale. Qualis homo est Socrates? doctus, sapiens.

Hinc iam liquet genus prædicari in Quid. Omnia enim quæcunq; ad Quidditatem, et essentiam alicuius rei pertinent, ea in Quid prædicantur, quia quidditatem rei notant. Genus autem Quidditatis pars vna est.

Altera definitio Generis, quæ minus quidem est vsitata, sed non minùs cognitu necessaria, est hæc. *Genus est Vniuersale quod de suis speciebus et Individuis prædicatur essentialiter, est q; ea pars essentiæ eorum qua per differentiam restringitur ad Speciem, quæq; materia rei est, aut materia respondet.* Secunda Gen. ris definitio.

In qua definitione duæ particulæ explicandæ sunt, prior, quid sit *prædicari essentialiter*. De quo obseruetur hæc distinctio.

Essentialiter, ea nempe quæ sunt de *natura*, *essentia*, *Quidditate*, aut *intrinseca ratione* eius, de quo prædicantur, quæque illud *constituunt*, sic vt sine illis *nec esse*, nec in *essentia sua* vel cogitari possint: Hoc modo omnia Genera, Species & differentiæ prædicantur de omnibus, de quibus dicuntur.

Predicari Essentialiter quid.

Eorum quæ de aliis dicuntur, alia prædicantur

Accidentaliter, ea nempe omnia quæ *non sunt de essentia eius de qua prædicantur, sed rei iam constitutæ accidunt aut adueniunt*, ita vt sine illis subiectum de quo prædicantur, vel *alia existere* possit, vel *mente saltem in sua essentia constare*. Ita omnia Propria & Accidentia de suis subiectis prædicantur.

Genus est idem re cum Materia.

Posterior particula est hæc, Quod *Genus in iis quæ habent materiam est idem re plane cum materia, in aliis verò respondet materiæ.* Hoc duplici ratione liquere potest. Primò sic. Sumatur exempli gratia Homo. Certum est Materiam & formam Hominis esse partes eius essentiales: quod si Genus Hominis (*Animal*) & Differentia (*Rationale*) non sint re eadem cum *Materia & forma* Hominis, tum Homo constabit ex quatuor re distinctis essentialibus partibus, vel quod idem valet, habebit duas integras distinctas essentias. At *vnius rei est vna tantùm essentia*, vt verissimè Arist. docet. 6. Top. cap. 4. nu. 2. Et illius vnius essentiæ non possunt esse plures quam duæ partes: quare necessariò efficitur Genus Hominis esse *re idem* cum Materia, & differentiam cum forma. Quod idem de omnibus aliis substantijs corporeis concludendum est. Altera ratio est hæc. Si rationale quod est Differentia Logica, esset *aliud*, & *Re diuersum* ab Anima Rationale quæ est Hominis forma physica, tum præter Animam rationalem esset alia pars essentialis constituens proprie Hominem qua Homo est. Vtrum igitur illud aliud, constituit ipsum prius, an posterius, an simul cum anima Rationali? Si prius constituat (vel natura, vel tempore) tum Homo erit (natura vel tempore) Homo antequam habeat Animam rationalem, id est antequam sit Homo: nam antequam habeat Animam rationalē non est Homo. Si posterius cōstituat, eum constituit illud quod iam est constitutum. Et Homo erit Homo (per Animam rationalem) antequam sit constitutus Homo, puta per illud posterius constituens. Si constituat simul, tum frustra constituit, nam ad constituendum Hominem qua Homo, sufficit Anima rationalis. Denique quid illud aliud, *re diuersum* ab anima rationali sit vel esse possit, quod Hominem qua homo est, constituat, nec vel dici vel fingi potest. Hoc enim dat ei & nomen & essentiam Hominis. Cum igitur Differentia Logica sit *idem Re*, cum forma physica in eis quæ formas tales habent, certe & Genus apud Logicos erit *idem Re* plane cum materia apud Physicos. Hoc ex Auerroe & Aristotele fusiùs declarat Zabar. lib. 2. de Mater. 1. cap. 18. Vbi illa

verba

verba Auerrois citat, approbatque, *Materia & Genus sunt idem Re, sed ratione distinguuntur.* Et ipse sic concludit. *Eadem res est quæ alia ratione vocatur Materia, alia Genus*; & paulo post. *Genus Logicum & Physicum sunt vnum Re, duo autem Ratione.*

Re eadem dixi, non *ratione*; nam ratione differunt. Physici enim hanc eandem rem exprimunt per nomen in Abstracto, quasi diceres Animalitatem, aut Rationalitatem, & ideo ipsorum vox non dicitur de composito in recto casu sed tantùm in obliquo; non enim dicimus, Homo est Materia, aut Anima, sed Homo constat ex Materia vel Animalitate & Anima rationali. Logici autem eandem ipsam rem exprimunt per nomen in Concreto, quod de composito in recto casu verè prædicatur, vt Homo est Animal, Substantia, aut Rationalis. *Genus & Materia differunt ratione.*

Dices Genus assimilari Materiæ, at differentiam formæ, apud Porphyr. cap. de differentia nu. 17. Quæ autem similia sunt, re diuersa sunt, nam *Nullum simile est idem.* Cum omne Simile sit suo Simili correlatum. Respondeo. Omne Genus assimilatur Materiæ quæ est in rebus artificialibus, & itidem omnis Differentia formæ artificiali. Sed Genus & Differentia corporum naturalium, omnisque substantiæ completæ, non assimilantur Materiæ & formæ physicæ, sed eadem re sunt cum illis. *Dub.* *Sol.*

Dico secundò. Quædam sunt Entia quæ habent Genus & differentiam, sed non Materiam & formam ex quibus constituantur, qualia sunt omnia Accidentia. In his, Genus ipsorum verè assimilatur Materiæ, & differentia formæ. Nam sicut Materia ex se indifferens est ad omnem formam recipiendam, sic Genus ipsorum indifferens est ad quamuis differentiam: Et sicut forma restringit Materiam, ita differentia in illis restringit Genus ad certam Speciem: Et sicut ex materia & forma physica coniunctis, fit compositum naturale, ita ex Genere & differentia coniunctis fit hæc aut illa Species Accidentium. In quibus autem rebus est Materia & forma, ex quibus compositum constituitur, vt in Substantijs, in ijs Genus & differentia ipsorum non assimilantur nec sunt similia Materiæ & formæ, sed *eadem Re* sunt cum ista Materia & forma.

Quid sit Genus diximus: Nunc Quotuplex sit videamus.

Genus est duplex.

- *Generalissimum aut Summum, supra quod nullum est omino Genus reliquum, quodque solum est Genus & nunquam Species:* Et talia sunt Numero decem, nec plura nec pauciora, nempe, Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, & Habitus. *Genus Generalissimum & subalternum.*
- *Subalternum quod positum est sub alio genere, quodque est & Genus & Species, sed diuerso respectu; nam est Genus respectu inferiorum Specierum, & est Species respectu superiorum Generum, vt Animal est Genus Hominis & Bruti, Species verò Viuentis.* Hæc facile ex subiecta typo intelligi possunt.



Dub. Illud summum est quod est supra omnia alia, quare si Substantia sit summum Genus, erit supra Quantitatem & Qualitatem; si verò sit supra ista, tum illa non erunt summa. *Sol.* Respondeo, hæc Genera non dicuntur *summa Simpliciter, aut respectu omnium aliarum rerum*, sed *summa in sua serie & classe*. Sic Substantia est supra omnes substantias: Qualitas supra omnes Qualitates, & ita in reliquis. Vel si simpliciter summa appellare velis, dicas esse *Summa negativè*, quia nullum omnino Genus est supra illa, non *Summa affirmativè*, quasi illa sint supra omnia alia Genera. Simile habes in Regibus, quilibet eorum summus est, & rectè dicitur summus vel in suo regno non in alijs: vel summus non quidem affirmativè ita vt sit supra alios omnes homines, sed negativè ita vt nullus omnino hominum sit supra ipsum, sed solus Deus, Deo secundi sunt, post Deum primi.

Proprietates Generis nunc supersunt, illæ his regulis exprimi possunt.

Regula de Genere. 1. *Omne Genus est superius directè suis speciebus in serie prædicamentali.* Patet ex typo præcedente.

2. *Omne Genus est pars essentialis, & Causa interna ac Constitutiva omnium suarum specierum.* Patet tum ex Arist. 3. Metap. ca. 3. vbi Genera omnia vocat *principia suarum specierum*, principia nempe essentialia

sentialia & intrinseca: tum ex vtrauis definitione Generis. Quicquid enim de aliquo prædicatur in quid, illud est de ipsius essentia, nam Quidditas est essentia rei: & Quicquid est de essentia vllius, est causa eiusdem, illudque constituit essentialiter.

3. *Omne Genus est prius naturâ suis omnibus speciebus.* Patet ex secunda, nam omnis causa est prior naturâ causato, & omne constituens constituto.

4. *Omne Genus prædicatur vniuocè de omnibus suis inferioribus.* Docet hoc expresse Arist. 2. Top. cap. 2. nu. 1. Et patet ex secunda, quia quicquid essentialiter de vllo prædicatur, illud etiam vniuocè dicitur de eodem.

5. *Omne Genus prædicatur æquè seu æqualiter de omnibus suis inferioribus, de nullo autem ipsorum secundum magis & minus.* Ratio est, quia omnia essentialia æqualiter participantur ab ijs omnibus quibus conueniunt: vt docet verissimè Arist. cap. de Qualit. nu. 30. & 6. Top. cap. 6. nu. 17. cuius causam ipse assignat oct. Metaph. cap. 3. Quia *essentia cuiusque rei est sicut Numerus*, nam sicut in Numeris si vel addas Vnitatem vel demas, variatur species numeri, ita in essentia cuiuslibet rei sit, si gradum vllum vel addas ei vel demas, destruis essentiam.

6. *Eiusdem possit esse Genus & Accidens respectu diuersorum*, vt Color est Genus respectu inferiorum suorum, Albedinis & Nigredinis; & est Accidens respectu parietis, aut subiecti illius cui inhæret; *tamen nullum Genus est Accidens eius cuius est Genus.* Ratio est, quia respectu illius est de essentia.

7. *Nullum Genus prædicatur denominatiuè, de eo cuius est Genus.* De alijs quorum est Accidens potest Genus denominatiuè prædicari: patet ex Reg. quarta, & expresse idem docet Arist. Top. 2. cap. 2. nu. 1.

Cap. IIII.

De Specie.

Secundum Prædicabile est Species: quæ dictio apud Oratores pro externa forma et venustate capitur, quo sensu dictum est illud apud Euripidem, Speciem dignam esse quæ imperet: De Specie verò in hoc sensu non agunt Logici, sed ab illis sumitur pro eo prædicabili quod Generi subijcitur. *Speciei Acceptiones.*

De Specie tria declaranda sunt. 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quæ eius Proprietates.

Species ita definitur. *Species est vniuersale quod subijcitur generi*, vt *Speciei definitio*

Homo

Homo, Brutum, Albedo: quia enim Genus & Species inter se referuntur, ideo vnum per respectum ad aliud definiri potest.

Duæ verò sunt istius definitionis particulæ, per primam quæ est (vniuersale) distinguitur ab Individuis: per secundam quæ est [quod Generi subijcitur] distinguitur a Genere, Differentia, Proprio & Accidente. Nam etsi quædam Genera (vt Animal & omnia quæ subalterna sunt) et quædam Propria (vt risibile, Naturali potentiæ & qualitati) et quædam Accidentia (vt Albedo Colori) subijciantur Generi, tamen in quantum ita subijciuntur sunt Species, non autem vel Genera, vel Propria, vel Accidentia. Differentiæ autem nullæ subijciuntur vlli Generi, quia non sunt directe in vlla serie prædicamentali.

Dub. Sed quare nulla mentio fit Predicationis in hac definitione, sed solùm subiectionis: cum Species in quantum est prædicabile, per prædicationem definienda sit potius? Est mentio prædicationis, licet non expressa, tamen implicita, cum Species dicitur Vniuersale: nam eo ipso significatur, quod de pluribus prædicatur. Et quia hæc definitio communis est tam Speciei infimæ, quam subalternæ, ideo hic non exprimitur de quibus Species prædicetur, vtrum de differentibus specie, an de differentibus Numero tantum. Verumuis enim recte dici potest, si respicias vtramque Speciem tam Subalternam quam Infimam.

Sol.

Quid sit Species diximus, Quotuplex sit nunc declaremus.

Species Infima & subalterna. Species est duplex.

- *Specialissima vel Infima, qua semper & omni respectu est Species, nec vnquam Genus esse potest,* Vt Homo, Equus, Albedo.
- *Subalterna vel Media, qua & Genus & Species diuerso respectu dici potest,* Vt Animal, Viuens, Corpus: Nam hæc omnia respectu suorum Generum superiorum sunt Species, respectu inferiorum Specierum sunt Genera.

Species subalterna quid. Species subalterna definitur *esse Species quæ de pluribus differentibus specie prædicatur in quid.* Est enim idem plane cum Genere subalterno. Et prædicatur non vt Species sed vt est Genus, licet subijciatur vt est species. Quare de hac non est necesse plura dicere. Species Infima (quæ semper Speciei nomine intelligenda est, nisi aliquid addatur, ex quo Subalternam intelligi appareat) ita definitur: *Est Species quæ prædicatur solummodo de differentibus Numero tantum in Quid.* vt Homo, Albedo. Linea.

Species Infima quid.

In qua definitione duæ particulæ obseruandæ sunt & explicandæ. Prior quod Species Infima *prædicetur solum de differentibus Numero tantum,*

tantum, id est, solum de Individuis, de nullis autem speciebus. Et in hoc differt a Genere, quod prædicatur quidem de differentibus numero tantum, sed non tantum de his prædicatur, verum etiam de differentibus specie.

Dices Hominem dici de Homine Mare & fœmina, ea verò videntur differre specie, cum vtrumque vniuersale sit, & prædicetur de differentibus numero, Vt mas de hoc & illo Mare, fœmina de hoc et illa. Adde quod Mas & fœmina plus differunt quam duo mares; cum ergo duo mares differunt numero tantum, efficitur marem & fœminam differre plus quam numero tantum, ideoque Specie. Respondeo; Mas & fœmina differunt numero tantum. Inter ea autem quæ differunt numero tantum, quædam plus differunt, quædam minus, quia quædam differunt pluribus Accidentibus, alia paucioribus; sed quia omnia non aliter quam Accidentibus essentiæ particulari superadditis differunt, ideo non aliter quam Numero tantum differre dicuntur. Mas autem & fœmina sexu differunt; Sexus autem est Accidens, vti color, aut patria, aut stemma. Et quamuis Mas dicatur de hoc & illo mare, non est tamen Species, imò nec vniuersale, sed complexum quid, vt Homo doctus; nam Mas, est Homo masculini sexus, ideo constat ex Substantia & Accidente, Vt Homo doctus: quare cum omne vniuersale sit vnum Ens, & nullum complexum re sit vnum Ens, sed multa connuncta, sequitur Hominem marem non esse vniuersale, nec Speciem; quodque non aliter prædicetur de hoc & illo Mare quam alia complexa, vel quam Homo doctus de hoc & illo Homine docto. *Dub.* *Sol.*

Altera particula est, quod *species prædicetur de Individuis in quid, id est, ita vt recte respondeat ad quæstionem factam per quid est.* Vt Quid est Socrates? est Homo.

Hic verò diligenter obseruandum est, quod licet tam Genus de suis speciebus, quam species de suis Individuis dicatur in Quid, non tamen eodem modo vtrumque in quid prædicatur. Nam genus ita dicitur in quid, vt notet solummodo vnam partem quidditatis aut essentiæ suarum specierum: Species verò ita dicitur in quid, vt notet totam quidditatem et essentiam suorum Individuorum. Ex quo fit, vt ad constituendum speciem necesse sit superaddi Generi nouam formam essentialem, quæ sit forma speciei, quæque realiter et essentialiter distincta est tum a Genere ipso, tum a forma Generis, ita vt in essentia generis non sit comprehensa: sic Animali superadditur Rationale ad constituendum Hominem: sed ad constituendum Individuum nulla speciei superadditur noua forma essentialis, quæ sit forma Individui, quæque realiter et essentialiter differt a forma speciei, et non continetur in essentia speciei. Hoc in Exemplo Hominis et Socratis demonstrari potest. Nam cum forma Hominis sit Anima rationalis, si in Socrate superadderetur noua forma, præter et vltra Animam rationalem, et quæ ab illa realiter distincta sit, necessario consequeretur *Quomodo Species prædicetur in Quid.*

Socratem et vnumquemq; hominem habere duas Animas rationales, vnam qua est Homo, et aliam illi superadditam per quam fieret hic Homo. Certum est enim eum non fieri hunc hominem nisi per Animam rationalem. Dices, si res ita sit, tum omnia Individua eiusdem infimæ speciei totaliter in essentia conueniunt, cum quæcunq; sit essentia vnius, sit etiam communis essentia omnium; nam tota essentia Speciei omnibus communis est. Differunt igitur talia Individua non essentialiter sed solis accidentibus, et Accidens erit principium Individuationis. Respondeo, impossibile est vt Accidens vllum sit principium Individuationis aut Individui: Nam accidentium omnium subiecta, sunt ipsa Individua. Subiectũ autem Naturâ prius est eo quod ei inhæret, et accidit: vt liquet lib. 7. metap. ca. 1. Principium rei, est naturâ prius eo cuius est Principium, cum principium sit causa interna rei. Sed verum principium Individui, id est, proxima causa quare vnumquodq; Individuum est *indiuisum a se, et diuisum ab omni alio*, est ipsa *forma particularis* in iis quæ habent formam, in aliis verò quæ formam non habent est illud quod formæ respondet. Forma enim est, et forma sola (aut formæ proportionatum) quæ *dat Nomen et Esse cuiq; composito*, quare Quidditas ab Arist. vocatur. 1. Phys. ca. 3. A forma igitur particulari habet vnumquodq; Individuum compositum, vt sit Individuum: id est, *ab hac forma*, habet vt sit *hoc*. Atque hoc, illud ipsum esse, quod per suam Hæccietatem, Scotus exprimere volebat; idemq; maxime consentaneum veritati esse, abundè declarat Zabar. lib. de Constit. Individui.

Dub.

Sol.

Principium Individuationis est forma particularis.

Hinc iam consequitur Individua omnia non solum Accidentibus sed primo ac principaliter, essentijs suis proprijs, et particularibus differre. Atq; hoc vnico exemplo fiet clarissimum. Certum est vnumquemq; hominem habere suam propriam et sibi peculiarem Animam rationalem. Ea verò est cuiq; essentialis, cum det esse cuiq; nec sine ea vel concipi vllo modo potest. Per eam igitur essentialiter differt Socrates a Platone aliisq; omnibus. Aut si cui ista concedenda non videbuntur, necesse est vt ipse fateatur, vel Animam Rationalem Socratis non esse Socrati essentialem, vel eandem numero animam rationalem quæ est in Socrate, esse simul in Platone aliisq; omnibus hominibus. Quorum vtrumque à veritate alienissimum est. In hanc rem Thomæ verba, part. 1. q. 76. art. 2. dignissima sunt quæ obseruentur: illic non esse vnum omnium hominum Intellectum, ita probat, *Hinc enim* inquit, *sequeretur, quod Socrates et Plato essent vnus homo, et quod non distinguantur ab inuicem, nisi per hoc, quod est extra essentiam vtriusq;, et tunc distinctio Socratis a Platone non erit alia, quam hominis tunicati et cappati.* Hæc Aquinas. Expresse docens absurdum esse asserere Socratem non differre à Platone essentialiter, aut non aliter eos distingui quam accidentaliter. Iam perspicuum est, quod non differunt in essentia communi hominis; illa enim vtrique conuenit: differunt ergo particularibus suis essentijs, & quia primariò per istas

distin-

distinguuntur, illa erunt prima & vera principia Individuationis.

Dices: si singula Individua habeant diuersas essentias, quomodo verum esse potest quod ante diximus: Speciem habere in se totam essentiam Individuorum, & Individua nullam essentiam habere praeter illam quam Species ipsorum habet? Speciei enim essentia omnibus communis est, nec possunt Individua ipsius, per illam inter se differre; quare si praeter illam nullam aliam habent, tum nullo modo possunt essentijs, aut essentialiter differre. Respondeo, Species habet in se *totam essentiam* quam habent Individua, sed non habet eam *eodem modo* quo habent Individua. Et Individua nullam habent essentiam quam non habet Species, sed habent eam alio modo quam habet species. Nam essentia Hominis prout nudè consideratur, vt abstrahitur ab existentia *Hic et Nunc*, est essentia Speciei, et constituit *Hominem qua homo est*, non autem qua est hic aut ille homo: Essentia eadem realiter prout existit *hic et nunc*, et vestitur Individuantibus conditionibus, est essentia Individui, constituitq; non Hominem qua est homo, sed qua est *hic aut ille homo*. Et sicut homo, et hic homo, non sunt duo realiter distincti homines, sed natura humana vt consideratur abstracta ab existentia *Hic et Nunc*, vocatur *homo in Vniuersali*, quæ eadem natura humana considerata prout *Hic et Nunc*, vocatur hic homo: Ita specifica et communis forma aut essentia hominis, et particularis forma aut essentia huius aut illius hominis, non sunt *Alia et Alia forma*, nec duæ realiter distinctæ formæ aut essentiæ (sic enim fieret vt vnusquisq; homo haberet duas realiter distinctas formas seu animas rationales, quo nihil absurdius cogitari potest.) Sed sunt vna et eadem *realiter forma ac essentia*, sed *Alio et Alio modo accepta* et considerata. Nam est particularis forma prout existit *Hic et Nunc*, est communis prout abstrahitur ab existentia *hic et Nunc*. Abstrahitur autem neq; per realem separationem ab Individuis, neq; per intellectum cogitantem quod ista forma aut essentia non existit in Individuis, (nam vtraque harum abstractionum falsa est, cum essentia illa vere existat in Individuis.) Sed abstrahitur per intellectum cogitantem essentiam illam quæ existit in Individuis, nihil omnino cogitando de existentia ipsius in Individuis; de qua Abstractione verissime dicit Arist. lib. 2. Phys. c. 2. *Abstrahentium non est mendacium*.

Dub.

Sol.

Quod autem de Specie Infima respectu suorum Individuorum quæ completa sunt in specie iam diximus, Idem etiam de Generibus omnibus respectu suorum Individuorum quæ incompleta sunt dicendum est. Eadem enim est ratio corporis, viuentis, & Animalis, ad hoc corpus, Hoc viuens, & hoc Animal, quæ est Hominis ad hunc Hominem. Quare sicut formæ & essentiæ Hominis, non superaddiur alia realiter distincta forma aut essentia ad constituendum hunc Hominem, ita neque formæ & essentiæ Corporis, Viuentis, aut Animalis, superaddiur alia realiter distincta forma aut essentia, qua constituatur, hoc corpus, hoc viuens, & hoc Animal; sed eadem

dem realiter formæ abstractæ ab existentia *hic & nunc*, constituunt, hoc corpus, hoc viuens & hoc Animal, quatenus talia sunt.

Atque ex his obscurissimus plane apud Porph. Locus, cap. 3. nu. 17. explicari potest: vbi ait *Genus esse totum; Individuum partem: Speciem verò & Totum & Partem, sed partem Alius, Totum non Alius, sed in alijs.* Nam eo loco per Totum intelligit solummodo *Totum Vniuersale*: per Partem intelligit solummodo *partem subiectiuam*. Sic verò accipiendo Totum, & Partem, sensus est hic, isque verus, quòd Genus est solummodo Totum (nempe Vniuersale) respectu Specierum; nullius autem respectu est pars subiectiua; nam vt subijcitur non est Genus, sed Species. Individuum est solummodo pars, (nempe subiectiua) respectu Speciei; nullius autem respectu est Totum Vniuersale, quia infra se nihil habet. Species autem est & *Totum Vniuersale*, & *Pars subiectiua*: & vtroque modo est Species, tam respectu Individuorum, quorum est Totum, quam respectu Generis, cuius est Pars. Sed est Pars subiectiua *Alius*, quia Genus & Species *Alia sunt* & essentijs differunt, cum ad Speciem constituendam superaddatur noua forma essentialis, quæ non est de essentia Generis: estque autem Totum *non Alius, sed in Alijs*, quia Individua (quorum respectu Totum est) non sunt Alia in Specie, nec habent aliam essentiam præter illam quam habet Species: Sed habent eam alio modo, & ideò dicitur Species esse in illis, *vt in alijs*. Quem esse genuinum Porphyrij sensum facile intelliget qui locum diligentius perpendere velit.

Quid & Quotuplex sit Species diximus, Proprietates sequuntur.

Regula de Specie.

1. *Omnis Species subijcitur dictis suis Generi in serie Prædicamentali*: hoc ex typo facile cognoscitur.

2. *Omnis Species constat ex genere & differentia tanquam* ex partibus essentialibus eam constituentibus. Nam quia vtrumque est pars quiditatis speciei, vtrumque erit pars eius essentialis, eamque essentialiter constituet. Innuit quoque hoc Arist. lib. 2. de Anim. cap. 1. vbi compositum, i. speciem, ait, à materia & forma constare.

3. *Omnis Species, & sola Species propriè definiri potest.* Patet hoc, quia Species omnis, solaque, verum Genus & Differentiam habet, & ex his omnis propriè dicta definitio constat, vt ait Arist. lib. 1. Topic. cap. 8. nu. 2. Alia igitur omnia præter Speciem quæ definiri dicuntur, descriptiones habent potius, quam propriè dictas definitiones.

4. *Omnis Species est posterior naturâ quam suum Genus & differentia.* Sequitur ex secunda, quia omne constitutum est naturâ posterius partibus suis constituentibus, cum hæ causæ sint illius. Omnis autem causa est Naturâ prior suo effectu. lib. 1. Demonst. cap. 2.

5. *Omnis Species est naturâ sua, ignota magis quam Genus suum & differentia.* Sequitur ex quarta, nam modus perfectæ cognitionis rei cuiusque

cuiusque, sequitur modum essendi ipsius. Quod ergo est naturâ posterius, etiam posterius cognoscitur: nam ipsius cognitio dependet ab eo quod prius est ipso, quodque est causa ipsius, docet idem Arist. 1. Demonst. cap. 2.

6. *Omnis Species est natura prior singulis Individuis.* Prior inquam non in *Causando* (nam Species nec est causa nec constituens Individuorum, alio modo quam quia continet in se causas & constituentia principia ipsorum.) sed in *consequendo*: Posito enim quouis Individuo, Speciem ipsius poni necesse est; sed posita Specie, hoc Individuum aut illud poni non est necesse, sed aliquod poni necessarium est. Ideo dixi Speciem priorem esse singulis, non omnibus.

7. *Omnis Species praedicatur univocè de suis Individuis.* Patet, quia ipsius nomen eis tribuit & definitionem, aliter non prædicaretur in Quid, de ipsis.

8. *Omnes Species aequaliter praedicantur de suis Individuis, nec unquam secundum magis aut minus.* Patet, quia omnia essentialia æqualiter ab omnibus communicantur, vt in cap. de Genere, regul. 5. probatum est.

9. *Eadem possit esse & Species & Accidens diuerso respectu* (vt Albedo est & Species tam respectu Coloris, quod est Genus ipsius, quam respectu huius & illius Albedinis quæ sunt eius Individua, & Accidens respectu chartæ cui inhæret vt subiecto) *tamen nulla Species est Accidens eodem respectu quo est Species, aut respectu illius cuius est Species.* Ratio est quia nunquam ei inhæret vt subiecto inhærentiæ.

10. *Nulla Species praedicatur denominatiuè de eo cuius est Species,* de alijs quorum est Accidens potest denominatiuè dici. Vide regul. 7. de Genere.

Atque hæc de secundo Prædicabili.

Cap. V.

De Differentia.

TErtium Prædicabile est Differentia: cuius vocis quia variæ sunt acceptiones, illæ ante omnia explicandæ sunt, vt quo sensu hoc loco accipiatur, intelligi possit.

Differentia in amplissima significatione, est *id quo vnum ab ab-* *Differentia in* *uero quocunque modo differt, siue essentialiter, siue accidentaliter.* Qua in *latissima* *significatione* comprehendit tria prædicabilia, *Differentiam* nempe, *Proprium, & Accidens.*

Differentia tres Acceptiones.

Differentia est triplex.

- *Communis, qua est Accidens quodvis separabile, quo vnum ab altero accidentaliter differt,* vt ambulare, sedere, & similia; & hæc differentia facit rem cui tribuitur *diuersam ab alia*, sed non *Aliud*.
- *Propria, qua est Accidens sed inseparabile, quo vnum ab altero magis propriè & verius discriminatur,* vt risibile distinguit Hominem à Bruto, Nigredo corvum à cigno. Et hæc differentia facit rem etiam cui tribuitur *diuersam ab Alio*, sed non *Aliud*.
- *Maximè propria, qua vnum ab alio essentialiter distinguitur,* vt per rationale differt Homo a Bruto, & hæc differentia facit id cui tribuitur non modo *diuersum ab Alio* sed *Aliud, quoad naturam & essentiam*.

Differentiæ omnes Communes ponuntur in quinto prædicabili, nullæ in hoc tertio. Differentiæ Propriæ omnes ponuntur vel in quarto, vel in quinto Prædicabili, nullæ in hoc tertio. *Sola Differentia maximè Propria, eaque omnes ad hoc tertium Prædicabile spectant.* De illis igitur solis nunc agendum est, Aliæ ad quartum, aut quintum Prædicabile relegandæ.

De differentia maximè Propria tria declaranda sunt.
1. Quid sit.
2. Quotuplex sit.
3. Quæ illius Proprietates.

Prima definitio Differentiæ.

Differentiæ tres definitiones traduntur. Prima est hæc: *Differentia est Vniuersale quod prædicatur de pluribus differentibus vel specie vel numero tantùm in Quale Quid*: Vt Animatum, Sensibile, Rationale. Per primam particulam [Vniuersale] excluduntur Individuus; per secundam [prædicari in Quale] excluduntur Genus & Species; per tertiam [in Quale Quid] excludantur propria omnia & Accidentia.

Duæ verò hic particulæ explicatione indigent. Prior est: *Quidnam sit Prædicari in Quale Quid.* Nam quid sit prædicari in Quid, & quid item in Quale, supra in Cap. de Genere dictum est.

Rursus

Essentiale aut Quidditativum, quæ respondent quidem ad quæstionem factam per Quale, sed tum solum quando qualitas essentialis aut Quidditativa quæritur. Id autem solummodo tum fit, quando cognito alicuius speciei aut Individui Genere, quæritur quale contentum sub illo Genere hæc Species aut Individuum sit; vt cognito quod Homo sit Animal, quæritur vlterius Quale Animal est Homo? tunc enim quæritur illa qualitas essentialis aut Quidditativa, quæ restringit Animal ad Hominem, & complet Quidditatem Hominis. Et tum respondendum est, Est Rationale. Quæcunque igitur tali Quæstioni satisfaciunt, ea dicuntur prædicari in Quale Quid. *Prædicari in Quale Quid, quid sit.*

Eorum quæ prædicantur in Quale, Alia prædicantur in Quale

Accidentale, quæ respondent aptè ad Quæstionem factam per Quale Accidentale. Id autem quæritur quoties de Specie aliqua aut Individuo cuius tota Quidditas cognoscitur, Quæstio fit per Quale: vt si quæras qualis Homo est Socrates, rectè respondetur, Est risibilis, doctus vel magnus: tunc enim quæritur, quæ accidentia subiecto huic in essentia sua completo, conveniant. Quæcunque igitur tali Quæstioni satisfaciunt, ea dicuntur prædicari in Quale Accidentale, aut in Quale simpliciter, non autem in Quale Quid.

Hinc iam liquet omnem Differentiam prædicari in Quale *Quid: Omnis enim Differentia est pars Quidditatis cuiusque compositi.* Nam Quidditas cuiuslibet Compositi constat ex Genere & Differentia. Et Genus quidem notat Quid sit res, sed *confusè, & indeterminatè*, ideóq; illam essentiam quæ Speciei cum alijs communis est. Differentia verò notat quid sit res, *distinctè & determinatè*, ideóque illam essentiam quæ propria est huic speciei, nulli alteri communis. Ex quo fit vt Differentia (sæpenumero, simpliciter Quidditas dicatur; non quod ea sola sit, sed quod sit præcipua pars Quidditatis. Vnde Arist. 2. Demonst. cap. 13. nu. 3. formam (quæ re idem est cum differentia) Quidditatem vocat. Hæc de priori particula. *Differentia pars Quidditatis.*

Altera particula est, quod *Differentia prædicetur de pluribus differentibus vel Specie vel Numero tantum.* Satis est enim ad Differentiam si alterutro modo prædicetur. Quod si quæras, quænam Differentiæ de differentibus Specie, & quænam de differentibus Numero tantum, prædicentur, illud facile ex Speciebus quarum sunt differentiæ cognoscitur. Nam omnes Differentiæ quæ sunt propriæ Infimæ alicuius speciei, tantummodo de differentibus Numero tantùm, vt & ipsæ species prædicantur: vt Rationale. Omnes autem differentiæ *De quibus Differentia prædicatur.*

Specierum subalternarum prædicantur, vt & illæ Species Subalternæ, tam de differentibus specie, quam de differentibus Numero tantum, vt Animatum, Sensibile.

Differentia immediatè de vno prædicatur.

Illud tamen obseruandum est de omnibus, quod omnis Differentia proximè & immediatè non de pluribus sed de vno prædicatur, nempe de illa Specie quam proximè constituit, vt Animatum, de Viuente, Sensibile de Animale, Rationale de Homine: Mediatè verò & remotè, (mediante nempe illa Specie quam constituit,) prædicatur de pluribus, nempe de illis omnibus, de quibus illa Species prædicatur, siue differant Specie, siue Numero tantum. Vt Animatum de Animali & Planta, itemque de Homine & Bruto, déque Socrate & Bucephalo.

Secunda definitio Differentiæ.

Secunda definitio Differentiæ est hæc. *Differentia est Vniuersale, qua Species superat suum Genus.* Quod a Porphyrio satis obscure positum, ita declaratur. *Illud dicitur superare aliud, quod plus continet quam aliud:* tunc enim superat in continendo. Quia verò Genus vno sensu continet plus quam Species; & Species alio sensu continet plus quam Genus, ideò vt ista diuersitas rectè intelligatur, obseruanda est hæc distinctio.

Continere aliud capitur dupliciter.

Vnum dicitur continere Aliud dupliciter.

Aliud, quod continet aliud in se, & in sua essentia; sic species continet omnes suas differentias constituentes, & omnia inferiora continent hoc modo omnia sua superiora.

Potestate quod continet Aliud vel in suo ambitu, vel directe sub se; id est, quod ita aliud continet, vt vel ad illud, vel per illud ad aliud restringi possit. Ita Genus continet omnes suas differentias diuisiuas, quia illas suo ambitu complectitur, & per illas ad species restringi potest: continet etiam Genus hoc modo omnes suas Species, & Individua, quia sub Genere directe continentur, & hoc sensu superiora omnia cõtinent omnia sua inferiora; sic Substantia continet Corpus, Viuens, Animal, Hominem, Socratem.

Quomodo Genus continet plus quam Species.

Hinc iam facile liquet quomodo vel Genus continet plus quam Species, vel Species plus quam Genus. Nam *Genus continet potestate, plus quam vlla species continet potestate, imo plus quam omnes ipsius species.* Vt Animal potestate continet irrationale, quod Homo non continet, & Rationale quod Brutum non continet: ita continet plus quam alterutra ipsius Species: continet etiam Animal potestate & sub se Hominem & Brutum: at neutra species ipsius continet sub se, vel Hominem vel Brutum, nihil enim seipsum sub se continet, quare continet plus hoc modo quam omnes illius Species.

Species

Species autem alia et in sua essentia continet plus quam Genus alia et in sua essentia continet. Nam Homo continet Rationale in sua essentia et etiam Animal; Animal verò neq; Rationale neq; Animal in sua essentia continet. *Quomodo species continet plus quam Genus.*

Ex hoc rursus liquet quomodo et genus superat speciem, et species genus. Nam loquendo de *continendo potestate aq; in suo ambitu*, sic Genus superat omnes suas species: loquendo autem de *continendo alia et in sua essentia*, sic species omnis superat suum genus. Et hoc posteriori sensu loquutus est Porphyrius cum dixit, *Speciem per Differentiam superare Genus*. *Quomodo Genus superat speciem, aut contra.*

Tertia definitio *Differentiæ* est hæc. *Differentia est vniuersale, quâ vna species ab alijs omnibus essentialiter distinguitur.* Vt per Rationale distinguitur Homo ab alijs omnibus speciebus. Per risibile etiam ab omnibus alijs distinguitur, sed accidentaliter non essentialiter. *Tertia definitio Differentiæ.*

Quæres, cur dicatur Speciem a Specie distingui per Differentiam, non autem genus a genere? Hoc fit duplici de causa. Primò, Quia omnes omnino species per differentias essentiales distinguuntur ab alijs rebus omnibus: Sed omnia genera per tales differentias non distinguuntur, cum nulla summa genera habeant vllas differentias essentiales per quas distingui possint. Secundò, quia etsi genera subalterna distinguantur per differentias, tamen non distinguuntur per illas quatenus sunt genera et constituunt, sed quatenus sunt species et constituuntur. *Dub.* *Sol.*

Quod si quæras vlterius, Quomodo summa genera distinguuntur si non differentijs: aut quomodo differre possunt a se inuicem, si non differentijs; Quicquid enim ab alio differt, id aliqua differentia differt. *Dub.*

Respondeo, *Summa genera, vt etiam alia omnia quæ sunt naturæ simplicis, qualia sunt omnes formæ* (excepta sola Anima Rationali) *et omnes differentiæ; Hæc et huiusmodi omnia differunt seipsis, id est, sunt simplicibus essentijs, non autem vllis essentialibus differentijs.* De Generibus summis res perspicua est. Nam si haberent differentias aliquas constituentes; quia omnis differentia quæ speciem constituit, etiam diuidit Genus; sequeretur esse supra illa Genera, alia genera quæ per istas differentias diuiderentur, et tum non essent summa genera. De differentijs etiam et formis hinc probari potest. Si sensibile v.g. differat ab alijs rebus per aliam differentiam, tum illa secunda differet etiam per aliam tertiam, et illa tertia, per quartam, et quarta, per quintam; et tum vel procederetur in infinitum in istis differentijs, vel alicubi sistendum est. Si dicas progressum in infinitum fieri, sequetur nihil omnino posse ab alio differre, quia priusquam hoc ab illo per istam differentiam differat, oportet ipsam illam differentiam per secundam, et secundam per tertiam, et ita in infinitum distingui. Infinita autem pertransiri nunquam possunt, quare nihil omnino posset ab alio distingui. Si dicas, *Sol.* *Quomodo summa Genera differant.* *Quomodo differentiæ inter se differunt.*

sistendum esse alicubi, tum facendum est illam differentiam in qua sistitur, non differre ab alijs rebus per aliam differentiam, sed per seipsam solummodo. Et quia nulla ratio fingi potest cur hoc dicatur de centesima, vigesima, decima, aut secunda, potius quam de prima illa quam sumpsi differentia, efficitur, primam illam per se ipsam ab omnibus alijs rebus differre, non per aliam priorem & essentialem differentiam.

Quando autem dicitur, Quicquid *differt ab alio, illud per differentiam aliquam differt*, id intelligendum est de ijs quæ composita sunt, quæque differunt per alia, non autem seipsis & sua simplici natura distinguuntur. Nam quæ seipsis solum distinguuntur, : summa Genera, & omnes formæ & differentiæ, ea verissimè inter se & essentialiter differunt, & tamen non alijs differentijs, vt iam probatum est differre possunt.

Quid sit Differentia satis liquet, Quotuplex sit nunc videamus.

Differentia divisiua & constitutiua.

Differentia est duplex.

- *Divisiua quâ Genus in suas species diuiditur*; sic corporeum & incorporeum sunt differentiæ diuisiuæ Substantiæ. Animatum & Inanimatum, corporis misti. Sensibile & Insensibile, viuentis. Rationale & Irrationale, Animalis.
- *Constitutiua quâ species aliqua siue Subalterna siue Infima constituuntur.* Talis autem differẽtia constituit Speciem vel
  - *Proxime & Immediate, & respectu huius vocatur differentia Specifica*; talis est Animatum viuentis, Sensibile, Animalis, Rationale Hominis.
  - *Remote et mediante alio, et respectu huius vocatur differentia Generica*; sic Animatum est differentia generica Animalis, et Hominis, quia mediante viuente constituit Animal, et mediante tam viuente quam Animali constituit Hominem.

Ex his, quatuor conclusiones necessariò et euidenter consequuntur.

1. Quod *omnis differentia est & constitutiua & diuisiua, sed diuerso respectu*, nam dicitur constitutiua respectu speciei quam constituit; dicitur diuisiua respectu Generis quod diuidit.

2. Quod *omnis Differentia est Specifica, sed omnis non est Generica.* Ratio manifesta est, quia omnis Differentia constituit aliquam Speciem proxime & immediate : sed multæ Differentiæ, (omnes nempe quæ proxime constituunt vllam speciem Infimam) non constituunt vllam speciem remotè : quia infra infimam speciem nulla est alia species.

3. Quod

3. Quod *omnis Species, sive sit Infima, sive Subalterna, habet veram & unam differentiam Specificam, plurima autem species habent multas differentias Genericas.* Vt Homo & Brutum, habent Sensibile, Animatum & Corporeum.

4. Quod *quicquid habet veram Differentiam divisuam est Genus. Et quicquid habet veram differentiam constitutivam est Species.* Ratio est quia vera & essentialis Differentia nihil dividit nisi Genus, & nihil constituit nisi speciem.

Quid & Quotuplex sit Differentia diximus, Sequuntur Proprietates.

Proprietates Differentiæ.

1. *De nulla Differentia prædicari potest Genus, neque illud quod per illam differentiam dividitur, neque ullum aliud Genus.* Hoc expresse docet Arist. 6. Top. cap. 6. nu. 12. Et Lib. 3. Metap. cap. 3. vbi ait, *Si Ens, vel unum, esset Genus, sum nulla differentia esset vel Ens vel unum.* Atq; hoc diligentissime observandum est, quia magno in vsu esse solet. Ratio autem huius est ista. Quia si Genus vllum de differentia diceretur, tum differentia illa esset Species illius Generis: si esset Species, haberet aliam differentiam se constituentem, & tum esset differentia differentiæ, quod impossibile esse paulo ante docuimus.

2. *Nulla differentia est directe in serie Prædicamentali sed solum a latere & indirecte.* Sequitur ex primam: nam si directe esset in serie, tum Genus summum de ipsa diceretur. Ea enim dicuntur esse directe in serie, quæ vel sunt summa Genera, vel de quibus summa Genera prædicantur.

3. *Omnis differentia est pars essentialis suæ speciei, eorumque omnium de quibus species dicitur.* Patet ex prima definitione, quia omnis differentia exprimit Quidditatem rei. Omnis autem pars Quiddicatis est pars essentiæ.

4. *Omnis differentia est prior naturâ sua specie quam constituit.* Sequitur ex tertiam: nam omne essentiale prius est naturâ eo, cui dat essentiam.

5. *Omnis differentia æqualiter prædicatur de omnibus de quibus prædicatur, nec de vllis secundum magis & minus.* Hoc expresse habetur apud Porph. cap. 15. nu. 4. & cap. 14. nu. 1. Et ratio manifesta est, quia nullius rei essentia gradus admittit, ita vt vni magis quam alteri conueniat: vti ex Arist. supr. in Cap. de Genere monuimus. Quare etsi vnus Homo magis vtatur ratione quam alius, (quod vel ex temperie cerebri, vel ex educatione, aut doctrina, & vsu fieri potest) tamen vnus alio non est magis rationalis, id est, non magis habet Animam rationalem aut non est magis potens ratiocinari quam alius.

6. *Omnis differentia reciprocatur & convertitur cum illa Specie quam proxime constituit.* Reciprocari autem dicuntur illa, quæ æque patent, ita vt de quocunque vnum prædicetur, de eodem prædi-

cetur & alterum. Vt Omnis Homo est Rationalis, & Omne Rationale est Homo.

Hæc ad explicationem Differentiæ sufficere possunt. Libet tamen vnum hic addere, de exemplo illo omnium vulgatissimo (Rationale intelligo.) An ea enim vera & Genuina Differentia sit, meritò dubitari potest.

An Rationale sit Differentia vel Proprium.

Et primò quidem videtur inter Propria recensendum. Est enim Rationale nihil aliud, quam potentia naturalis, seu facultas ratiocinandi: sicut risibile est potentia naturalis ridendi; & disciplinabile, facultas seu potentia naturalis disciplinas imbibendi.

Et sicut hæ potentiæ fluunt ab Anima Rationali, ita etiam potentia ipsa ratiocinandi ab eadem anima emanat. Quare cum Risibile, & similes potentiæ sint verè Accidentia Propria posita in quarto Prædicabili, & collocata in secunda specie Qualitatis, nempe in Naturali potentia, videtur & Potentiam hanc ratiocinandi, in eodem Prædicabili, & eâdem Qualitatis specie iure collocandam esse.

Respondeo, vtrumvis recte dici posse, nam

Rationale capitur dupliciter.

- *Vel pro ipsa Anima Rationali à qua potentia & facultas ratiocinandi fluit*, & tum est Substantia non Accidens, & Differentia Hominis non Proprium.
- *Vel pro potentia & facultate ratiocinandi qua fluit ab Anima Rationali*, & hæc est Proprium Hominis non Differentia, & Accidens locatum in secunda specie Qualitatis, non Substantia nec essentia Hominis.

Hinc iam liquet Rationale pro diuersa vocis acceptione *vel Differentiam dici posse vel Proprium.* Quamvis autem si nomen ipsum spectes, iuxta vocis Proprietatem (quæ facultatem Ratiocinandi denotat) rectius, vt ego quidem sentio, inter *Propria* numerandum sit, et Differentia Hominis, per *præditum Anima Rationali*, exprimi deberet: tamen quia rectissime præcipitur, *Loquendum esse cum vulgo, sed sentiendum cum sapientibus*: ideo dicamus cum vulgo Rationale esse differentiam, sed dicamus eo sensu quem declarauí, quem solum Philosophis approbatum esse non dubito. Idemq; de sensibili, vegetabili, bus dicendum.

An Angelis sint rationales.

Secundò dubitari possit, An soli homini rationale conueniat: Si enim non soli, neque differentia ipsius, nequé proprium dici potest. Et videntur quidem Angelis conuenire tam bonis quam malis, vtroq; enim Rationales esse, et ratione vti, nemo fortasse dubitet, cum tanta et cognitione & intelligentia præditi sint, vt *Intelligentiæ* & *Daemones*, 1. Scientes, meritò appellentur. Quin & actu ratiocinatos esse & rationes texuisse plurimis exemplis liquet. De Bonis illud, Matth. 1. *Vocabis nomen eius Iesum, Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis.* De malis illud, Matth. 4. Vbi Dæmon probat Christum posse tutò se

a

a vertice templi præcipitare, *Scriptum est enim, Angelis tuis mandauit de te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Vis de Ethnicis exemplum? Ex omnibus cape vnum illud de Porphyrio, qui cum esset Dæmonum cultor & propugnator acerrimus, cumque frustra magicis Artibus vxorem suam (quæ Christiana erat) a fide reuocare tentasset, Apollinem adit, consulit, quo id tandem modo efficiat? Respondit Dæmon non posse fieri vt *ipso errore* pollutæ revocetur: fidem autem Christianam *errorem esse, et pollutionem* probat impurus dæmon ex eo, quia crederent eum esse Deum *qui mortuus affectus esset, idque iusta Iudicum sententia.* Quod, aliaque multa non dissimilia ex ipsius Porphyrij libris citat August. lib. 19. de Ciuit. dei. cap. 23. Cum igitur Angelis rationale conueniat, quomodo Hominis esse potest vel differentia, vel proprium?

Vt hoc expedianus, ante omnia monendum est non esse cur quisquam Porphyrium in hac causa moretur. Is *enim sensit Angelos, ipsumque deum* (vt cap. de differ. nu. 13. liquet) *non solum rationales esse, sed & Animalia, & corpora, nec aliter ab hominibus, quam per immortalitatē differre.* Dixi eum hoc sensisse, nam quod nonnulli eum excusare velint, quasi id non ex sua sententia dixerit, lateremque plane lauant & Æthiopem. Fuit enim *Porphyrius*, (vt et Iamblicus, & Plotinus, & Apuleius) *scitæ Platonicæ*, vt testatur August. lib. 8. de Ciuit. dei. cap. 12. Eorum autem sententia fuit *Animalia in tria genera diuidi, in Deos, Homines, Dæmones.* Vt ex Platonicorum scriptis declarat idem August. lib. eodem. cap. 14. Et Dæmones definiebant esse *genere animalia, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna*, ibid. cap. 16. Verè igitur ita sensit, ideoque erranit grauissimè Porphyrius. Si quid vspiam simile apud Aristo. occurrat, certe is ex aliorum, non sua sententia, idque exempli causa (in quibus veritas stricte non est exigenda) posuisse dicendus est. Nam Aristotele nemo omnium philosophorum imo nec omnium Ethnicorum, rectius aut diuinius de Deo, et Intelligentijs scripsit, vti ex 12. Metap. alijsque ipsius libris liquet. *Porphyrij error.*

Multis illa trita responsio arridet de rationali *Intuitiuo & discursiuo.* Dicunt enim cognitionem *discursiuam* proprium esse hominis, cognitionem verò Angelorum non discursiuam esse sed *Intuitiuam.* Quod responsum ab Aquinate haustum, minutiores scholastici (propter famam & authoritatem Thomæ fortassis) amplexati sunt. Is enim part. 1. q. 58. art. 1. docet *Angelos non discurrendo a noto ad ignotum, sed intuendo, res sine discursu cognoscere.* Intuentur autem res vt ille putat, partim *in Deo*, in quo velut in *Speculo* multa vident; partim *in speciebus connatis*, quas cum intuentur, non modo illa, quæ per species illas repræsentantur sciunt; sed et omnia quæcunque ex ijs concludi possunt et colligi, simul et vno intuitu sine vllo discursu conspiciunt. Et quia ratiocinari, proprie est a noto ad ignotum discurrere, ideo Angelos qui intuendo vident res, negant ratiocinari aut rationales esse, sed rectius *intelligere* eos dicunt, ideoq; *Intelligentias* vocari. *Rationale Intuitiuum et Discursiuum.*

Verùm ista responsio non soluit dubium. Nam etsi verum sit Angelos multa solo intuitu videre, non tamen omnia quæ sciunt vident, neque in Deo, neque in connatis speciebus. Non in Deo, tam licet is sit *speculum omnium luce dissimum*, in quo omnino omnia videri possunt, est tamen speculum *voluntarium* non *Necessarium*: id est, tale speculum quod repræsentat alijs ea tantum quæ ipse vult ab alijs videri, non autem omnia quæ in ipso sunt et videri possunt. Non in speciebus connatis. Nam ex iis *impossibile est futura contingentia, multa mirum voluntates & arcana cordis ac cogitationes hominum colligere*: hæc tamen ipsa & post euentum sciunt Angeli, & antequam eueniant ex signis, ex causis, ex coniecturis colligunt, vt perspicuè docet August. Lib. 9. De Ciuit. Dei, Cap. 22. quod ipsum Aquinas agnoscit, part. 1. q. 57. art. 3. & 4. Quare certum est Angelos non *Intuitu* solum, sed *discursu* res cognoscere, & a noto ad ignotum ratiocinando peruenire: ideoque *Rationale discursiuum* ipsis competere non minus quam Hominibus, cuius vsum in exemplis ante adductis, perspicue exhibent.

Verissima & omnium facillima responsio mihi hæc esse videtur: Rationale seu facultas ratiocinandi duplex est, *Vna quæ oritur ex sensitiua cognitione, quaque per phantasmata recepta a sensibus exercetur*, & hæc omni solique homini conuenit, non Angelis, non ipsis Animabus separatis. Altera *quæ ex ipsa natura intellectuali spirituum emanat, quæ ex sensu non oritur, neque per phantasmata sensibilia exercetur*, & talis facultas omni spiritui qua spiritus est, tam Angelis quam Animis separatis conuenit. Hæc ergo *Spiritus*, illa Hominis *propria est*. Sed satis multa de Differentia.

CAP. VI.

De Proprio.

QVartum Prædicabile est Proprium; cuius vocis variæ sunt acceptiones, quæ ante omnia explicandæ sunt.

Acceptiones Proprij.

Proprium aliquid dicitur 4. modis.

1. *Quod conuenit omni sed non soli*, vt posse mederi, & progredi, aut bipedem esse, Homini.
2. *Quod conuenit soli, sed non omni*, vt mederi ex arte, Homini.
3. *Quod conuenit omni & soli, sed non semper*, vt Homini canescere, ridere.
4. *Quod conuenit omni, soli, & semper*, vt risibile Homini.

Omnia

Omnia quæ vllo horum quatuor modorum propria dicuntur sunt *Accidentia*, & extra essentiam eius cui conueniunt. Omnia quæ primo, secundo, & tertio modo propria vocantur, sunt *Accidentia communia* & ad quintum Prædicabile spectant, non ad hoc quartum. Ea *solum in hoc quarto Prædicabili collocantur quæ sunt Propria quarto modo*, & nomine Proprij (nisi aliud quid addatur) ea sola intelligenda sunt.

De ijs igitur solis hoc capite agendum est.

De Proprio tria declaranda sunt. { 1. Quid sit, 2. Quotuplex. 3. Quæ eius Proprietates.

Proprium duobus modis definiri solet, primo sic. *Proprium est Vniuersale quod conuenit omni, soli, & semper, accidentaliter & necessario*, vt risibile, & flebile Homini; posse sentire Animali, posse nutrui viuenti. 1. *Definitio Proprij.*

Per primam Particulam (*Vniuersale*) excluduntur Individua: per secundam (*conuenit accidentaliter*) excluduntur Genus, Species, & Differentia; nam illa omnia essentialiter conueniunt eis de quibus prædicantur. Per tertiam (*conuenit necessario*) excluditur Accidens, quia illud conuenit contingenter non necessario. Cum autem dicitur *conuenire soli*, intelligitur soli isti speciei cuius est proprium: cum dicitur *conuenire Omni*, intelligitur, omni Individuo illius speciei.

Vnica verò particula hic explicatione indiget, quid sit nempe conuenire alicui *necessariò*, & quid *contingenter*, quod vt intelligatur diligenter obseruanda est hæc distinctio.

Eorum quæ Accidentaliter alicui conueniunt,

- *Alia consequuntur essentiam & formam subiecti, & ab ipsius natura profluunt ac emanant*, ita vt impossibile sit, illam formam & essentiam alicui conuenire, quin illa accidentia ei conueniant, et hæc dicuntur conuenire *Necessariò*. — Quid sit contingenter, nare Necessario, aut contingenter.
- *Alia non consequuntur essentiam aut formam subiecti illius cui conueniunt, sed alias extrinsecas causas quæ forsan contingunt.* Vt doctrina sequitur non naturam hominis, sed institutionem & industriam. Nigredo Æthiopis non sequitur naturam ipsius, nam tum omnes homines essent nigri, sed vel temperaturam, vel situm: & hæc dicuntur conuenire *Contingenter*.

Hinc iam liquet quo sensu *Proprium dicatur conuenire suo subiecto aut Speciei cuius est Proprium, necessariò*. Nam omnia Proprij naturam ipsam & essentiam subiecti sui insequuntur, ab eáque emanant;

ideóque nulli convenire potest, aut attribui illa natura, quin Proprium eam insequens eidem attribuatur. Et quidem *necessario convenit* subiecto, quia causa cur ei conueniat est *ipsa essentia subiecti*. Contrà fit in omnibus *Accidentibus communibus* quæ ponuntur in quinto Prædicabili; Illorum nullum hoc pacto necessariò conuenit suo subiecto: quia nunquam a natura & essentia subiecti fluunt, sed ab alijs causis, quæ contingunt illi naturæ, & ab eâ separari possunt, proueniunt.

Dub. Dices, non Proprium solum, sed multa alia necessariò conuenire ijs quibus conueniunt. Nam Genera omnia, Species & Differentiæ necessario conueniunt omnibus de quibus prædicantur. Multa etiam Accidentia quinti Prædicabilis, vt nigredo corvo, albedo cigno, & omnia quæ inseparabilia vocantur, necessariò conueniunt. Illa enim necessariò conueniunt, quæ *aliter se habere non possunt, vel quæ non possunt non conuenire*: at quæ inseparabilia sunt non possunt non

Sol. conuenire, si enim possent non conuenire, essent separabilia. Respondeo, Genus, Species & Differentia *necessariò* quidem conueniunt, sed plus etiam quam necessariò, nam *essentialiter* conueniunt. Nos autem hic loquimur de illa necessitate quæ minor est essentiali, quæque inter accidentia reperitur. Ad alteram instantiam dico, Necessariò conuenire, sumi dupliciter, vel *generaliter pro omni eo quod inseparabiliter conuenit*, & hoc sensu omnia accidentia inseparabilia quinti prædicabilis, dici possunt necessario conuenire. Vel *specialiter ac proprie, pro eo quod ita inseparabiliter conuenit suo subiecto, vt causa quare non separetur, sit ipsa forma aut essentia subiecti, quoniam illam insequitur*: & hoc sensu solummodo Propria, *necessariò* conueniunt, nulla verò *Accidentia quinti Prædicabilis*: nam causa cur hæc non separantur, nunquam est essentia subiecti, sed alia extrinseca & externa causa.

Potest etiam hoc discrimen inter Propria & Accidentia inseparabilia quinti Prædicabilis aliter exprimi hoc modo.

Alia *ita necessaria sunt, vt nec subiectum ijs carere possit, nec concipi cum contrario accidente sine iniuria fieri.* Sic omnia Propria necessaria sunt; nam si homo careret potentia ridendi, tum careret etiam animâ rationali à qua fluit: & si concipias hominem cum impotentia, aut ineptitudine ad ridendum, implicas contradictionem: quia concipis eum esse rationalem; ideoque potentem ridere, & simul concipis eum non esse rationalem, cum non sit potens ridere.

Aliter Propria, aliter Accidentia Necessaria dicuntur.

Eorum quæ Necessario, id est, inseparabiliter conveniunt,

Alia *ita necessaria sunt, vt tamtis nunquam subiectum eis actu careat, tamen nulla fieret iniuria naturæ & essentiæ illius subiecti si vel actu careret illo accidente, vel concipiatur habere contrarium accidens*: sic nigredo convenit Corvo, & Æthiopi, & omnia illa accidentia quinti Prædicabilis quæ inseparabilia dicuntur, nulla enim omnino iniuria fieret humanæ naturæ si Æthiops candidior nive esset, vel si concipias eum esse tam candidum. Idem dicendum de Corvo, omnibusq; similibus. Cuius ratio manifesta est: quia cum Accidentia ista non insequuntur naturam subiecti, subiectum ex sua natura æquè admitteret candorem atque nigredinem, virumvis enim sine essentiæ damno inesse potest.

Atque hinc solvitur illa difficultas, *an Subiectum possit concipi sine suo Proprio, vel an Proprium intellectu saltem à suo subiecto separari possit*: Dicendum enim est vtrumque posse fieri, si recte capias hos terminos. Nam quod prius est naturâ, potest concipi sine actuali conceptu posterioris, cum in illius conceptu posterius non includatur: ideoque etiam Posterius potest intellectu separari a priori, quia potest intellectus cogitare prius, non cogitando actu de posteriori. Exempli gratia, E.g. Potest quis concipere Hominẽ in sua nuda essentia nihil omnino actu cogitando de potentia ridendi: & tum intellectu separavit potentiam ridendi ab homine; Sed concipere hominem carere hac potentia ridendi, aut habere impotentiam atque ineptitudinem ad ridendum, impossibile est. Hoc enim cogitare implicat manifestam contradictionem: nam in eo ipso quòd est rationalis, habet in se radicem ac necessariam causam à quâ fluit, & in quâ implicite continetur potentia ridendi: quare si quis cogitare posset hominem carere hâc potentia, æque cogitare posset hominem esse rationâlem, & non esse rationalem, vel esse Hominem & non esse hominem. Solent hoc Logici, & quidem aptè satis, hac distinctione exprimere in hunc modum.

An Subiectum concipi possit sine Proprio.

Intellectus Simplex & compositus.

Intellectus est duplex.

Simplex, quo concipitur res in sua nuda essentia, nihil actu cogitando de vllo eorum quæ sequuntur essentiam, & sunt posteriora subiecto. Et tali intellectu potest subiectum concipi sine Proprio, & Proprium separari à suo subiecto.

Compositus, quo subiectum concipitur non in sua nuda essentia, sed coniunctum cum carentia huius accidentis: aut cum inhærentia contrarij, vt si intelligas hominem cum ineptitudine ad ridendum. Et tali intellectu subiectum nunquam potest concipi sine Proprio, nec Proprium separari à suo subiecto.

Ex his abunde liquet quomodo Proprium ab Accidente quinti Prædicabilis differat. Proprium semper *insequitur essentiam* sui subiecti, *Accidens nunquam*; Proprium nullum separari a subiecto potest *Intellectu composito*, sed tantum *Simplici*. Accidens omne potest separari à subiecto non solum *Intellectu simplici* sed *composito*. Omne itaque Proprium necessariò, omne Accidens contingenter convenit ei cui inest. Hæc de priori definitione.

Secunda Definitio Proprij.

Altera definitio Proprij est hæc. *Proprium est Vniuersale quod prædicatur de pluribus differentibus vel Specie, vel numero tantum, in quale accidentaliter & necessario.* Vt Sensibile, Risibile. Omnes autem particulæ huius Definitionis ex iis quæ iam diximus manifestæ sunt. Id vnum notandum est, quod omne Proprium prædicatur *immediate de vno tantum* vel genere, vel Specie, cuius est Proprium; *mediate verò, (mediante nimirum illo Genere vel Specie) prædicatur vel de pluribus Speciebus*, vt sensibile de Homine & Bruto; vel de pluribus tantum Indiuiduis, vt risibile de Socrate & Platone.

Quid sit Proprium videmus. Quotuplex iam sit dicamus.

Proprium Genericum & specificum.

Proprium est duplex.

Genericum quod fluit ab essentia generis summi. Et hoc semper prædicatur de pluribus differentibus Specie.

Specificum quod fluit ab essentia Speciei vel subalternæ, vt potentia sentiendi; *vel Infimæ*, vt potentia ridendi: & si ab essentia Speciei subalternæ fluat, prædicatur de differentibus specie; sin ab essentia infimæ speciei, tum prædicatur solum de differentibus numero tantum.

Dub.

Dubitari merito potest, de Proprijs tàm summorum Generum quam Specierum subalternarum, quænam aut qualia Prædicabilia sint respectu specierum infimarum: certum est enim ea de his prædicari; non sunt autem respectu earum Specierum, vel Genera vel species,

Species, vel Differentiæ, vel Propria vel Accidentia. Quod in vno exemplo, nempe Sensibili, respectu hominis, probari potest. Sensibile non potest vel esse Genus, vel Species, vel Differentia Hominis, quia non est Substantia, cum sit Accidens inhærens Animali. Nec etiam est Proprium Hominis, quia non convenit soli, cum etiam Brutis omnibus commune sit. Deinque Accidens quinti Prædicabilis non est respectu Hominis, cum insequatur essentiam & naturam Hominis, nempe Animam sensitivam, quæ est forma essentialis Animalis, ideoque etiam Hominis. Accidentia etiam omnia quinti Prædicabilis contingentia sunt, id est, nunquam emanant ab essentia vel propria vel communi eius subiecti cuius sunt Accidentia. Videntur igitur plura Prædicabilia quam quinque statuenda, cum ista Propria subalternarum Specierum & Generum, si referantur ad infimas species, prædicantur sine dubio de ijs, nec tamen vt vllum ex his quinque.

Respondeo, Sensibile vel potentiam sentiendi, non esse vllum ex quinque Prædicabilibus respectu Hominis, vt recte in dubio probatur. Nec necesse est vt respectu cuiusuis sit aliquod horum, sed respectu illius cui debetur, & referendum est. Nam nec Rationale respectu Socratis est vllum ex his quinque: nec risibile respectu Platonis. Et sic de alijs omnibus Differentijs & Proprijs. Et tamen omne Ens quod de multis prædicatur, est vnum ex his quinque, quia est vnum ex ijs, si referatur ad id subiectum cui proprie referri debet: sic Rationale est differentia si referatur ad Hominem, sic potentia sentiendi est Proprium si referatur ad Animal, quod est ipsius proprium subiectum. Si autem quæras quomodo prædicetur de Homine, aut quid sit respectu eius. Respondeo, Est Proprium, sed non Hominis, verùm Animalis quod est Genus Hominis, & prædicatur de Homine vt proprium, sed non vt proprium Hominis, nam ei soli non convenit, sed vt proprium Animalis, à cuius essentia cum fluat, necesse est vt necessariò prædicetur de omnibus de quibus ipsum Animal prædicatur. Accidens autem quinti Prædicabilis respectu Hominis dici nullo modo debet, quia ab essentia communi Hominis emanat; Accidens autem neque propriam, neque communem essentiam sui subiecti insequitur. Et hoc quod de sensibili diximus, de omnibus omnino Proprijs genericis, & specificis, quæ sunt propria subalternarum specierum, similiter intelligendum est. *Sol.*

Restant nunc Proprietates seu Regulæ de Proprio explicandæ.

1. *Vnicuique speciei est aliquod proprium.* Ratio est quia omnis species habet Genus & Differentiam, & ex istis semper & sine vlla exceptione fluit aliquod proprium, licet nos illud ignoremus. *Regula de Proprio.*

2. *Non solum species, sed omnia etiam summa Genera habent sua Propria, quæ fluunt ab ipsa simplici eorum essentia;* sic Substantiæ Proprium

est, esse vltimum subiectum Accidentium Quantitatis, facere subiectum cui inest æquale aut inæquale.

3. *Vnius Generis aut Speciei possunt esse multa Propria.* Ratio est, quia etsi natura rei & essentia vna sit, multa tamen efficere & causare illa vna essentia potest. Sic ab Anima Rationali, fluit potentia ratiocinandi humano more, potentia volendi humano more, potentia loquendi, potentia ridendi, & flendi, & quam multa alia.

4. *Omne Proprium fluit ab essentia subiecti illius cuius est Proprium, vel immediate vel mediate: sed non omne fluit ab ea immediate.* Ratio est, quia vnum Proprium, potest ex alio Proprio eiusdem Speciei, vt ab immediata causa manare. Sic ex potentia ratiocinandi, immediate fluit potentia loquendi, vel conceptus mentis per voces & externa signa exprimendi: ex hac immediate fluit potentia docendi artes & scientias alijs, & potentia eadem ab alijs discendi. Iterum ex Anima Rationali fluit potentia ratiocinandi; ex hac, potentia libere volendi; ex hac, potentia bene vel male agendi; ex hac, potentia beatitudinem aut miseriam assequendi. Iterum ex potentia ratiocinandi fluit potentia apprehendendi res lætas & tristes, decoras & indecoras: ex hac, potentia ridendi, seu per risum lætitiam Animi exprimendi. Et contra in tristibus dolendi, & flendi.

5. *In rebus simplicibus essentia ipsarum simplex, in compositis aut forma, aut id quod formæ proportionem habet, est causa omnium proprietatum, & causat efficiens earum, sed non per physicam & externam actionem, sed per simplicem emanationem, sic vt tali forma aut essentia posita, necessario inde profluant omnes proprietates illius subiecti, haud aliter quam a sole promanat lux, ex ipsius Solis natura sine alia vlla externa actione.*

6. *Nullum Proprium (loquendo stricte & proprie) est de essentia illius cuius est Proprium,* quia non constituit illud subiectum, nec est naturâ prius, sed posterius suo subiecto: sed si abusiue & improprie loqui velis, licet dicere, omnia propria esse *de essentia suo subiecti*, ita nimirum vt *consequantur & necessario concomitentur ipsius essentiam*, & hoc sensu ea *essentialia* vocat Zab. comment. in lib. 1. Demonst. cap. 6. text. 52.

7. *Omne Proprium conuertitur seu reciprocatur cum suo subiecto:* constat ex definitione prima, quia proprium conuenit & omni, & soli, vt omne Risibile est homo, & Omnis homo est risibilis.

8. *Omne Proprium æqualiter prædicatur de omnibus quibus conuenit de nullo magis aut minus quam de alio.* Ratio est quia essentia ipsa (a qua proprium fluit) est æqualis in omnibus, nec vllos gradus admittit. Vt cap. de Genere, Reg. 5. & cap. de Differ. Reg. 5. diximus. Ridet quidem vnus magis alio: magis quam Socrates, quem eodem semper fuisse vultu, eoque grauiore, testatur Cicero lib. 3. Tusc. quæst. magis quàm M. Crassius, quem semel in omni vita risisse, ex Lucilio testatur Cicero loc. eodem, & Plinius, natur. hist. lib. 7. cap. 19. ideoque ἀγέλαστος dictus est: magis quam Heraclitus, quem

semper

semper fleuisse, & nisi semel risisse, cum asinum cardnos comedentem videret, ait Hieron: magis quàm Niobe, quæ propter æternum in luctu silentium lapidea fingitur: Risere inquam alij plus magisq; quam isti, sed illi tamen æquè erant Risibiles, æquè inquã ac Democritus ipse, qui humana omnia vt inepta, perpetuò risit. Sicut etiam vnus magis ratiocinatur & vtitur ratione, quàm alius, vt Aristoteles magis quam Chorœbus; sed rationales, seu apti ad ratiocinandum æquè sunt omnes, Chorœbus æque ac Aristoteles.

9. *Propria aliqua ponuntur directè in Prædicamento*, vt illæ omnes quæ sunt potentiæ naturales: quales sunt potentiæ ridendi, flendi, sentiendi, appetendi, vegetandi, & fortasse omnia Propria substantiarum: *Alia verò non ponuntur directè in vllo prædicamento, sed ad illud reducuntur in quo subiecta sua collocantur*, vt Quantitatis proprietates ad Quantitatem; Qualitatis, ad Qualitatem. Hoc ex eo liquet, quia si proprium potentiarum naturalium, verbi gratia, Risibilis, esset directè in Qualitate, tum species esset: ideoque & aliud proprium haberet: & quia illud Proprium esset directè in serie, illius etiam aliud proprium esset; (nam vniuscuiusque speciei est aliquod proprium ex reg. prima) & hic aut procederetur in infinitum, quod est impossibile: aut veniendum ad aliqua propria quæ non sunt species vllius prædicamenti, ideoque nec directè in vlla serie, sed solum reductiuè.

Ac de Proprio hac dicta sint.

Cap. VII.

De Accidente.

SVperest vltimum Prædicabile, nempe Accidens, cuius variæ acceptiones primò explicandæ sunt.

Accidens sumitur dupliciter:

- *Generaliter pro omni eo quod non est de essentia eius cui coniungitur*; sic Homo est Accidens seruo, quia non est de essentia serui, vt Arist. ait cap. de Relat. num. 14. Sic homo est accidens Animali, et omnia inferiora respectu suorum superiorum.
- *Specialiter pro eo solum quod inhæret in subiecto*, & hoc est duplex: nam inhæret vel
  - *Necessariò, seu sic vt non fluat ab essentia eius cui inhæret*, et hoc est Proprium, et locatur in quarto Prædicabili.
  - *Contingenter, sic vt non fluat ab essentia eius cui inhæret, sed ab extrinseca causa proueniat*; et hoc vocatur *Accidens Commune*, aut *Contingens*, et ponitur in hoc quinto Prædicabili.

Acceptiones Accidentis.

De Accidente generaliter ſumpto nihil hic eſt nobis negotii, nam vnumquodque prædicabile Accidens in eo ſenſu eſſe poteſt. De Accidente *neceſſario* diximus in Cap. de Proprio, Nunc ergo ſolum *de Accidente communi vel contingenti agendum eſt, quia hoc et nullum aliud ad quinium Predicabile ſpectat.*

De Accidente tria declaranda ſunt. { Primo, Quid ſit. Secundo, Quotuplex ſit. Tertio, Quæ eius Proprietates.

Prima Accidentis definitio.

Accidentis tres definitiones ponuntur, prima eſt hæc, *Accidens eſt Vniuerſale quod prædicatur de pluribus differentibus vel ſpecie, vel numero tantum, in quale accidens aliter & contingenter.* Vt niger prædicatur de Æthiope & corno quæ ſpecie: doctus de Socrate & Platone qui numero tantum, differunt.

In qua definitione 4. ſunt particulæ, per primam [*vniuerſale*] Accidens differt ab Indiuiduo; per ſecundam [*prædicari in Quale*] differt a Genere & Specie; per tertiam [*prædicari accidentaliter*] differt a Differentia; per quartam [*prædicari contingenter*] differt a proprio. Singulæ autem particulæ antea explicatæ ſunt, vt ea repeti neceſſe non ſit.

Secunda definitio accidentis.

Secunda definitio eſt hæc, *Accidens eſt Vniuerſale, quod nec eſt Genus, nec Species, nec differentia, nec Proprium, ſemper autem in ſubiecto inhæret, contingenter non neceſſario.* Advertè verò quod cum Accidens negatur eſſe vel Genus, vel ſpecies, vel differentia, id intelligendum eſt reſpectu illius cuius eſt Accidens: ita vt illius nec Genus, nec Species, nec Differentia eſſe poſſit. Nam reſpectu aliorum poteſt eſſe quodvis horum; vt *Color* eſt *Genus* Albedinis et Nigredinis: *Albedo* eſt *Species* tum coloris, tum huius & illius albedinis: *Diſgregatiuum viſus*, eſt *differentia* Albedinis. Sed Accidens quinti Prædicabilis reſpectu nullius, nec vllo reſpectu poteſt eſſe Proprium, quia tum flueret ab eſſentia ſui ſubiecti: quod ſi ita eſſet, non prædicaretur contingenter ſed neceſſario, et ita non eſſet Accidens huius quinti Prædicabilis.

Dub. Si dicas, Accidens non ſemper inhæret in ſubiecto: nam calor iam eſt in aqua, eique inhæret; mox autem non inhæret, cum aqua frigida facta fuerit; ſic doctrina ineſt homini, ſed nec ſemper inerat, & amitti poteſt, ideoque non ſemper inhæret.

Sol. Reſponſio eſt facilis, Accidens ſemper ineſt ſubiecto, *quamdiu Accidens eſt & exiſtit*, non autem quamdiu ſubiectum eſt aut exiſtit. Quare ſi vel nondum inſit Accidens, vel amiſſum ſit cum inerat, Accidens tale non omnino eſt aut exiſtit. *Quamprimum verò eſt, & quamdiu eſt*, in ſubiecto, *inhæret.*

Tertia definitio Accidentis.

Tertia definitio eſt hæc. *Accidens eſt Vniuerſale, quod poteſt tam adeſſe, quam abeſſe ſubiecto cui ineſt, ſine ipſum ſubiectis interitu.* Vt doctrina

doctrina adesse potest homini, & abesse interim, vt homo maneat homo.

Dices, Mors et Corruptio accidentia sunt, tamen nulli adesse possunt quin intereat & desinat esse; quamprimum enim mors advenit, rollitur viuens, et quamprimum corruptio vlli rei inest, interit, & verè dicitur tum non esse. Respondeo, mortem et corruptionem non posse accidere vel viuenti vel rei quæ corrumpitur, interim vt viuens, aut res quæ corrumpitur sint, et remaneant; quare certum est ista non esse Accidentia quæ viuenti aut rei corruptæ inhærent. Sed *subiectum cui ista insunt et inhærent, est corpus in Communi, quod manet tam in Certo quam in Corrupto.* Nam Mors est privatio vitæ, et corruptio est mutatio qua, corpus quod informatum erat hac forma, iam non informatur illa forma. Corpus ergo illud in Communi vere manet sub vtroque termino, et eidem tam vita quam privatio vitæ, tam forma illius quod corrumpitur, quam carentia illius formæ adest sine ipsius interitu. *Dub.* *Sol.*

Sed multa Accidentia non possunt abesse sine interitu subiecti, vt nigredo a corvo, albedo a cigno. Respondeo, non possunt actu quidem separari et abesse, interim vt maneant subiecta: sed intellectu seiungi et separari possunt; nam verè possumus intelligere et concipere corvum in sua essentia, interim vt nihil cogitemus de nigredine, & tum nigredo separatur *simplici intellectu* a corvo: possumus etiam concipere et intelligere cum essentia et natura corvi, coniungi albedinem (quia naturam corvi non magis insequitur nigredo quam albedo,) sine vlla iniuria essentiæ corvi: et tum nigredo dicitur separari a corvo *intellectu composito.* Sed cogitare aut intelligere hunc corvum existere sine nigredine, cum reipsa insit nigredo, aut cogitare eum non esse actu nigrum cum sit, hoc non possumus, nam tum falsus & mendax esset noster intellectus. *Dub.* *Sol.*

Quid sit Accidens apparet. Quotuplex sit videamus.

Accidens est duplex.

- *Separabile, quod actu et reipsa separari potest a subiecto, manente tamen subiecto*; sic doctrina, sessio, ambulatio, actu separantur ab homine, et tamen homo manet. — *Accidens separabile & inseparabile.*
- *Inseparabile, quod licet actu separari non possit, tamen Intellectu potest, et intellectu tam simplici quam composito, et utroque quem iam dixi modo.* Ita nigredo est accidens inseparabile tum corui tum Æthiopis.

Proprietates Accidentis supersunt, quæ his regulis comprehendi possunt.

Omne Accidens quamdiu existit, inhærit in subiecto, atque ita inhæret vt

quam-

Regula de Accidente.

quo primum ab eo cui inest separatur, statim interit: Et liquet hoc ex secunda definitione Accidentis supra explicata.

2. *Nullum Accidens potest vel ab eo subiecto, vel ab ea parte subiecti cui semel inest, migrare vel in aliud subiectum, vel in aliam partem illius subiecti.* Sequitur ex prima; nam si sic migrare posset, tum sine dubio maneret Accidens post actualem separationem ab eo cui inest: hoc autem est Impossibile vt iam probatum est.

Subiectum vltimum cui Accidentia omnia inhærent, quodque Accidentia sustentat, est vel Substantia illa quæ est summum Genus, vel aliqua Species, aut Individuum vltimum. Differentiæ quidem substantiales, etiam & vnum Accidens, potest esse alterius Accidentis subiectum, vt quantitas figuræ aut coloris. Sed hæc sunt solum subiecta non vltima, seu vt Logici vocant *vltimata*, Nunquam autem sunt aut esse possunt *vltima Accidentium subiecta* ita vt sua vi Accidentia vlla sustentare possint.

4. *Omne Accidens denominat accidentaliter seu prædicatur denominative & accidentaliter de subiecto vltimo cui inest, si aptum denominativum adhibeatur.* Vt ex doctrina dicitur homo doctus, ex candore candidus. Videndum autem est diligenter vt aptum denominativum adhibeatur, nam aliter non verè denominabit; vt corruptio non denominat corpus cui inhæret *corruptum*, sed *mutatum secundum formam substantialem*. Sic cum color sit pars essentialis Albedinis, hoc relativum, pars, non denominat hominem cui color inest, esse partem: sed aliud denominativum investigandum est, vt, præditum eo accidente quod est pars. Idem dicendum de differentijs substantialibus, partes enim sunt, & hæc relatio (pars) inest non ipsis differentijs vt subiectis vltimis, sed compositis: & tamen pars non denominat compositum nisi aptum denominativum adhibeatur, scilicet præditum eo quod est pars.

5. *Nullum Accidens prædicatur vniuoce, id est, essentialiter de eo cuius est Accidens aut cui inhæret*: de alijs quorum est vel *Genus*, vt color Albedinis, vel *Species*, vt Albedo huius Albedinis, vel *Differentia* vt disgregativum visus, Albedinis, de his Accidens vniuoce & essentialiter prædicatur: sed non est horum Accidens.

6. *Multa Accidentia prædicantur secundum magis & minus de subiectis quibus inhærent*: vt nix candidior est panno: & glacies frigidior est aqua: cuius ratio est, quia multa Accidentia habent quasi latitudinem quandam, & gradus diuersos, in quorum vllo consistere & conservari Accidentis essentia potest, vt color siue sit in quarto siue in tertio, secundo aut primo gradu, æque essentiam coloris retinet; sic frigus & similia. Quæcunque igitur Accidentia, tales gradus admittunt, ea secundum magis & minus prædicantur: quæ verò his gradibus carent, non dicuntur secundum magis aut minus.

7. *Omne Accidens est posterius naturâ eo cuius est Accidens.* Nam subiectum quod sustentat aliud, prius est eo quod ei inhæret. Est enim materi-

materialis causa eius, licet non ex qua, tamen in qua, qualem Accidentia habere solam possunt.

Omne accidens praeter essentiam suam, sive simplex sit sive compositum, ex Genere & Differentia, id est, praeter internas sui causas à quibus constituitur, habet aliquam aliam etiam externam causam & efficientem a qua oritur & producitur. Vt color oritur ex admistione perspicui & opaci: albedo ex maiori abundantia lucidi quam opaci.

Accidens plene & perfecte non cognoscitur, nisi quis praeter internas illas & essentiales causas, cognoscat illam externam & efficientem causam a qua oritur ac producitur. Vt non satis est ad cognitionem Albedinis scire quod sit color disgregativus visus, nisi etiam scias cur disgreget visum; causa verò eius est lucidi abundantia: nam luce disgregatur visus, vt opacitate contrahitur.

Et hæc de Accidente: adeoque de omnibus quinque Prædicabilibus dicta sunt.

CAP. VIII.

De Definitione & Diuisione.

PRædicabilium tractatui brevem hanc Appendicem de *Definitione* ac *Divisione*, Conclusionis loco attexere visum est, quia istorum vocabulorum frequens est & multiplex visus, & sæpe tum in hoc, tum in alijs tractatibus occurrunt.

De definitione tria explicanda sunt.
1. Quid sit.
2. Quotuplex sit.
3. Quæ leges bonæ definitionis.

Definitio est Oratio, qua quam commode fieri potest explicat quid sit aliquid. Dixi, quam commode fieri potest: quia vbi Genus verum, aut vera & genuina Differentia deest, ibi adhibenda sunt alia, quæ quam commodissime eorum locum supplere possunt, ita comprehenditur hîc tum *Definitio propriè* dicta, tum Descriptio.

Definitio triplex.

- *Impropria, & accidentalis* (quæ verius Descriptio dicenda est) *in qua vel Genus ponitur vel aliquid loco Generis, cum aliquo Proprio, aut Accidente definiti, quod supplet locum Differentiæ*, vt si definias hominem esse Animal Disciplinabile.
- *Propria & essentialis, qua constat ex vero Genere, & vera differentia definiti, quæque essentiam ac naturam illius plene exprimit*, vt homo est Animal rationale.

Definitio est triplex,

- *Causalis quæ præter essentiam, exprimit causam vel efficientem, vel finalem proximam & immediatam propter quam est*, & hæc quærenda est solum in Accidentibus: vt si definias Eclipsim Lunæ, esse privationem luminis in Luna, propter interpositionem terræ inter solem & Lunam; aut Risibile esse potentiam naturalem ad ridendum & dilatandum spiritus circa cor, propterea quod quis obiectum aliquod vt indecorum ac ludicre cum delectatione animi apprehendit.

Leges bonæ Definitionis sequuntur, quæ sunt hæc.

Definitionis bonæ leges.

1. *Omnis Definitio debet reciprocari cum suo definito, ita vt nec pluribus nec paucioribus conveniat quam definitum.* Ideo enim Definitio vocatur, quia rem suis finibus circumscribit, quibus nec latior est nec strictior.

2. *Omnis Definitio est complexum re, non simplex:* Nam diuersas res continet, Genus nempe & differentiam, vel quæ supplent locum eorum. Ideóque nulla Definitio per se in vllo vel prædicabili vel prædicamento locatur, sed solum gratia partium.

3. *Quicquid propriâ & essentiali Definitione definitur, illud est Species.* Nam species sola habet verum Genus & veram Differentiam.

4. *Definitio impropria seu accidentalis cuiuis rei competere potest*, Generi, Differentiæ, Proprio, Accidenti, ipsis Æquivocis.

5. *Definitio Causalis Accidentibus solis convenit.*

Ac de Definitione hæc satis multa, sequitur Diuisio.

De Diuisione tria videnda sunt.

1. Quid sit.
2. Quotuplex sit.
3. Quæ leges sint bonæ Diuisionis.

Diuisio quid. *Diuisio est Distributio alicuius in suas partes, aut diuersas significationes.*

Diuisio

Divisio est triplex,

1. *Est Totius integralis in partes integrantes.* Vt Hominis in Caput, humeros, brachia, tibias, & cætera. Sic Substantia dividitur in primam & secundum.
2. *Est Generis in suas species per differentias essentiales, aut quæ supplent earum locum.* Vt Animal dividitur in Hominem & Brutum, per Rationale & Irrationale. *Divisionum tria Genera.*
3. *Est vocis in significationes.* Vt cum vox, *Genus*, dividitur in Genus *civile*, & *Logicum*: Differentia in *Communem, propriam*, & *maxime propriam*: Ens, in *Ens finitum* & *infinitum*, aut in *Substantiam*, & *Accidens*. Et in his Divisum semper est vox Æquivoca, & membra dividentia sunt illius vocis variæ acceptiones.

Leges bonæ Divisionis sunt hæ.

1. *In omni bona Divisione divisum debet latius patere quam ullum membrum dividens*, nam aliter in id & in alia membra dividi non possit. *Leges bonæ divisionis.*

2. *In omni bona Divisione membra omnia dividentia debent æque late patere ac ipsum divisum.* Nam aliter Divisio est insufficiens; vt si dicam, Animal est vel Homo vel Avis, mala est Divisio.

3. *In nulla bona Divisione debet unum membrum de altero quod ipsi opponitur prædicari*; nam si sic prædicentur, membra illa non sunt opposita & contradivisa, sed subordinata: quare non est recta Divisio si dicas, Substantiarum aliæ sunt vegetabiles, aliæ sensibiles, aliæ rationales.

4. *Divisio omnis si commode fieri potest, debet esse bimembris*: Sed cavendum est, ne quod nonnulli faciunt, ita simus superstitiosi in dichotomijs, vt malimus rem ipsam quam tractamus divisionibus non necessarijs onerare & obscurare, potius, quam vmbram illam scientiæ quam in tot minutis ramis & dichotomijs venditant, omittere.

Ac de Definitione & Divisione quantum ad hoc nostrum institutum attinet, hæc dici sufficiant.

LIBER II.

DE PRÆDICAMENTIS.

PRÆFATIO.

De subiecto, & ordine huius Tractatus.

Subiectum libri de Categ.

Secundus hic liber seu Tractatus de *Prædicamentis* est. *Subiectum huius tractatus sunt res omnes*: Est enim hic liber de Rebus, ipsque omnibus. Rerum autem tractatio accurata & exacta, ad Metaphysicam, Physicam, Ethicam, Mathematicam, aliasque disciplinas spectant. Logicus eas non aliter tractat quam vt sunt Materia, in qua notiones illæ secundæ quam ipse tractat, fundantur: ideoque imperfecta quædam & rudis earum cognitio, Logico satis est; ea verò necessaria est: Nam vt ars fabrilis quæ ferrum ad hunc aut illum vsum aptat, leuem quandam ferri notitiam desiderat, accuratam verò Philosopho relinquit; ita Logicus res considerat pingui solum Minerua, vt in illis commodius ac facilius propositiones suas, & syllogismos formet fabricetque, exactam autem earum scientiam alijs disciplinis ad quas singulæ spectant, relinquit.

Author libri Categoriarum Aristotles.

Authorem libri de *Categorijs* Iul. Pacius in Cap. 1. Categ. negat fuisse Aristotelem: nonnulli eum Archytæ tribuunt. Ego *cum Augustino* lib. de Categ. cap. 1. & 8. *cum Zabarel.* (ipso teste lib. 2. de Nat. Log. cap. 3.) *cum omnibus Græcis interpretibus, Aristotelem & conscripsisse eum librum, & eundem reliquis omnibus libris suis de Logica præposuisse existimo.*

Cur dicatur liber Categoriarum.

Vocatur liber *Categoriarum*, vel *Prædicamentorum*, κατηγορία autem apud Oratores frequentissime, *Accusare*, significat. sed *apud Logicos idem notat quod enunciari, dici, aut prædicari de alio*: Quia igitur in hoc libro enumerantur & explicantur omnes illæ Classes rerum, quæ de alijs prædicantur, ideo recte liber *Categoriarum* seu *Prædicamentorum* inscribitur. Nihil est enim quod vel de alio prædicatur, vel de quo aliud prædicatur, quin ad Categorias istas, seu Classes rerum referendum sit, in eisq; aliquo modo reponatur, vt significat Arist. 1. Top. cap. 9. nu. 1.

Vtilitas huius tractatus.

Ex quo perspicuum est *Tractatum hunc ad omnes omnino scientias & disciplinas, non vtilem modo esse sed plane necessarium.* Nec enim quidquam poteris vnquam vel recte definire, vel diuidere, vel certo cognoscere ipsius naturam, aut proprietates, aut species, nisi in qua classe Rerum reponantur, quæque illius genera sint, et differentiæ cognoueris. Est igitur ad alias scientias anhelanti, in his ante omnia seriò labo-

laborandum & desudandum. Cognitio enim *Categoriarum* est clavis, qua ad alias omnes disciplinas aditus aperitur; est fundamentum cui aliæ omnes innituntur.

Liber autem Aristo de *Categoriis* in tres partes dividitur. *Antepraedicamenta*, quæ sic dicuntur, quòd sine præuia eorum notitia non facile *Prædicamenta* cognosci queant: *Prædicamenta*, quæ sunt decem Classes rerum, in quibus res omnino omnes reponuntur. Et *Postpraedicamenta* quæ Prædicamentorum cognitionem multum illustrant, magisque perspicuam reddunt. De hisce singulis ordine dicendum est, et primò de Antepræ dicamentis. *Divisio & ordo tractatus.* *Antepraedicamenta quæ.*

Antepredicamenta sunt in genere tria, in specie septem, nimirum *Definitiones tres*. Prima, *Æquivocorum*. Secunda, *Vniuocorum*. Tertia, *denominativorum*: *Divisiones duæ*, prior, *vocum*; secunda, *Rerum*. *Regulæ duæ, Prima & Secunda*. De singulis ordine agendum est, et primò de Æquivocis.

CAP. I.

De *Æquivocis* tria declaranda sunt:
1. Quid sint, seu quomodo describantur.
2. Quotuplicia sunt.
3. Quæ Regulæ de Æquivocis observandæ sunt.

Æquivoca ita describuntur. *Æquivoca sunt, quorũ nomen solum est commune, ratio verò illius nominis, est alia atque alia.* Sensus est: Æquivoca habent vnum nomen commune, sed nulla *essentia aut vniuoca conceptus* significatus per id nomen est communis, ideoque non est *vna ratio*, quare id nomen diuersis tribuitur, sed propter vnam rationem tribuitur huic, propter aliam rationem alteri, vt Hominis nomen, respectu hominis vivi, et picti, est Æquivocum: quia nomen illud vtrique tribuitur, sed non est aliqua essentia aut vniuocus conceptus significatus per illud nomen, qui est communis: sed homo vivus, dicitur homo propter vnam rationem, nempe quia est animal rationale: Homo verò pictus, non dicitur homo propter istam rationem, sed propter aliam, nempe quia est similis homini. Sic nomen hoc Canis, est Æquivocum, respectu Animalis latrabilis, et canis sideris cœlestis, et Canis marini. *Descriptio Æquivocorum.*

Per *rationem nominis*, intelligitur hoc loco *essentia, natura, aut essentialis ac vniuocus conceptus*: quæ ideo ratio vocatur, quia in ea ratio exprimitur cum nomen tribuitur alicui, vt ratio quare Hominis nomen datur Socrati, est natura & essentia hominis in Socrate, nempe *Ratio nominis quid.*

animal rationale.

Æquivoca duplicia.

Æquivoca sunt duplicia.

- *Æquivocantia, quæ sunt ipsa voces æquivocæ, significantes res diuersas æquivocè*, vt vox Hominis, respectu viui hominis & picti.
- *Æquivocata, quæ sunt res ipsa per illam vocem æquivocam significatæ.* vt hæc tria, *Animal latrabile*, et *canis marinus*, & *sidus cœleste dictum Canis*, sunt æquivoca æquivocata respectu illius vocis, *Canis*.

Definitio æquivocorum prius posita, *potest de vtrisque velle intelligi* tam æquivocantibus, quam æquivocatis, sed sensus erit facilior & clarior si de æquivocatis exponatur.

De Æquivocis hæ Regulæ obseruentur.

Regulæ de Æquivocis.

1. *Æquivoca vocis, si non distinguatur, aut manifestum fiat in quo sensu accipiatur, nullus vsus est in vlla scientia*, quia donec id fiat, nec quid quis dicat, nec de qua re verba faciat, intelligi potest: vnde verissimè Arist. lib. 4. Metaph. ca. 4. *Non vnum significare, est nihil significare.* Et iterum, *nihil intelligere contingit, nihil vnum intelligentes.*

2. *Analogum omne stare pro Æquivoco habendum est.* Dicitur autem Analogum, quando vox aliqua proprie et primariò vni conuenit, alijs verò non proprie, sed propter proportionem quandam, similitudinem aut Analogiam quam habent ad illud primum: vt *sanum* proprie dicitur et primariò de Animali, sed *analogicè* & propter similitudinem, vrina dicitur *sana*, quia est signum et index sanitatis, & cibus dicitur *sanus*, quia efficit vel conseruat sanitatem.

3. *Analogum omne sine Æquivocum, per se positum, stat pro famosiori significato.* Famosior autem significatio est ea quæ magis vulgaris ac vsitata est in ore populi; vnde si quis dicat, *Vidi canem*, de latrabili animali, eum id dixisse intelligendum est, nec de sidere cœlesti, aut pisce.

4. *Idem non potest esse Æquivocum æquivocans, & Æquivocum æquivocatum*: ratio est, quia æquivocans est solummodò vox non res: æquivocatum verò est res non vox.

5. *Nullum Æquivocum æquivocans est in vll. Prædicamento*: ratio est, quia nihil nisi res in prædicamentis locantur, æquivocantia autem voces tantum sunt, non res.

6. *Æquivoca æquivocata omnia sunt in Prædicamentis*: ratio est, quia æquivocata omnia sunt res: res verò omnes in Prædicamentis locantur. Sed tamen obserua, quod hæc æquivoca æquivocata sunt in prædicamento non *quatenus sunt æquivocata*, & vt respiciunt *suum æquivocans*, sed quatenus sunt *vnivoca & respiciunt alia quæ illis vnivoca sunt.*

Hæc de Æquivocis, id est, primo Anteprædicamento, Cuius vius & scopus

ſcopus cur hic tractetur eſt iſte, vt *ſciamus quæ rejiciuntur, quæ recipiuntur in prædicamentis. Nam Æquivoca omnia, quatenus æquivoca ſunt, rejiciuntur*, licet Æquivocata, *quatenus vnivoca ſunt*, recipiantur. *Scopus & vtilitas primi Antepradicamenti.*

CAP. II.

De Univocis.

De *Vnivocis*, (quæ ſunt, ſecundum Antepræ dicamentum) tria explicanda. 1. Quid ſint, & quomodo deſcribuntur. 2. Quotuplicia ſunt. 3. Quæ regulæ de vnivocis obſeruandæ ſunt.

VNivoca deſcribuntur in hunc modum. *Vnivoca ſunt Res, vel Entia, quorum nomen eſt commune, & ratio illius nominis eſt vna & eadem in omnibus quibus nomen convenit*, vt Animal eſt vnivocum reſpectu hominis et Brutj; nam et nomen Animalis vtriſq; commune eſt, & eadem eſſentia, idem vnivocus conceptus, eademque ratio illius nominis vtriſque convenit; vtrumque enim vocatur Animal, quia eſt *viuens præditum anima ſenſitiua. Per rationem autem nominis idem hic intelligitur, quod in definitione Æquivocorum.* *Deſcriptio Vnivocorum.*

Vnivoca ſunt duplicia.

Vnivocantia, quæ ſunt vniuerſalia, quorum tam nomen quam natura, eſſentia, & ratio communis eſt ijs de quibus dicuntur: et talia ſunt omnia ſuperiora in ſerie reſpectu inferiorum, et omnes differentiæ reſpectu ſuarum ſpecierum.

Vnivocata quæ ſunt ret ipſa ſint vniuerſalia; ſint ſingularia, ſint aliquo Vnivocante comprehenſa, & talia ſunt omnia inferiora reſpectu ſuperiorum ſuorum & differentiarum. *Vnivoca duplicia.*

Hinc liquet *Summa Genera* & etiam *Differentiæ* omnes eſſe tantum Vnivoca *vnivocantia*, non *vnivocata*, quia nihil eſt ipſis ſuperius: *Individua* verò eſſe tantum *vnivocata*, non *vnivocantia*, quia nihil ipſis eſt Inferius; reliqua omnia quæ ſunt inter ſumma Genera et Individua, eſſe ſimul & *vnivocantia* & *vnivocata*, ſed diuerſo reſpectu: nam ſunt vnivocata reſpectu ſuperiorum ſuorum, ſunt vnivocantia reſpectu inferiorum.

Definitio vnivocorum prius poſita *de vtriſque vtile intelligi poteſt*, tam vnivocantibus quam vnivocatis, *ſed faciliùs eſt eam ſenſum ſi de vnius-*

vnivocantibus explicatur: quale est Animal respectu hominis & Bruti.

Quando nomen & ratio Vnivoci sit communis.

Vnum verò est quod diligentissime observandum est, *quid nomen & ratio seu essentia Vnivoci sit ita communis, vt nomen vnivocantis sit essentiale nomen Vnivocati: et essentia seu ratio vnivocantis sit essentia & ratio vnivocati*: vt in Animali, et homine ac Bruto, liquidum est: nam & nomen Animalis essentialiter vtrisque convenit, & est commune nomen essentiale vtriusque, & essentia Animalis est communis etiam essentia tam hominis quam Bruti; quod vnum si advertatur, non pauca difficultates expediet.

Hinc iam *facile est distinguere Vnivoca tam ab Æquivocis quam a Denominativis*. Nam in *Æquivocis* nomen solum est commune, non essentia aliqua aut ratio, aut vnivocus conceptus illius nominis: in vnivocis vtrumque commune est, tam nomen quam essentia & ratio nominis. In denominativis tam nomen quam essentia nominis communis est denominatis; quam verè enim homo aut charta dicitur album, tam verè dicitur esse coloratum disgregans visum, quod est ratio & essentia albi. Sed nec nomen albi est essentiale nomen hominis, aut chartæ, sed accidentale; nec essentia Albi, seu natura & ratio, est essentia, natura, & ratio hominis aut chartæ, sed Accidens vtriusque. In vnivocis verò vtrumque sit, & nomen vnivocantis est essentiale nomen vnivocati, et essentia ac ratio vnivocantis, est essentia ac ratio Vnivocati.

Quando vnivoca differant ab Æquivocis & Denominativis.

Dub. Dices, omnia Propria et omnia Accidentia esse Denominativa quia sunt Accidentia vel propria vel contingentia quæ denominant subiecta. Ea verò omnia prædicantur vnivoce, quia sunt vniversalia, & vniversale solet ita definiri, vt sit *Ens quod prædicatur de pluribus vnivoce*. Quare denominativa omnia vnivoca sunt, & distinctio ista vnivocorum a denominativis non videtur admittenda. Respondeo, *vocem illam [prædicari vnivoce] non esse addendam in Definitione vniversalis*: nec verò ab ijs qui accurate definiunt, addi tur. Quod si libet addi, tum dicendum est vnivocum, et vnivoce, prædicari sumi dupliciter. Primo, *strictè et proprie pro eo quod nec est æquivocum, nec denominativum, quodque nec æquivocè nec denominativè prædicatur*; & hoc modo sumpsit Ari. & nos ex eo definivimus, & in hoc sensu nulla Propria nec Accidentia prædicantur vnivocè de suis subiectis, nec in hoc sensu, (*prædicari vnivoce*) debet poni in definitione Vniversalis. Secundo, *capitur large & impropriè pro omni eo quod non est æquivocum nec prædicatur æquivocè*, & in hoc sensu omnia Prædicabilia prædicantur vnivoce, & sunt vnivoca. Sed hoc modo non accepit Arist. vnivocum, nam tum frustra addidisset denominativa, quia omnia denominativa sunt vnivoca in hoc sensu, id est, *non æquivoca*.

Sol.

De vnivocis hæ Regulæ observentur.

Omne

1. *Omne vnivocum sive vnivocans sive vnivocatum est in aliquo prædicamento.* Nam omne tale est Ens, omne autem Ens in aliquo prædicamento locatur, ad illudque refertur. *Regula de Vnivocis.*

2. *Nullum Vnivocum potest esse æquivocum æquivocatione.* ratio est quia omne tale æquivocum est tantum vox non res, vnivoca autem omnia res sunt.

3. *Vnivocum potest esse æquivocum æquivocatum, sed non ex respectu quo est vnivocum,* vt Homo vivus est vnivocum vnivocans respectu Socratis et Platonis: est vnivocum vnivocatum respectu Animalis; est vero æquivocum æquivocatum respectu huius vocis, [*Homo*] quæ de Homine vivo et picto æquivoce dicitur. sic omnia *genera, species & differentiæ sunt æquivoca æquivocata, respectu Entis.*

Atque hæc de Vnivocis, quorum tractatio huc spectat vt *sciamus omnia Vnivoca ponenda esse in Prædicamentis.* Quæ autē Vnivoca non sunt, ea nec directe nec collateraliter in prædicamento locantur; ad Prædicamenta vero reduci posse nihil prohibet, vt Deus, Punctum, Instans.

CAP. III.

De Denominativis.

De *Denominativis* tria sunt consideranda,
1. Quomodo describantur.
2. Quotuplicia sint.
3. Quæ sint leges Denominativorum.

Denominativa ita describuntur: *Denominativa sunt Accidentia per Denominativa quæ de subiectis fit Denominatio, orta a Denominante,* vt a Iustitia *quid sint,* denominatur homo iustus, ab albedine albus:

Ad omnem Denominationem tria requiruntur,
- *Denominatum, quod est subiectum ipsum de quo fit denominatio,* vt homo, corpus.
- *Denominans, quod est forma vel Accidens in abstracto, a quo incipiunt in subiecto, fit & oritur denominatio:* vt Albedo.
- *Denominativum, quod est forma vel Accidens in concreto, per quod fit denominatio de subiecto:* vt per Album denominatur homo albus, ab albedine inhærente.

Quia verò frequentissima mentio fit Abstracti & Concreti, ideo advertendum est in quo hæc conveniant, & in quo differant. *Conveniunt autem in principali significato:* eandem enim rem significat albus

Abstractum et Concretum in quo conueniant & in quo differant.

(vt sumitur formaliter, non materialiter pro subiecto cui inest albedo) & albedo: *Differunt autem ratione, & respectu minus principalis significationis*: nam Abstractum, vt Albeo, significat formam aut Accidens nudè in sua essentia, sine relatione ad prædicationem de subiecto, & ideo *Abstractum* vocatur, quia *abstrahitur a subiecto, non quoad inhærentiam & inexistentiam, sed quoad Prædicationem.* Concretum verò idem accidens notat, verùm non nudè vt abstractum, sed cum relatione ad prædicationem de subiecto: ideoque *Concretum* vocatur, quia *concernit subiectum, non solum quoad inhærentiam, sed etiam quoad prædicationem & Denominationem eiusdem.*

Quid sint denominativa dictum iam est. Quotuplicia sint videamus.

Denominatiua triplicia.

Denominativa sunt triplicia.

Voce tantum, quæ quoad vocem videntur esse Denominativa, quia initio vocis conveniunt, & fine differunt, sed re ipsa & significatione denominativa non sunt, quia re & significatione non conveniunt, & ideo concretum non facit Denominationem subiecti propter illius abstracti inhærentiam: vt somnolentus a somno. Nam non denominatur quis somnolentus quòd somnus, sed quia somnolentia, ei inest.

Re tantum, quæ quoad vocem non videntur esse Denominativa, cum voce non conveniant in initio, re verò et significatione conveniunt, et ab inexistentia abstracti sit vera denominatio de subiecto: vt studiosus & virtus, dormiens & somnus.

Re & voce simul, quæ tam quoad rem, quàm vocem denominativa sunt, vt doctus a doctrina, iustus a iustitia.

Ex his facile explicari & intelligi potest ea denominativorum definitio quam Arist. tradit. *Denominativa sunt quæ orta ab vno varie commutantur.* Iam si denominatiuum aliquod oriatur a denominante quoad vocem tantum non quoad rem, & discrepet in fine, tum est denominatiuum voce tantum: Si oriatur a denominante quoad rem tantum non quoad vocem, & in fine non discrepet, vt Grammatica (ars) & Grammatica (mulier) tum est denominativum re tantum: Si oriatur a denominante suo tum quoad vocem tum quoad rem, & fine discrepet, tum est denominativum re et voce, quod proprijssime denominativum dicitur.

Hic verò merito dubitari et quæri potest, an omnia denominativa sint Accidentia, an Substantiæ etiam hoc nomine denotentur, vt an Animal, homo, Substantia, Denominativa sint ab his denominantibus

bus, Animalitas, humanitas, Substantialitas. Nam ex his oritur denominatio de subiecto, puta Socrate; & in initio vocis conveniunt, in fine discrepant. Certe si omnia *Abstracta*, Denominantia, & omnia *Concreta*, Denominativa dici deberent, inter Substantias, Denominativa concedenda essent: nam certum est posteriora esse Abstracta, & priora Concreta. Et quidem Aquinas aperte docet: Abstracta & Concreta in substantijs reperiri. par. 3. q. 17. ar. 1. *Natura, inquit, prout in Abstracto significatur, non potest verè prædicari de vllo supposito usq; in Deo*: Ideo cum in Christo sint duæ naturæ divina & humana, divina de eo prædicatur *& in Abstracto & in Concreto*. Dicimus enim Christus est deitas, & est Deus: sed humana natura non dicitur *de eo in Abstracto sed solum in Concreto*, non enim dicimus Christus est humanitas, sed est homo; quod idem alij omnes scholastici ac Theologi fatentur. Et quamvis concreta omnia tam Substantiæ quam Accidentia, largo et amplo sensu *Denominativa* dici possint, quia per ea prædicatio fit de subiecto cui insunt abstracta: *tamen proprie loquendo solum Concreta Accidentia Denominativa vocari debent*. Cuius ratio est hæc, quia Substantiæ omnes quæ de aliquo dicuntur, *ex nominant* potius quam *denominant*: nam cum sint de essentia eorum de quibus prædicantur, sicut essentiam, ita etiam essentiale nomen eis tribuunt. At Accidentia quia subiectis suis quibus inhærent, tam in esse constitutis, et nominatis adveniunt, *ideo non nomen dant nec nominant ea, sed denominant, id est, subiecta iam nata effectum nominis, accidentalem denominationem superaddunt*. Et sane Aristotelem non alia pro denominativis agnovisse quam Accidentia sola, eaque ipsa non aliter se vocasse quam provt subiecta quibus inhærent, respiciunt, ex hoc liquere potest: Ille enim denominativa opponit tam Vnivocis quam Æquivocis: quare nihil potest esse denominativum et Vnivocum respectu eiusdem. At certum est, omnes substantias quæ de aliquo dicuntur, vt et omnia essentialia prædicata, esse Vnivoca si respicias eorum subiecta, de quibus essentialiter prædicantur, vt sunt Homo, Animal, Corpus & Substantia, respectu Socratis; quare respectu illius denominativa non sunt, nec eorum prædicatio de Socrate denominativa dici debet, sed verè et propriè vnivoca. In accidentibus aliter fit, nam cum illa non sint de essentia subiectorum suorum quibus inhærent, ideo de illis vnivocè prædicari non possunt. Quia igitur vno trium horum modorum de subiectis dicuntur, vel æquivocè, vel vnivocè, vel Denominativè, et neutro priorum modorum prædicantur, relinquitur prædicationem talem Accidentium, eamque solam, esse Denominativam, et Accidentia sola illo respectu denominativa esse.

Sola Accidentia sunt Denominativa.

Sequuntur nunc Regulæ de Denominativis, quæ sunt hæ.

Regulæ de Denominativis.

1. *Denominatio omnis fit per concretiũ propter inexistentiam abstracti in re subiecta quod denominatur.* quare si abstractum non sit in subiecto, concretum de eo verè dici non potest: si abstractum insit, tum Concretum de eo prædicabitur, si aptum denominativum adhibeatur. Vide Regulam quartam de Accidente.

2. *Nullum Denominans neque denominativum est de essentia denominati, neque de eo vnivoce prædicatur.* Patet ex definitione Denominativorum; nam sunt Accidentia respectu eorum quorum sunt denominativa. Quare cum dicimus linea est quanta (quam loquendi formam haudquaquam approbo) aut tanta, in his similibusque, *Quantum capitur pro hac aut illa particulari aut definita quantitate*, puta pedali, bipedali aut similiter, quæ quantitas verè est accidens lineæ; *non pro Quanto in genere*, sic enim linea non est quanta, sed ipsa quantitas.

3. *Idem potest esse denominativum & Vnivocum, sed nunquam eadem respectu, sed diuerso:* nam est vnivocum respectu eorum de quibus essentialiter dicitur; est denominativum respectu eorum de quibus accidentaliter prædicatur, vt album respectu huius et illius albi est vnivocum, respectu hominis est denominativum.

Atque hæc de denominativis: Quorum tractatio huc spectat (*vt scias, omnia denominativa nulla in quantum sunt denominativa & quatenus respiciunt sua subiecta inhæsionis, esse in Prædicamento vlla, sed in quantum sunt vnivoca, & respiciunt subiecta sua prædicationis.*

CAP. IV.

De Prima Divisione Antepræ-dicamentali.

Vocis divisio.

HActenus de tribus definitionibus Anteprædicamentalibus actum est. Sequuntur divisiones quæ duæ sunt. *Prior est vocum, secunda rerum. Vocis divisio est hæc. Omnis vox vel est completa, vel incompleta.*

Vox

Vox dicitur Complexa, tripliciter,

- *Voce tantum quando plures sunt voces, sed illa omnes vnam simplicem rem significant*, vt Corpus animatum, quod idem valet idemque significat quod Vivens.
- *Re tantum vel significatione, quando vox est vna, sed per illam vocem non vna aliqua res sed diversa significantur*, Vt Canis & omnia æquivoca æquivocantia.
- *Re & voce simul, quando & voces plures sunt, & per illas res plures significantur.* Vt Homo doctus.

Vox dicitur Incomplexa tripliciter,

- *Voce tantum quando vox est Vna, sed per illam non vna res sed plures significantur.* Vt Canis.
- *Re tantum quando plures voces sunt, sed vnam rem significant*, vt corpus animatum.
- *Re & voce simul, quando & vox vna est, & per illam vocem res vna significatur*, vt Homo, Animal.

Ex his duo manifeste consequuntur. Primum, *Quod idem potest dici complexum & incomplexum, diverso respectu.* Nam quicquid est complexum voce tantum, est re incomplexum, vt Corpus animatum: & quicquid est complexum re tantum, est voce incomplexum, vt Canis. Secundum, *Quod idem nunquam potest dici complexum & incomplexum in eodem Genere*, vt quod est complexum voce, non est incomplexum voce, & quod est complexum Re, non est, incomplexum Re.

Atque hæc de prima Divisione. Cuius vsus & scopus est hic. *Res ipsæ in prædicamentis ponuntur*, Rerum signa voces sunt. Iam ex hac Divisione docemur, res non semper sequi *conditionem vocum*; *nec vocum* vsus huius Divisionis. *res rerum*. Nam quandoque res vna notatur per plures voces, & tum Complexio quæ cernitur in voce non impedit illud esse in prædicamento, vt Corpus animatum; Quandoque vox vna res plures & non vnam notat, vt Canis, & tum Incomplexio vocis non probat res significatas, vt vnam rem, poni in Prædicamento.

CAP. V.

De Secunda Divisione Antepradicamentali.

Sequitur Secunda Divisio, *qua est Rerum*. Nam Divisum in hac Divisione est *Ens*, *Res*, *seu id quod est in rerum natura*. Vnde Arist. *Ens dividitur*, ait: *Eorum quæ sunt, alia*, &c. Quare Divisio hæc non est Generis

in Species. (Ens enim Genus non est) sed æquiuocæ vocis in sua æquiuocata, vel in res quas æquiuocè significat.

Omne Ens, vel est Substantia vel Accidens.

Diuisio hæc Entis duplicitèr fieri potest. Primo sic: *Omne Ens vel est Substantia, vel Accidens.* Hoc sic probat Arist. & rectissimè: Omne Ens vel ineſt in subiecto, vel non ineſt in subiecto. Nam cum hi duo termini contradictorij sint, necesse est vnum eorum de quovis ente dici. Iam *quodcunque Ens ineſt in subiecto est Accidens.* Quodcunq; verò *Ens non ineſt in subiecto, est Substantia*: illud enim Accidentis, hoc Substantiæ proprium est. Quare Omne Ens vel erit Substantia, vel Accidens.

Ens omne vel est Vniuersale vel Individuum.

Alio modo Diuisio hæc sic fieri potest, *Omne Ens vel est Vniuersale, vel Particulare aut Individuum.* Hoc sic probat Arist. Omne Ens vel dicitur de Subiecto, vel non dicitur de subiecto; nam hi duo termini contradictorij sunt, ideoque alterum eorum de quovis ente dici debet. Iam *Quodcunque Ens dicitur de subiecto est Vniuersale. Quodcunque verò Ens non dicitur de subiecto est Particulare aut Individuum*: illud enim Vniuersalis, hoc Individui proprium; quare omne Ens est vel Vniuersale vel Individuum.

Diuisio tota coniunctim sic exprimi potest.

Omne Ens vel,
- *Non ineſt in subiecto*, & tum est Substantia, eaq; vel,
  - *Dicitur de subiecto, & tum est Substantia vniuersalis*, vt Homo.
  - *Non dicitur de subiecto, & tum est Substantia particularis*, vt Socrates.
- *Ineſt in subiecto*, & tum est Accidens, hocq; vel
  - *Dicitur de subiecto, & tum est Accidens Vniuersale*, vt Albedo.
  - *Non dicitur de subiecto, & tum est Accidens particulare*, vt hæc Albedo.

Vt hæc Diuisio facilius intelligatur, tria consideranda sunt, quorum vsus est frequentissimus. Primo *Quid hoc loco intelligatur per Subiectum.* Secundo, Quid hic significet *esse in subiecto.* Tertio, Quid significet hic, *dici de Subiecto.*

Subiectum quid sit.

Subiectum vocatur illud omne cui aliud quocunque modo ineſt, siue essentialiter, siue accidentaliter: seu omne illud quod subijcitur alteri prædicato siue essentiali, siue accidentali. Vt Homini ineſt Animal, & rationale, & risibile, & doctrinæ: quare homo istorum omnium subiectum vocatur.

Subiectum

Subiectum est duplex,
- *Inhæsionis, cui aliquod Accidens inhæret*: tale subiectum est homo respectu risibilitatis, doctrinæ, & omnium omnino suorum accidentium siue propriæ sint, siue contingentia & communia.
- *Prædicationis, de quo aliquid essentialiter prædicatur*: tale subiectum est homo respectu Animalis, et rationalis, et omnium suorum essentialium prædicatorum.

Subiectum duplex.

Hinc duo manifestè consequuntur. Primum, *Quòd Idem potest esse Subiectum & Inhæsionis & Prædicationis, sed diuerso respectu, nunquam autem eodem*; vt Socrates est Subiectum inhæsionis respectu doctrinæ, & est subiectum prædicationis respectu hominis, Animalis, et omnium essentialium prædicatorum de ipso. Impossibile est autem vt respectu Animalis sit subiectum & Inhæsionis & prædicationis, tum enim Animal esset Socrati & essentiale, et Accidentale. Secundum est, *Quòd tam in hac secunda diuisione, quam in propria & strictè loquendi Genere, quotiescunque aliquid dicitur inesse in subiecto, ibi oportet intelligi subiectum Inhæsionis, & non Prædicationis, nisi ex circumstantijs sermonis aut scripti aliud constet*: Iterum, *Quotiescunque aliquid dicitur, Dici de subiecto, ibi intelligi oportet subiectum Prædicationis & non Inhæsionis, nisi ex circumstantijs aliud constare potest.* Hæc de primo, quid per *subiectum* hic notetur.

Secundo explicandum est, *quid sit Esse in subiecto seu Inhærere*. Non hæc duo, (quod sedulo obserua) *pro eodem sumuntur*, Definitur autem ab Aristotele in hunc modum; *Inesse in subiecto seu Inhærere alteri, est esse in aliquo, non vt pars eius cui inest, nec vt possit separari ab eo cui inest, sed vt ipsum manet.* Sic doctrina inest in homine, & omnia omnino Accidentia in suis subiectis Inhæsionis. Vt autem hæc Definitio rectius teneatur, considerandum est primò, *Genus* seu id quod loco Generis hic ponitur; secundò, *Differentia*. Genus in hac definitione est *Inesse in aliquo*. Hoc enim multo latius patet quam *Inesse in subiecto*. Nam *esse in aliquo* complectitur octo diversos modos ineffendi in aliquo, qui sunt hi.

Inesse in subiecto quid sit.

Octo modi Inesſendi in Alio.

Aliquid dicitur Inesſe in alio octo modis,

1. *Vt pars integralis in toto*, vt manus & pedes insunt homini.
2. *Vt totum integrale in omnibus partibus*: sic homo dicitur esse in capite, pectore, & in reliquo trunco corporis.
3. *Vt Species in Genere*, & tale dicitur *inesse potestate in altero* quia in illius ambitu continetur; sic homo inest in Animali.
4. *Vt Genus in specie*: et tale dicitur *inesse actu in altero*, quia inest vt pars eius essentialis: sic Animal inest homini, & ad hunc Inessendi modum refertur Differentia, quæ similiter inest speciei, vt Genus, vtrumque enim actu & essentialiter inest.
5. *Vt Accidens in suo subiecto Inhasionis*, sic Albedo inest parieti, calor aquæ, doctrina Socrati.
6. *Vt Rex in Regno, id est secundum Authoritatem*, quia per totum regnum eius authoritas extenditur.
7. *Vt res in fine*, quia ad finem ordinatur, & propter eum appetitur: sic virtus dicitur esse in fœlicitate. Et hinc vulgo vereque dicitur, *quod qui vult finem, media omnia velle putatur*, quia media omnia in fine sunt vt ordinata ad ipsum.
8. *Vt locatum in loco*, vt Socrates in domo, domus in aere, aer in cœlo.

Hi omnes modi vt facilius memoriæ teneantur, duobus his versiculis comprehenduntur.

Insunt Pars; Totum; Species; Genus: & Calor igni:
Rex in regno; Res in Fine; Locoq; locatum.

Ex his iam octo modis *Inesſendi in alio*, vnus tantùm est, quo aliquid dicitur *Inesse in subiecto seu Inhærere*. Is est quintus: Atque is vnicus modus est ille quem definimus, cuiusque Definiti, merito diximus, Genus fuisse, *Inesse in aliquo*.

Sequitur differentia in definitione posita. Ea duas particulas continet: prior est hæc, vt id quod inest in subiecto, *non insit tanquam pars*, nempe eius cui inest. Vt calor qui inest in aqua aut igne, non est pars ignis, aut aquæ: potest tamen esse pars alterius, vt calor est pars Qualitatis, & Qualitatis tangibilis. Hoc facilius intelligetur, si quotuplex sit pars, itemque Totum declaramus.

Pars

Pars est triplex,

- *Integralis, qua totum sit integrum, & sine qua totum non est integrum sed mancum, & mutilum.* Tales partes sunt manus, pedes, digiti, brachia, humani corporis, sine vllo enim horum homo mutilus est.
- *Essentialis quæ est de essentia illius Totius cuius est pars.* Talis pars est omne Genus, & Differentia, respectu eorum de quibus prædicantur.
- *Subiectiua, vel vniuersalis, quæ vnà cum alijs Partibus ita alicui Toti subiungitur, vt sui Totius vniuersalem essentiam in se aliter recipiat, & vt suam essentiam in se contineat:* Sic Homo & Brutum sunt partes subiectiuæ tam respectu Animalis, quam Sensibilis, quæ est Differentia Animalis.

Pars est triplex.

Ex quo etiam Quotuplex sit Totum, & quid vnumquodque sit videre licet.

Totum est triplex,

- *Integrale, quod ex partibus omnibus integrantibus fit, ita vt sine vlla ipsarum non sit integrum.* Vt homo respectu pedum, manuum, & aliorum membrorum Corporis.
- *Essentiale, quod constat ex partibus essentialibus.* Sic omnis Species respectu sui Generis, & Differentiæ.
- *Vniuersale, quod (vt Aquinas* recte notat part. 1. quæst. 77. art. 1.) *vniuersam suam essentiam, pluribus partibus sibi subiectis communicat, deque eis essentialiter prædicatur.* Tale totum est omne Genus respectu suorum inferiorum, & omnis differentia respectu eorum de quibus *mediate* prædicatur. Nam immediate dicitur solum de vno, nihil autem potest esse Totum respectu vnius tantum: quia totum plures partes semper respicit.

Totum triplex.

Ex his liquidò sequuntur hæ sex conclusiones.

1. Idem *potest simul esse pars essentialis, & Subiectiua, diuerso respectu.* Vt Animal est simul pars essentialis, respectu hominis & Socratis, & pars Subiectiua, respectu viventis & Corporis.

2. Idem *potest simul esse Totum essentiale & Totum vniuersale respectu diuersorum.* Vt Homo est Totum essentiale respectu Animalis, & vniuersale totum respectu Socratis & Platonis.

3. Idem *potest esse simul & Pars & Totum, idque respectu eiusdem rei sit totum & pars sumantur diuerso modo.* Nam omnis pars essentialis, est etiam vniuersalis: vt Animal, est & pars essentialis, & Totum vniuersale

uersale, respectu hominis & Bruti: sic Rationale respectu Socratis & Platonis. Iidem omnis pars subiectiua, seu Vniuersalis, est Totum essentiale respectu eius cuius est pars subiectiua seu Vniuersalis: Vt Homo est & pars subiectiua, & Totum essentiale respectu Animalis.

4. Idem *nunquam potest esse Pars essentialis, & pars subiectiua seu Vniuersalis respectu eiusdem.* Nam si sit pars essentialis eius, est natura prius eo; si sit pars subiectiua eiusdem, est posterius natura eo. Nihil autem potest esse natura prius et posterius respectu eiusdem.

5. *Idem nunquam potest esse Totum essentiale, & Totum Vniuersale respectu eiusdem.* Nam si sit totum essentiale, est natura posterius; si sit Totum Vniuersale, est natura prius eo cuius est Totum.

6. *Idem nunquam potest esse simul Pars & Totum respectu eiusdem, si pars & Totum sumantur in eodem sensu, prout vnum opponitur alteri,* vt nihil potest esse pars integralis alicuius rei, & Totum integrale respectu eiusdem: Nihil etiam potest esse pars essentialis vllius rei, & Totum essentiale respectu eiusdem: sic nec pars vniuersalis, & Totum Vniuersale respectu eiusdem esse potest; nam tum opposita, & ea quæ implicant contradictionem de eodem dicerentur.

Dub. Sed quare omittitur *Pars potentialis*, et *Totum potentiale*, talem enim

Sol. Partem & tale Totum statuit Thom. part. 1. quæst. 76. art. 8 & 2. secundæ, q. 48. atque alij Scholastici. Fateor tale membrum ab Aquinate, aliisque poni: Et tale Totum dicunt Animam esse respectu suarum facultatum, & tales partes vocant facultates ipsas, sentiendi, appetendi, &c. respectu Animæ. Sed nulla ratio est cur ista vel *Totum*, vel *partes* vocentur. Nam Anima substantia est, illæ facultates Accidentia: quis autem recte vocet Accidentia partes Substantiarum? Quod si illæ partes sint potentiales Animæ, profecto pari iure potentias ridendi, flendi, volendi, nolendi, discendi, dicas partes esse

Dub. Hominis: quod omnino alienum est a ratione & ab vsu loquendi.

Sed Deus *Totum* quoddam est, & tamen nec integrale, nec essentiale, nec vniuersale. Dicitur enim Deus esse *Totus* in Toto mundo, et Totus in qualibet parte eius. Sic Anima Rationalis dicitur *Tota* in Toto et Tota in quauis parte, nec tamen videtur esse Tota iuxta aliquem modum istorum trium, quare Diuisio manca est.

Sol. Respondeo, Totum aliquando *sumi Absolute, pro eo quod perfectum est*, et sic tam Anima quam Deus *Totum* dici possunt: aliquando *Respectiue, pro eo quod constat ex partibus.* Et sic nec Deus nec Anima (si de partibus integrantibus loquaris) Totum dici possunt. Hanc responsionem habes apud Bonav. in 1. Sentent. dist. 19. q. 1. art. 34. 35. Potest et sic responderi. Totum vel *sumi positiue pro eo quod continet in se omnes partes*, et sic nec Deus, nec Anima (si intelligas partes integrales) Totum dici potest: vel *Priuatiue pro eo cuius nihil est extra, nec cui nihil ipsius deest.* Et hoc sensu Deus dicitur esse Totus in quauis parte mundi, quia in nulla mundi parte aliquid Dei deest. Iidem et Anima Tota dicitur in quauis parte humani corporis. Nos Totum

illud

illud *quod reſpectiue ſumitur & poſitiue* diſtinximus, quia illud maxime vulgare eſt ipſius ſignificatum. De Toto vt ſumitur pro *perfecto, aut primatiue*, nihil attinebit hic dicere.

Explicatis iam *Partis*, et *Totius* ſignificationibus, ſenſus illius particulæ quæ in Definitione poſita fuit, clarior eſt. Cum enim dicitur, quòd [*illud quod ineſt in Subiecto, non ineſt vt Pars*;] ſenſus eſt, quòd neque eſt pars *integralis*, neque *eſſentialis*, neque *ſubiectiua aut vniuerſalis eius cui ineſt*. Alterius quidem poteſt eſſe Pars, vel *eſſentialis*, vt color, albedinis; vel *ſubiectiua aut vniuerſalis*, vt Albedo, Coloris: vel *integralis*, vt pars Albedinis inhærentis in charta, totius illius Albedinis pars integrans eſt: Sed ſubiecti ſui, cui ineſt, Pars nullo modo eſſe poteſt. Non *eſſentialis*, nam ſine doctrina quæ ineſt, Socrates eſſe poteſt: *non integralis*, nam ſine doctrina integer homo eſſe poteſt: *non ſubiectiua aut vniuerſalis*, nam de doctrina, Socrates eſſentialiter non poteſt prædicari. *Quod enim ſit ſubiecto non eſt Pars eius.*

Addendum verò eſt, quòd ſicut illud quod ineſt in ſubiecto non eſt Pars eius cui ineſt, ita *neque eſt Pars vllius tertij cum ipſo cui ineſt, ſic vt ex ipſis coniunctis, eſſentialiter conſtituatur vllum tertium*. Quod ideo additur, quia Anima Bruti ineſt in corpore Bruti, & quævis forma in materia, (excepta Anima rationali) & non eſt pars vlla corporis Bruti, nec poteſt ab eo quopore ſeparari quin ſtatim intereat. Et tamen non ineſt anima Bruti in corpore illius, vt Accidens in ſubiecto; eſt enim Subſtantia, ideoque in Subiecto ineſſe non poteſt. Quomodo igitur excludis? Quia Anima illa, licet non ſit pars corporis Bruti, eſt tamen *cum ipſo corpore, pars alterius tertij, quod ex vtroque fit & conſtituitur, nempe Bruti*. Accidens verò nec pars eſt eius cui ineſt, nec pars vllius tertij cum ipſo.

Porrhò etiam obſeruandum eſt, quòd ſicut illud quod ineſt in ſubiecto, non eſt pars, *ita multo minus eſt Totum eius cui ineſt*. Aliorum quidem Totum, quavis trium modorum eſſe poteſt, vel Totum *Integrale*, vt Albedo in pariete, partium omnium illius albedinis: vel Totum *eſſentiale*, vt Albedo reſpectu ſui Generis, et Differentiæ: vel Totum *vniuerſale* vt Albedo reſpectu huius et illius albedinis. Sed illius ſubiecti cui ineſt et inhærer, *Totum nullo modo eſſe poteſt, neque integrale, neque eſſentiale, neque vniuerſale*. Hæc de explicatione prioris partis Differentiæ.

Altera Differentiæ particula eſt hæc, quòd Illud quod ineſt in ſubiecto, *non poteſt ſeparari ab eo cui ineſt*: vel vt Ariſt. ſignificanter ait, *non poteſt eſſe ſine eo in quo eſt*. Senſus apertus eſt: Separari quidem poteſt a ſubiecto cui ineſt, vt doctrina ab Homine, calor ab aqua calefacta, ſed cum ſeparatur non manet, non diutius eſt aut exiſtit, ſed planè interit. Subiectum ſine ipſo quod ei ineſt, manere et exiſtere poteſt; at Accidens, vel id quod ineſt in ſubiecto, ſine illo ſubiecto in quo ſemel eſt, manere aut exiſtere nullo modo poteſt. Cuius ratio eſt, quia *Accidentis eſſe eſt ineſſe*, vt præter alios Aquinas diſerte docet. parte 1. *Quod ineſt in ſubiecto non manet ſi ſeparatur.*

Quæst. 28. art. 2. Et si *in subiecto non inesset*, tum esset Substantia: quicquid enim se sustentare potest, et existere per se, siue inhærentia in alio, id Substantia est, vt ex ipsa hac diuisione liquet. Quare quod nonnulli inceptant de Accidentibus quibusdam existentibus et manentibus postquam a subiecto cui inerant separata sunt, adeoque sine vllo omnino subiecto cui tam insint, inhærentiue, vanissima somnia sunt, deque his miranda canunt, sed non credenda Sophistæ.

Obserua autem, quòd in hac verissima Aristotelis sententia, fundatur illud Axioma de quo in Cap. de Accidente egimus, quòd *Nullum Accidens migrare potest ab vno subiecto in aliud.* Nam si posset ita migrare, tum posset separari ab eo cui semel inest, et tamen maneret; at quamprimum separatur interit.

Dub. Quod si dicas calorem ab igne in aerem, ab aere in astantes migrare: sic odorem a pomo in manum, lumen a sole in medium: Solutio vulgata et vera est, quod calor ignis non migrat ex igne, sed generat novum calorem in aere, et ille alium novum in astante: Ita non est *idem numero* calor qui migrat ab vno in aliud subiectum, sed novus ab alio generatus. Quod idem de odore, lumine, aliisque omnibus similibus dici debet.

Sol.

Accidens non migrat ab vlla parte subiecti in aliam.

Addi verò huc particulæ explicationis ergò oportet, quòd sicut illud quod inest in subiecto, non potest separari a toto illo subiecto cui inest, *ita nec separari potest ab vlla parte illius subiecti, in qua semel inhæret, nec ab illa parte in aliam vllam eiusdem aut alterius subiecti transfert aut migrare.* Quod idcirco additur, quia Socrates, hic equus, hic vermis & quodvis aliud in vniuersum simile, inest in mundo: nec est pars mundi, vel *essentialis*, quia tum corrupto vermiculo quouis, mundus totus interiret: vel *subiectiua*, quia tum de vermiculo mundus diceretur essentialiter, & vere diceres, Hic vermiculus est totus mundus: vel *integralis*, quia tum sine vermiculo quouis mundus esset mancus et mutilus. Pars igitur non est mundi: et a mundo separari non potest vermis, aut Socrates interim vt sint, nam extra mundum nusquam essent, ideoque nec essent: tamen certum est, nihil istorum esse in mundo vt Accidens in subiecto, cum omnia ista substantiæ sint. Quomodo igitur excludas? Quia vnumquodque horum licet a toto mundo separari non possit & manere, tamen *ab hac aut illa parte mundi in aliam partem migrare possunt aut transire, & manere.* Accidens verò nec a toto subiecto, nec ab vlla ipsius parte cui semel inest, separari potest, aut migrare.

Omne Accidens, idque solum est in subiecto.

Hæc ad explicandam definitionem illam Inhærendi, seu essendi in subiecto, cuius tam multiplex est & necessarius vsus, dicta sint. Ex quo nunc euidenter liquet quod sedulo tenendum est: *Omne Accidens inesse seu inhærere in subiecto*, et Quicquid *in subiecto inest seu inhæret, esse Accidens.*

Superest tertium illud quod explicandum proposuimus, nempe quid sit in hac diuisione, *Dici de subiecto.* Quod ex hac distinctione facile intelligi potest.

Aliquid

Aliquid dicitur de alio dupliciter:

- *Essentialiter, quod est de essentia eius subiecti de quo dicitur, & subiectum talis praedicati est semper subiectum inhaesionis, nunquam praedicationis.* sic Animal dicitur de Homine. — Dicti de subiecto quid sit.
- *Accidentaliter, quod est accidens eius subiecti de quo dicitur, & subiectum talis praedicati semper est subiectum inhaesionis, nunquam praedicationis;* sic album dicitur de Homine.

Ffsi alijs locis frequenter dicere solemus *quodlibet Vniversale dici de suo subiecto*, vbi *Dici de* sumitur *generaliter pro omni eo quod dicitur de alio sive essentialiter, sive accidentaliter*: & *subiectum* sumitur vel pro subiecto *Inhaesionis* vel *Praedicationis*; examen in hac divisione, *Dici de subiecto* sumitur *stricte*, pro eo tantum quod *essentialiter dicitur*, & subiectum sumitur tantum pro *subiecto praedicationis*. Ideoque quicquid extra huius Divisionis sensum asseritur *Dici de subiecto*, illud pro essentiali praedicato de isto subiecto accipiendum est.

Haec de secunda Divisione satis multa dicta sint, quam idcirco Arist. praeposuit Praedicamentis, vt esset veluti fundamentum totius sequentis tractationis. Ex hac enim Divisione ista sequuntur. — *Scopus huius secundae divisionis.*

1. *Omne Ens est vel Substantia vel Accidens*; quod ante probatum est: Vnde hi versiculi commode inventi sunt:

Summus Aristoteles rutinando cacumina rerum,
In duo divisit, quicquid in orbe fuit.

2. *Omne Ens est vel Vniversale, vel Individuum*; hoc etiam ante probatum est.

3. *Omne Ens sive sit Substantia sive Accidens, sive Vniversale, sive singulare, aliquo modo ad praedicamenta spectat, & in eis ponitur.* Nam praedicamenta sunt Classes, ad quas res omnes suo ordine referendae sunt.

4. *Quicquid in vllo praedicamento, vllo modo ponitur, illud vel est Substantia vel Accidens.* Hoc apertum est, quia quicquid est in praedicamento vllo est Ens: Omne autem Ens est vel Substantia vel Accidens.

5. *Quicquid in vllo praedicamento, vllo modo ponitur, illud est vel Vniversale vel Individuum.* Nam omne Ens est horum alterum.

Cap. VI.

De Prima Regula Antepradicamentali.

Prima Regula Antepradicamentalis.

POst definitiones, & diviſiones ſequuntur *Regulæ Antepradicamentales*, quæ ſunt duæ. Prior eſt hæc: *Quicquid dicitur de prædicato, dicitur etiam de ſubiecto illius prædicati*, vt quicquid dicitur de Animali, idem de Homine & Bruto dicitur.

Tenet generaliter in Eſſentialibus.

Et quidem ſi *Dici de* ſumatur hic vt in ſecunda Diviſione, pro *dici eſſentialiter*, & *ſubiectum* pro *ſubiecto prædicationis*, tum hæc regula non ſolum generalis eſt, nec exceptionem vllam admittit, ſed etiam certiſſima, ſenſuſque illius facilis & expeditus: Is eſt hic, vt *Quicquid dicatur eſſentialiter de ſuperiori, illud etiam eſſentialiter dicatur de Inferiori.* Si verò exponas hanc regulam de prædicatis accidentalibus, non tenet in illis. Nam Album prædicatur de Homine, non tamen de omni ſubiecto hominis, non enim de Æthiope. Quare? quia album accidentaliter dicitur de Homine, ideoque de aliquo Homine dici poteſt, non de omni. Sic Quadrupes & volatile prædicantur accidentaliter de Animali, ſed non prædicantur ne accidentaliter quidem de omni ſubiecto Animalis, non enim de Homine. Et eâdem de cauſa ſit vt licet *ſpecies*, & *vniuerſale*, dicantur de Homine, tamen non prædicantur de Socrate, aut Platone, quæ ſunt ſubiecta hominis; quia prædicantur ſolum accidentaliter (vt aliæ omnes ſecundæ Intentiones) de Homine.

Scopus Regulæ primæ.

Genuinus igitur ſenſus huius regulæ eſt, vt de *Eſſentialibus prædicatis* exponatur: in hac enim Regula ſcopus fuit Ariſtotelis, indicare ſumme *neceſſariam prædicationem ſuperiorum omnium de omnibus ſuis Inferioribus*, cum nihil de illis eſſentialiter dicatur, quod idem de his non dicitur.

CAP. VII.

Cap. VII.

De Secunda Regula Antepradicamentali.

Secunda *Regula Antepraedicamentalis* sequitur, quæ est hæc. *Genera subalterna possunt habere aliquas easdem differentias & species, sed Genera non subalterna, nullas easdem vel differentias, vel species habere possunt.* Quod facile intelligetur si explicetur quæ Genera vocentur hoc loco *subalterna*, & quæ *non subalterna*. *Regula secunda.*

Ea Genera vocantur

- *Subalterna, quorum vel unum ponitur sub altero* (sic Animal & vivens) *vel ambo sub ullo tertio*, sic Animal & Planta, sub vivente & corpore: Corpus, & spiritus sub Substantia, & sic omnia Genera eiusdem prædicamenti subalterna sunt. *Genera subalterna quæ.*
- *Non Subalterna, quorum neutrum ponitur subalterno, nec ambo sub ullo tertio*: talia sunt omnia Genera posita in diversis prædicamentis.

Hinc sensus regulæ, facilis est. Genera *subalterna* habent easdem differentias & species. Nam omnis *Differentia constitutiva superioris, est constitutiva etiam inferioris*, licet non immediatè: & omnis *differentia divisiva inferioris, est etiam divisiva superioris*, sed non immediatè: ideoque omnis species inferioris, est etiam species superioris, vt Homo & Brutum sunt species viventis: Corpus & Substantia, & rationale ac irrationale, sunt differentiæ diu fiuæ eorundem, quia istæ, sunt species, & differentiæ divisiuæ Animalis.

Genera non subalterna, id est, talia quæ ponuntur in diversis prædicamentis, *nullas omnino differentias easdem, vel constitutivas, vel divisiuas, nullas etiam species easdem habere possunt*: vt nihil quod est differentia, vel species Qualitatis, potest esse species, vel differentia Relationis, & sic in Reliquis.

Ex hoc perspicuè consequens est, *Nihil posse poni sub duobus summis Generibus, aut in diversis prædicamentis*; tum enim sequeretur eandem differentiam dividere duo Genera non subalterna, & eandem esse speciem vtriusque: quod apertè negat Arist. in hac secunda regula. Quin & hic fuit omnino scopus Aristotelis in præponenda hac regula, indicare *maximam distantiam inter omnia prædicamenta, quæ ita invicem* *Scopus secundæ Regulæ.*

inuicem distincta sunt, vt impossibile sit vnam atque eandem rem in diuersis collocari.

Atque hæc de omnibus Anteprædicamentis dicta sint.

CAP. VIII.

Quid sit Prædicamentum, & quot modis aliquid sit in Prædicamento.

HActenus de septem Anteprædicamentis egimus. Sequitur nunc tractatio ipsorum Prædicamentorum. De Prædicamentis verò dicendum est 1. *in Genere*, tum *in specie*.

De Prædicamento in Genere tria explicanda sunt. 1. Quid sit Prædicamentum. 2. Quot modis aliquod sit in prædicamento. 3. Quæ leges de Prædicamentis tenendæ sint.

Prædicamentum quid.

Prædicamentum est distincta Classis vel series rerum, in qua vtili legitimeque disponuntur omnia ad illam seriem spectantia, in eoque collocanda, siue sint Genera, Species, Differentiæ, Propria aut Individua, siue principia aut termini horum.

Ex quo liquet quòd si quis plene & perfecte prædicamenta omnia cognosceret, is rerum omnium perfectam plenamque scientiam haberet. Sed Aristotelis mens non fuit, accuratam rerum scientiam hic tradere, sed leuem quandam rerum notitiam exhibere, quo facilius ad reliqua aditus pateret. Quare si multa quæ ad rerum cognitionem pertineant, tum in Aristotele, tum in hoc nostro tractatu desint, culpa id vacat: nam aliqualem solum, non plenam rerum tractionem hic instituimus.

Post descriptionem Prædicamenti, videndum est quot modis res in Prædicamentis sint et locentur.

Aliquid

Aliquid est in Prædicamento tripliciter.

- *Directè*, *A quo per rectam lineam ad Individua describitur*, & sic omnia Genera, Species, & Individua locantur.
- *A Latere*, *quod collateraliter adhæret alicui generi aut speciei, quodque vnà cum Genere speciem constituit*; & sic omnes differentiæ sunt in Prædicamentis.
- *Reductivè aut Relativè*, *quod nec sub Genere directe ponitur, nec a latere ei adhæret, sic vt cum ipso speciem constituat, pertinet tamen ad illud Genus aut Speciem vel vt principium illius*, vt Deus; *vel vt Terminus*, vt punctum & Instans: vel *vt affectio*, vt Propria omnia quæ in nullo Prædicamento directe locantur.

Tripliciter vti sunt in Prædicamentis.

Hæc aut huiusmodi aliqua distinctio, necessariò admittenda est. Nam *res omnino omnes in prædicamentis aliquo modo locantur*, aliter hæ Classes rerũ essent imperfectæ. Certũ autẽ est, differentias non poni *directè* sub Generibus summis, tum enim species essent istorum generum, & non differentiæ: quare alio modo locari in serie necesse est cum nos dicimus, *collateraliter* ponit si quis aptiorem vocem inveniat, eâ per me vtatur. Idem dicendum de Puncto, Instanti, & vnitate, & si quæ sint similia. Certum est, hæc nec esse Quantitates, nec collateraliter quantitati adhærere; quia non constituunt essentialiter vllam speciem quantitatis: quare cum Entia sint, & termini aut principia Entium, nec in alio vllo prædicamento nisi in quantitate posita, aliquis modus excogitandus erat, quo dici possunt in Quantitate poni: Hoc nos *per Reductionem*, aut *Relativè* inesse dicimus, gratias eis acturi qui rectius & significantius vocabulum adinvenerint. Dum id fiat, dicere liceat cum Aquinate parte 1. q. 3. art. 5. *Per reductionem esse in Prædicamento*, aut quod idem valet, *Reductivè*, *vel Relativè*. Et quamvis Aquinas loco citato neget *Deum in vllo genere per reductionem poni*, is tamen re melius ponderata, in Quæst. disp. 11. de Potentia Dei, q. 7. art. 3. ad 7. expresse contrarium docuit, Deum, scilicet, esse *reductivè* in genere Substantiæ. Eius verba digna sunt, quæ hic apponantur: *Licet*, inquit, *Deus non pertineat ad genus Substantiæ, quasi in genere contentum, sicut species, vel individuum sub genere continetur, potest tamen dici, quod sit in genere Substantiæ, per reductionem, sicut Principium, & sicut punctum est in genere Quantitatis continuæ, & vnitas in genere Numeri.* Sic Aquinas. Addam ego, quod hoc eodem modo, Deus in quovis esse prædicamento, dici potest. Nam cum sit omnium aliorum Entium *principium*, certe quocunque in genere Entia vlla *directè* ponuntur (hoc autem fit in omni Prædicamento) in eodem Deum *reductivè* poni, vel ad id, vt illorum Entium *principium* reduci vere dici potest. Sed quia Substantia omnibus Accidentium generibus & *naturâ* prior est, & *dignitate* longe præstantior, & quia nihil satis digne

de Deo dicere vnquã possumus, ideo non ad Accidentium prædicamẽtũ, sed ad *Substantiam*, quæ omnium dignissimum est, cum *reduci*, aut in eo *Reductive* poni, dicere solemus.

Dub. De *puncto* autem, *Instanti*, *vnitate* alijsque similibus, difficultas eaque non leuis, occurrit: videntur enim hæc non *Reductive* sed *directe* in serie prædicamentali locanda. Nam Species omnes directe in prædicamentis ponendæ sunt, quia generi summo *directe subijciuntur*. Punctum autem, *Instans*, & *vnitas* species sunt cum sint Vniuersalia, quæ prædicentur de pluribus differentibus numero tantum, in quid: vt punctum de hoc & illo puncto; vnitas, de hac & illa vnitate.

Sol. Idem omnino huic argumento respondendum est, quod de *Differentijs* omnibus logicis, deque omnibus *Propriis*, quæ non sunt species, responderi debet.

Nam vt punctum & vnitas, ita *Corporeum*, *vegetatiuum*, *sensibile* & similia, sunt vniuersalia; & de pluribus numero tantum differentibus prædicantur: vt *vegetatiuum*, de hoc & illo vegetatiuo, *sensibile* de hoc & illo sensibili: vel (loquendo cum Physicis) *anima vegetatiua*, et *sensitiua* de hac et illa anima vegetante, et sentiente. Quocunque igitur modo, tu animam vegetatiuam et sensitiuam *Species* dixeris, eodem plane et ego, punctum ac vnitatem Species dicam. Et quomodocunque tu dixeris, animam vegetatiuam (licet prædicetur de hac et illa anima vegetatiua) non tamen poni *directe* in prædicamento, itidem plane & ego dicam, de puncto et vnitate; vtraque autem dificultas (quod hic notatu dignum duxi) sic vt ego sentio solui potest.

Species duplex est. *Species* est duplex, *vna quæ est subijcibilis generi, & prædicabilis de individuis: Altera quæ est prædicabilis de suis Individuis, non item subijcibilis vlli generi.* Nos in Cap. de *Specie* sequuti Porphyrium, et Aristotelem, solum vel saltem precipue egimus de Specie quæ *tam subijcibilis est quam Prædicabilis*, quia vox ista *species* precipue, et in vulgari loquendi consuetudine huic soli accommodatur: et de omni omnino tali *specie* verissimum est, quod subijcitur summo generi, ideoque *directe* in prædicamento locatur. Sed *Species* illæ quæ *prædicabiles tantum sunt, non subijcibiles*, quia non subijciuntur vlli *summo generi*, neque de illis vnquam summum genus vllum prædicatur, ideo illæ in prædicamentis nunquam *directe*, sed semper vel *a latere*, vel *reductive* ponuntur.

Animadvertendum autem necessariò esse hanc distinctionem Specierum, liquet, non solum ex his quæ in obiectione ponuntur (*punctum* dico, *Instans*, et *vnitatem*) sed etiam ex omnibus *differentijs logicis*, omnibus *formis physicis* (excepta sola anima rationali) omnibus etiam *propriis quæ non sunt species* in vllo prædicamento, (qualia certe innumera sunt.) Nam ista omnia, *respectu suorum Individuorum*, (non autem individuorum suarum specierum) vt anima vegetatiua respectu huius et illius animæ vegetatiuæ, sunt verè *species*, quia hoc respectu sunt

sunt sine dubio Vniversalia, nec vel *genera* vel *differentiæ*, vel *propria* vel *accidentia* respectu istorum; quod evidenter liquet: quare aut plura vniversalia quam quinque statuenda sunt, aut fatendum est, hæc omnia *hac respectu esse species*. Certissimum verò est, non esse species *subiicibiles*, nam tum neque differentiæ vllæ, differentiæ essent, sed species; neque vlla propria quæ dixi, *propria* essent, neque punctum, Instans, et vnitas, principia quantitatum essent, sed verè quantitates, et species quantitatis: quæ omnia absurda sunt et impossibilia. Quare et esse *aliquas species prædicabiles tantum, non subiicibiles*, et hæc quæ dixi *tales species esse*, et tales species *nunquam diverte sed vel a latere, vel reductive* in prædicamentis poni, agnoscendum est.

Hæc de secundo; sequuntur nunc *Leges* de prædicamentis, quæ duæ sunt.

Leges de Prædicamentis.

1. *Genus Ens est in aliquo Prædicamento, vel directe, vel collateraliter, vel Reductive.* Nam aliter Classes hæ Prædicamentorum insufficientes essent; omnes enim Res ad Prædicamenta spectant. Quorsum enim Arist. Divisionem illam Entis in Substantiam et Accidens, præposuisset, nisi significare voluisset, omne Ens sive sit Substantia sive Accidens, in Prædicamentis locandum?

2. *Nullum Ens sub duobus summis Generibus collocari potest, ideoque nec in diversis Prædicamentis.* Hoc ex secunda Regula Antepræ dicamentali manifestò consequitur, vt ibi ostendimus. Nam aliter sequeretur, eandem Differentiam dividere Genera non subalternata: et vtrum atque idem esse speciem vtriusq. Arist etiam lib. 4. Top. c. 1. nu. 5. idem docet, vbi ait, *ex eo probari Qualitatem non esse Genus Scientiæ, si quis dicat Scientiam poni in Relatione.* Adde *quòd vnius rei est vna tantum essentia.* Vt Arist. ait, 6. Top. c. 4. nu. 2. Quod si idem poneretur in diuersis prædicamentis, sequeretur necessariò duas, aut plures esse proximas essentias eiusdem rei. Nam ab vno quoq; genere essentiam differentiæ hauriret.

Ex hoc autem sequitur: *Ens, vnum, bonum, & verum, & si quæ sint similia, quæ sunt aque in omnibus Prædicamentis, reverà nihil aliud esse quam voces æquivocas, quæ nullam vnam rem naturamve significant*, nam si essent vna res, tum in vnico Prædicamento locarentur.

At Arist. cap. de Qualitate, nu. 33. et seq. ait nonnulla poni et in Prædicamento Relationis et Qualitatis: et in vltimis verbis ait, *Si idem sit Quale & ad Aliquid, nulla absurditas est in vtrosque generibus idem numerare.* Recte notat Pacius, istra ab Arist. dicti non vt vera, sed vt consequentia ex opinione illa veterum quam reijcit ipse. Veteres ponebant omnia quæ quoquo modo dicuntur ad Aliquid, in Prædicamento Relationis. Hoc Arist. refellit. Et ait si ita sit, tum hæc absurda sequentur, Primo *vt idem ponatur in duabus generibus summis.* Secundo vt *Genus ponatur in vno Prædicamento, & tamen species illius non in eodem.* Et illa vltima verba irrisionem continent opinionis

Dub.

Sol.

nionis veterum. Si idem sit Quale et ad Aliquid, tum fatendum esset nihil esse absurdi ponere vnum et idem ipsi diversis Generibus: at hoc fateri absurdissimum est. Ergo illud quod veteres dicebant, absurdum est.

Hæc de Prædicamentis in Genere.

CAP. IX.

De Numero Prædicamentorum.

SEquitur specialis tractatio Prædicamentorum. Sed priusquam ad singula procedamus, ante omnia de Numero eorum dicendum est, vt quot sint summa Genera et Prædicamenta inuestigemus. Opus profecto valde arduum et difficile, summe tamen necessarium: vt hic merito, vel industriam, vel acumen interpretum desideres. Nos quid probabile videbitur certis aliquot propositionibus expediemus.

An sit vnum Prædicamentum.

Primò videri potest esse vnum tantùm Summum Genus, nempe *Ens* (sicut docuit Petr. Ramus. Animadv. lib. 3. in cap. de Specie.) subquo alia omnia continentur, ideoque vnum tantùm esse Prædicamentum. De hoc igitur pono hanc Conclusionem. *Ens neque est summum Genus omnium rerum, nec verò est omnino Genus: ideoque non potest vllum Prædicamentum constituere.*

Ens non est Genus.

Ens non esse Genus duplici ratione demonstrari potest. Primò sic. Nullum Genus de suis differentijs prædicari potest. Vt sup. lib. 1. cap. de Differentia. Reg. 1. dictum est. Nam si de ijs Genus diceretur, tum illæ non essent Differentiæ, sed species illius Generis. At Ens prædicatur de omnibus differentijs per quas diuidi potest. Nam illæ vel sunt entia, vel non entia. Non entia esse non possunt, nihil enim tum essent, ideoque nihil vel diuiderent, vel constituerent. Entia igitur sunt, atque ita Ens de ijs directe prædicatur; quare Ens Genus esse non potest, cum differentias nullas habeat. Ex quo iterum sequitur, quod *Ens nullas species habere possit.* Nam omne Genus per differentias diuiditur in species; et omnes species constituuntur per differentias quæ dividunt Genus; at differentiæ nullæ sunt aut esse possunt Entis: quare neque vllæ species, neque vlla Individua ipsius.

Secunda ratio est hæc. Ens tam dicitur de Deo quam de creaturis: vtraque enim in hoc conueniunt, quod sint Ens, & neutrum non Ens dici potest. Quare si Ens Genus sit, erit sane non minus Dei quam aliarum Entium Genus; At nullum Genus, imò verò nihil omnino de Deo & creaturis vniuocè & essentialiter prædicari potest. Vt recte probat

probat Aquin.lib. 1. cont. Gent.cap.32. Et ratio huius est manifesta. Nam omne Genus, & omne vniuocum prædicatum, est prius naturâ eo cuius est vniuocum & essentiale prædicatum. Sed nihil Deo prius fingi potest, cum is sit Primum Ens, & fons vnde alia omnia Entia suam entitatem habent, quare Impossibile est vt Ens Genus sit. Multo minus summum Genus erit.

His addi potest testimonium, tum Porphy. cap. de Specie, nu. 10. qui ex Arist. docet, *Ens non nisi æquiuoce prædicari*, ideoque non esse verum Genus: tum Arist. ipsius qui lib. Periher. cap. 2. nu. 5. *ipsum Ens* (vt communiter sumitur) *nihil ipse*, id est, nullam rem aut naturam notare, sed solum vocem æquiuocam esse affirmat.

Secundò videri potest *Ens finitum* esse vnum sumptum Genus omnium, ad quod Deus, qui infinitus est, vt principium referatur, reliqua omnia sub ipso contineantur, vel directè vel collateraliter.

Ens finitum non est Genus.

De hoc pono hanc conclusionem. *Ens finitum non est summum Genus omnium entium finitorum, nec verè genus vllius entis.* Hoc eodem modo probatur, quo ante de ente probauimus. Nam quascunque differentias Entis finiti accipias, certum est eas esse entia finita. At Genus de suis differentijs diuisiuis dici non potest. Ens igitur finitum Genus non est. Præterea cum Ens finitum Differentias nullas habeat, certe nec Species aut Individua vlla habere potest.

An sint Duo tantum Prædicamenta.

Tertio dubitari potest an sint duo tantum summa Genera. Substantia nimirum & **Accidens.** Nam cum omnes substantiæ ad vnam Classem pertineant, videtur consentaneum, vt omnia Accidentia in vna alia reponantur: quia sicut Substantia vnam & vniuocam essentiam omnibus substantijs tribuit, nimirum hanc, *Non inesse in subiecto*, ita Accidens omnibus accidentibus vnam & vniuocam naturam tribuit, nempe hanc, *Inesse in subiecto*. Quare aut neutrum, aut vtrumque pro vno summo genere habendum est, cum vtriusque par sit ratio: & hoc Simpl. lib. 5. Met. cap. 1. q. 12. vbi Substantiam, ita *Accidens omnium accidentium vniuocum Genus statuit.*

Substantia est summum Genus, et primum prædicamentum.

Vt hoc expediam pono duas Conclusiones, prior est hæc. *Substantia est verè vnum summum Genus, & vnum Prædicamentum, in quo omnes Substantiæ continentur.* Ratio est, quia Substantia omnibus suis inferioribus vnam tribuit & vniuocam naturam. Illa autem non est ista cuius in dubitatione mentio fit (*non inesse in subiecto*) sed hæc, esse *vltimum subiectum accidentium.* Atque ad hoc vnum Genus omnes substantiæ spectant, vel vt *Principia*, vel vt *Differentia*, vel vt *species & Individua.*

Accidens non est Genus.

Secunda conclusio est hæc. *Accidens non est vnum summum Genus omnium Accidentium, nec verè Genus est omnino vllorum, ideoque ad ipsum vt ad vnum Prædicamentum omnia Accidentia non possunt referri.* Hoc eodem fundamento nititur, quo illud quod de Ente & Ente finito diximus. Nam quascunque differentias Accidentis sumas, illæ Accidentia erunt sine dubio. Etenim entia sunt, & non Substantiæ nam

nam substantia de essentia accidentis esse non potest. Quod si Accidentia sint, tum Accidens Genus esse non potest, quia nullum Genus de differentijs suis prædicatur. Cumque Accidens differentias non habeat, certè nec species vllas aut Individua habere potest. Atque hinc vlteriùs consequitur, *Accidens, quod de omnibus Accidentibus prædicatur, non esse quid reale, neque rem vllam aut naturam communem & vniuocam notare,* (tunc enim vere Genus esset.) *Sed esse solam vocem æquiuocam quæ de omnibus accidentibus æquiuocè prædicatur,* quod idem de Ente, & Ente finito dicendum est.

Dub. Dices, hæc eadem ratione probari posse nec Substantiam quidem esse Genus, quia vere de omnibus suis differentijs prædicatur. Etenim omnes differentiæ substantiales vel sunt Substantiæ, vel Accidentia. Accidentia esse non possunt, quia Accidens non potest esse de essentia vllius substantiæ. *Sol.* Respondeo, verissimè quidem istâ Ratione probari, *Substantiam illam quæ de differentijs substantialibus prædicatur, non esse Genus.* Nec sanè est: Sed æquiuoca solum vox, vt Ens: Ea verò Substantia describitur per *non inesse in subiecto.* At Substantia quæ est summum Genus describitur per, *Substare Accidentibus, quodq; est vltimum subiectum cui accidentia inhærent.* Hæc autem Substantia de nullis ipsius differentia dicitur, tunc enim Genus esse non posset, sicut ob hanc eandem rationem Accidens, Genus omnium Accidentium non est.

An sint tria Prædicamenta. Quarto verò potest, Tria tantum esse nec plura prædicamenta aut summa genera. Vnum *Substantiæ*, alterum *Accidentium absolutorum*, Tertium *Accidentium Respectivorum*. Ratio dubitandi est, quia videntur omnia *Accidentia absoluta* ad vnum summum Genus referri posse, nempe *Accidens absolutum*, cuius essentia vna eademque omnibus communicatur, nempe *habere essentiam absolutam*, et non ad aliud relatam. Itidem Respectiua omnia videntur ad aliud vnum summum Genus referri, nempe *Accidens Respectivum*, cuius essentia vna eademque est omnibus communis, nempe *in sua essentia ad Aliud referri*. De hoc pono quatuor Conclusiones.

Accidens Absolutum non est Genus. 1. Est hæc. *Accidens absolutum non est omnium Genus, nullum summum Genus, aut vnum Prædicamentum in quo omnia Accidentia absoluta reponuntur.* Ratio eadem est, quæ prius est exposita. Nam Accidens absolutum de omnibus suis differentijs quibus diuidi potest vere prædicatur. Accidentia enim sunt, & non respectiua; quia tam species quas cõstituunt non possent esse entia absoluta. Genus verò de nullis differentijs ipsius prædicatur. Quare Accidens Absolutum cum nullas differentias habeat, aut, habere possit, per quas diuidatur, certe neque species vllas habet in quas diuidi potest: ideoque Genus nullo modo dici potest. Sed sicut Ens, Ens finitum & Accidens, est tantum æquiuocæ vox quæ de omnibus Accidentibus absolutis æquiuocè prædicatur.

Etsi verò *Accidens Absolutum*, Genus non sit, tamen ea quæ per illam

illum æquiuocam vocem notantur, Genera summa vere sunt. Sunt autem duo, quæ sine omni dubitatione pro absolutis agnoscuntur, *Quantitas* & *Qualitas*. De priori pono hanc quæ est secunda Conclusio.

Quantitas est vere summum Genus & secundum prædicamentum, in quo omnes Quantitatis earumque differentiæ & termini reponuntur. Hoc inde liquet, quia Quantitas vere notat realem naturam multis communem, nempe omnibus speciebus quantitatis. Ea verò est, *per quam subtilium denominatur quantum*, quod æque Lineæ, Superficiei, Tempori, ac Numero conuenit. Genus igitur est. Supra ipsam verò nihil est, aut fingi potest nisi *Ens*, *Ens finitum*, *Accidens*, & *Accidens Absolutum*, horum autem nullum Genus esse ante declaravimus. Quare est summum Genus, vt ab Aristotele ponitur. In hoc autem prædicamento, Species omnes quantitatis *directè*, Differentiæ *collateraliter*, Termini verò *reductiuè* reponuntur. *Quantitas est secundum prædicamentum.*

De Qualitate sit hæc tertia Conclusio. *Qualitas est vere summum Genus & tertium Prædicamentum.* Hoc simili omnino ratione probatur, ac de Quantitate modò vsi sumus. *Qualitas est tertium Prædicamentum.*

De Accidente Respectiuo pono hanc quartam Conclusionem. *Accidens Respectivum (quod Relatio vocatur) est vere Summum Genus & quartum Prædicamentum, in quo Relationes omnes, earumque differentiæ collocanda sunt.* Hoc etiam pari ratione confirmatur. Certum est enim esse Relationes & Relata prope infinita, & multas earum species. Alia sunt inter Personas, vt Pater et filius: Alia in rebus vt simile & dissimile, & similia. Iam omnes Relationes sunt vere & realiter entia; nam aliter sine conceptu mentis nemo esset, vel Pater vel Filius, vel Dominus vel Rex, quo nihil absurdius dici potest. Etiam si a nostro intellectu & cogitatione ista penderet, certe pro arbitrio nostro hic esset, aut non esset dominus, Rex, aut Pater. Cum ergo omnes Relationes vere entia sint, omnes in hac vna et vniuoca natura ac reali essentia conueniunt, quod *ex sua natura ad aliud respectum tendant*. Hæc autem communis omnium natura, est hoc ipsum Genus quod *Relationem* vocamus. Supra autem hoc Genus nihil est præter *Ens*, *Ens finitum*, *Accidens*, et *Accidens respectivum* ut communi, quorum nullum esse Genus constat: quare Relatio vere est summum Genus et distinctum prædicamentum, vt ab Arist. ponitur. *Quartum Prædicamentum.*

Dices Accidens Respectiuum non esse Genus, quia de suis differentijs diuisiuis non minus quam Ens aut Accidens, aut Accidens absolutum prædicatur. Illæ enim Accidentia sunt, quia Substantia de essentia accidentium esse non potest: Absoluta autem Accidentia non sunt, quia tum species quas constituunt, essent entia Absoluta, non respectiua. Cum igitur nullum Genus dicatur de suis differentijs (& de differentijs Relationis, Ens respectivum dicatur) certe *Ens respectivum* Genus dici non potest. *Dub.*

Respondeo, differentias Relatorum esse *accidentia respectiva*, non *Sol.*

absoluta, & tamen *Relatio quæ est Summum Genus*, de ijs non dicitur. Nam Ens illud respectivum quæ *Relatio* vocatur & quæ est summum Genus, est abo sensu Accidens respectivum, quam differentiæ ipsius.

Tria in omni Relatione notanda.

Quod vt intelligatur, attente obseruandum est, ad omnem Relationem tria requiri. Primum est, *vt sint illius duo termini quorum vnus ad alterum referatur.* Secundum est, *ipsa referentia seu Relatio per quam termini illi inter se referuntur.* Tertium est, *Intrinseca & formalis causa cur per istam relationem illi termini referantur.* Exempli gratia; Pater et filius sunt termini qui referantur. Paternitas est Relatio qua Pater ad filium, et filiatio est Relatio qua filius ad Patrem refertur. Ipsa vero essentialis differentia Paternitatis, est intrinseca causa cur per Paternitatem Pater, et differentia filiationis est intrinseca causa cur per filiationem filius referatur. Nam sicut formalis causa quare Albedo denominat subiectum Album, est propria differentia albedinis, causa vero quare denominat subiectum suum quale, est simplex essentia qualitatis quæ est summum Genus: ita plane hic fit, Causa proxima & formalis quare per paternitatem Pater refertur ad filium, & nihil aliud, est *differentia proxima* & specifica Paternitatis; Causa verò quare per paternitatem relatio ad aliud notetur, est *simplex essentia Relationis* quæ est summum Genus. Ex ista communi natura & essentia Relationis habet Paternitas hoc, vt per ipsam relatio ad aliud notetur. Sed cur ad filium potius, quam ad Dominum, relatio per paternitatem notetur, hoc prouenit a propria & specifica ipsius natura & Differentia. Hoc obseruato, solutio non erit difficilis. Differentiæ Relationis sunt entia respectiua, *vt Ens respectiuum sumitur pro eo quod est alijs formalis & intrinseca causa referendi.* Summum Genus & omnes illius species sunt entia respectiua, prout *Ens respectiuum sumitur pro ipsa referentia aut Relatione per quam vnum ad aliud refertur.* Termini Relationis sunt entia respectiua prout *Ens respectiuum sumitur pro eo quod refertur ad Aliud.* Ita *Ens respectiuum*, quod communiter prædicatur de summo Genere eiusque speciebus & de differentijs Relationum, & de Terminis Relativis, illud inquam est nihil aliud *quam vox æquivoca omnibus communis, & non est summum Genus, nec omnino genus*, quia vna ratione dicitur de Relatione, quæ est summum Genus, *alia de differentijs ipsius, & alia de Terminis relativis.* Sicut Substantia quæ prædicatur de differentijs substantialibus non est Genus, sed æquivoca vox, tam Summo generi quã differentijs eius cõmunis. Summa huius quartæ Conclusionis duabus propositionibus explicari potest. Prima est hæc. *Ens Respectiuum in communi prout significat tam illa quæ referuntur, quam illud per quod referuntur, & illud propter quod referuntur, non est Genus omnino sed æquiuoca vox, communis tam summo generi quæ est Relatio, quam differentijs ipsius, & Terminis Relativis.* Secunda est hæc. *Ens respectiuum prout significat illam ipsam referentiam per quam duo Termini inter se referuntur, quæ Relatio dicitur, est vere summum Genus, & de nullis differentijs ipsius aut Terminis relativis prædicatur.*

Quatuor

Quatuor esse summa genera liquet: Nunc an plura sint inquirendum est. *Non esse plura*, opinatur sol. Pacius non indoctus Arist. interpres, Annot. in cap. 4. Categ. Ratio dubitandi est hæc, quia sex alia, nempe *Actio, Passio, vbi Quando, Situs & Habitus*, sub *Relatione comprehendi* & in quarto Prædicamento locanda videntur, quia relationem notant Agentis ad Patiens, loci ad locatum, temporis ad rem temporalem, partium ad Totum, et Vestimenti ad vestitum. Quæ dubitatio maior erit, si sex ista vt *quidam opinantur*, Relata sint *secundum esse*. Vt hoc expediam pono tres Conclusiones.

An sint tantum quatuor Prædicamenta.

1. Est hæc. *Si ista sex concedantur esse Relationes aut ex natura sua relationem ad aliud notare necessario, fatendum est illa omnia in Prædicamento Relationis esse reponenda.* Tunc enim in hac communi essentia convenient cum ijs omnibus quæ in Relationis Prædicamento ponuntur, & essentiam ipsam summi Generis in se continebunt. Nec refert si dicas, sex ista, esse *Relationes tales quæ oriuntur ex applicatione vnius termini ad alium*, vt Agentis ad Patiens, cum alia relata quæ sunt in quarto Prædicamento talem applicationem non requirunt. Nam ob hoc discrimen non magis constituere possunt diuersa prædicamenta, quam Relata in Personis, et *Relata in Rebus*. Sed quomodocunq; alia Relata ab alijs in specie distinguantur, certum est eas omnes in vno Prædicamento, & sub vno summo Genere Relationis contineri, quæ in communi ista natura & essentia Relationis conveniunt, & quæ ex sua natura respectum notant.

Relationes omnes sunt in vno Prædicamento.

2. Conclusio est hæc. *Ista sex, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs & Habitus, non sunt Relationes, neque ex sua natura relationem important, adeoque nullum eorum est Relatum secundum esse, aut in quarto Prædicamento continetur.* Hoc secundum Arist. extra dubitationem est. Nam ille distinxit hæc in sex Prædicamenta, quorum vnumquodque natura & essentia ab illo Prædicamento Relationis secernitur, quo etiam eodem modo distinxit 1. Top. cap. 9. & 5. Metaph. cap. 7.

Actio & Passio & reliqua non sunt Relationes.

At videntur relationem notare, nam *Agens* est in Patiens agens, & Patiens ab agente Patiens. *Vbi*, est relatio loci ad Locatum, & sic in reliquis. Respondeo, important quidem Relationem, *sed ex sua natura non sunt Relationes, adeoque sunt Relata secundum dici, non secundum esse.* Multa enim quæ naturâ sua absoluta sunt, important respectum ad aliud: Vt scientia ad scibile, Sensus ad sensibile, Locus ad locatum, Actio ad Passionem; sed hic respectus non est *ipsa natura & essentia illorum*, sed accidentale quiddam superadditum essentiæ, ideo aliud quiddam (& quidem *Principaliter*) notant quam istum respectum, vt Scientia principaliter notat absolutam qualitatem ex qua scientes vocamur. Sensus, absolutam potentiam ex qua sentire possumus. Actio, absolutam naturam ex qua subiectum dicitur agens. Vbi, absolutam naturam ex qua res dicitur esse alicubi, sic in reliquis. Et hoc in nonnullis, nempe in Actione & Passione demonstrari potest. Nam si actio ex natura sua relationem notaret ad

Dub.

Sol.

Passionem, tum nulla esse posset actio sine Passione. At *multæ sunt actiones vbi nulla est Passio.* Nam sentire est agere, itemque intelligere; at in illis nihil omnino patitur; quod idem de omnibus actionibus *immanentibus* verum est. Præterea Actio sæpenumero est causa Passionis, vt Actio ignis dum calefacit, est causa cur aqua patiatur & recipiat calorem; omnis autem causa, est naturâ prior suo effectu: At Relatorum secundum esse, neutrum est prius altero vel naturâ vel tempore. Vlterius si Actio & Passio essent *Relata secundum esse*, & ex sua natura, sine dubio in aliquo vniuoco prædicato & essentia communi conuenirent: hæc enim natura vtrique communis esset, *quòd ex sua natura ad aliud referuntur.* Quod idem de reliquis quatuor dici debet. Quare non possunt esse decem, sed vel quatuor tantum, vel ad summum quinta Prædicamenta. Postremo si Actio & Passio, cum sint Relata, possent facere duo distincta prædicamenta, eodem omnino iure, Vbi, & ipsius correlatum, (putemus Vbi Activum, et Vbi passivum,) ita Quando Activum, et Quando Passivum, efficerent duo distincta Prædicamenta: tam enim distant inter se, Vbi, et ipsius correlatum, quàm Actio, et ipsius Correlatum: quare efficietur non iam esse solum decem, sed quatuordecim, aut plura Prædicamenta. Quæ omnia cum absona sint, & Aristoteli repugnanti, omnique antiquitati contraria, fatendum est nec Actionem, nec Passionem, nec Vbi, nec Quando, nec Situm, nec Habitum ex *natura sua esse Relationes*, aut *Relationem ex essentia sua* notare, sed reipsa ac natura esse *Entia absoluta.*

Actio, Passio, et alia quatuor sunt distincta Prædicamenta.

3. Conclusio est hæc. *Vna sex, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs & Habitus, verè sunt sex distincta summa genera, & diuersa prædicamenta, in quibus, singulorum species & differentiæ collocantur.* Hoc ex præcedentibus consequitur. Nam cum vnumquodque horum Ens sit, et realem naturam notet, ex qua subiectum verè et realiter denominatur esse Agens, Patiens, Alicubi, Aliquando, Situatum, aut Habituatum; cumque in nullo præcedentium Generum contineantur, neque vllum ipsorum sub altero, sub singulis verò ipsorum multæ species contineantur, efficitur necessariò vnumquodque horum esse distinctum Genus. Et quia supra illa nihil est reale, nec quidquam præter *Ens*, *Ens finitum*, *Accidens*, & *Accidens absolutum*, quorum nullum Genus esse ante probauimus, relinquitur vnumquodque horum esse summum Genus, & distinctum Prædicamentum.

Ex his iam constat *decem esse summa Genera, seu Prædicamenta*, non plura nec pauciora. Ea his versibus continentur.

In

7 4 1 4 8
In Campo magno pugnabat fortiter olim,
3 1 9 6 10.
Filius Arvesti, stans & calefactus in armis.

Praedicamenta decem quæ.

Ea verò sic distribui possunt.

Omne Ens *completum*, *id est*, *divisile in praedicamento letum*, vel,

- Est *subsistens Accidentium*, & tum est *Substantia* 1.
- Est *in subsistente*, & tum est *Accidens*, idque vel
  - *Absolutum* quod absolutam naturam & essentiam habet, & horum sunt 8. genera. Nam tale Accidens denominat Subiectum vel,
    - *Quantum*, & tum est *Quantitas*. 2.
    - *Quale*, & tum est *Qualitas*. 3.
    - *Agere*, & tum est *Actio* 4.
    - *Pati*, & tum est *Passio*. 5.
    - *Esse alicubi*, & tum est *Vbi*. 6.
    - *Esse Aliquando*, & tum est *Quando*. 7.
    - *Esse Situatum*, & tum est *Situs*. 8.
    - *Esse Habituatum*, & tum est *Habitus*. 9.
  - *Respectivum*, quod ex *sua natura respectum & relationem notat* qua vnus terminus ad alium refertur, & hæc est *Relatio*. 10.

Ac de *Numero Praedicamentorum* satis multa, nisi & hic etiam præstitisset vt solent Interpretes, manum ab hac tabula, imò vero ab his spinis continuisse.

Cap. X.

De Substantia.

Procedendum nunc est ad specialem singulorum prædicamentorum tractationem; & primò agendum de Substantia, quæ cum dignitate, ac perfectione, tum ordine naturæ, reliquis prior est.

De substantia tria declaranda sunt.
1. *Quaenam sit illa Substantia quae est summum genus, et quo modo ad eam referantur.*
2. *Quae eius proprietates.*
3. *Quae illius species, seu series praedicamentalis.*

Vt primum horum explicetur, diligenter animaduertenda est haec distinctio huius vocis, *Substantia.*

Acceptiones huius vocis Substantia.

Substantia vox capitur dupliciter,

- *Generatim, pro essentia cuiusque rei, sic vt quicquid sit de essentia alicuius rei, illud dicatur esse substantia vel de substantia illius,* sicut quicquid non est de essentia rei dicitur accidens eius: Hinc Arist. septimo Metaph. cap. 3. *Substantia,* inquit, dicitur *quod est esse rei,* et Aquin. part. 1. quaest. 29. art. 2. Vno modo dicitur Substantia, *Quidditas rei,* quam Graeci *ovsiae,* nos essentiam dicimus: & Magister, lib. 1. Sent. distinct. 23. lit. D. *Non aliter in sermone Latino essentia, quam substantia solet intelligi.* Hoc sensu verè dicas quantitatem esse substantiam lineae, qualitatem virtutis.
- *Speciatim pro omni eo, eoque tantum quod per se subsistit, non inhaerens vlli subiecto:* et talis substantia est duplex,
  - *Infinita, quae infinitam habet essentiam et perfectionem:* talis est solus Deus Opt. Maximus.
  - *Finita, quae finitam essentiam & perfectionem habet:* et haec est duplex,
    - *Vna, quae substat accidentibus, estq; eorum basis ac subiectum vltimum cui inhaerent,* et haec vocatur *substantia completa* quia completur ex partibus vel *essentialibus,* vel *subiectiuis.*
    - *Alia quae non ipsa quidem substat accidentibus, sed est interna causa, per quam alia substant,* et haec dicitur *substantia incompleta;* quia non completur ex partibus *essentialibus,* neq; forte ex subiectiuis. Tales sunt omnes differentiae substantiales, excepto rationali.

Posita

Posita hac distinctione sex conclusiones inde subnectò.

Prima est hæc: *Substantia vt generatim sumitur, pro omni eo quod est essentiale cuiuscunque rei, non potest esse summum genus in hac serie*: Hoc clarissimè liquet quia in hoc sensu accidentia multa, nomine substantiæ significantur. *Substantia generatim accepta non est summum genus.*

Secunda conclusio est hæc: *Substantia vt sumitur pro omni eo quod per se subsistit nec inhæret alteri, non potest esse summum genus in hoc prædicamento*. Hoc etiam apertissimum est; nam substantia in hoc sensu, prædicatur tam de Deo, quàm de creaturis; Deus enim hoc sensu verè substantia dicitur, imò omnium verissimè, quia *ipse per se* sine vllo alio, *subsistit*, ac nihil aliud *per se* ita subsistit, vt sine alio sit. Nec enim vlla substantia finita, sine accidente, nec vllum accidens sine substantia, existit; Solus Deus sine vtroque ab æterno extitit; vnde verissimè Aug. lib. 13. Conf. cap. 3. *Tu solus es, quia solus simpliciter es*. Cum igitur substantia ita accepta, communis sit tam Deo quàm creaturis, efficitur substantiam istam genus aut vniuocum prædicatum esse non posse: nam nullum *genus*, aut commune *vniuocum prædicatum* de Deo & creaturis dici potest, quia tale prædicatum esset naturâ prius Deo, quod est impossibile: cum ille sit omnium Entium primum, a quo omnia naturas suas habent & accipiunt. *Substantia per se subsistens non est summum genus.*

Tertia conclusio sit hæc. *Substantia infinita* (qualis est solummodò Deus) *non est summum genus, siquidem vllum omnino vel genus vel species vel individuum vel differentia vel accidens in illo prædicamento*. Ratio manifesta est, quia quicquid tale est id finitæ naturæ sit necesse est; Si enim infinita esset, finibus illius prædicamenti contineri ac terminari non posset; Deus verò omni modo infinitus est: quare in nullo locari potest, vel vt *genus* vel vt *species* vel vt *individuum* vel vt *differentia* vel vt *accidens* vllius: verè Magister lib. 1. Sent. Dist. 19. *Essentia Diuina nec est genus, nec species*; Quod Aug. rationibus firmissimis demonstrat lib. 7. de Trinit. cap. 6. Tantummodo vt infinitum, substantiarum, & rerum omnium principium, ad *substantiam* vt dignissimum prædicamentum Deus reduci potest, in quo non aliter esse, quàm *reductivè* censendus est, vt supra cap. 8. monuimus; qui modus, nihil quidquam de illius infinitæ ac infinitæ perfectione diminuit, sed eandem illustrat potius & manifestat. *Substantia infinita non est, summum genus.*

Quarta conclusio sit hæc. *Substantia finita, genus summum in hoc prædicamento esse non potest*: Hoc liquet: nam nullum genus de suis differentijs diu suis prædicari potest, vt sæpe antea ex Arist. 1. monuimus: At substantia finita de omnibus differentijs substantiarum quæ in hoc prædicamento ponuntur vere prædicatur: substantiæ enim sunt, & entis quæ per se subsistunt, aliter accidentia essent; & sic non de essentia substantiarum. Finitæ autem sunt; nam præter Deum nihil omninò infinitum est, aut infinitam essentiam & perfectionem habet. Relinquitur ergo hoc prædicatum (*substantia finita*) prout, tam differentijs substantiarum, quam generibus ac speciebus commune est, non esse *Substantia finita non est summum genus.*

genus aut vniuocum vllum prædicatum, sed solùm æquiuocam vocem quæ de vtrisque dicitur, vt *Ens*, aut *Ens finitum*, aut *Ens absolutum*.

Substantia incompleta non est summum genus.

Quinta conclusio sit hæc: *Substantia incompleta genus summum esse non potest.* Hoc ex se clarum est; nam talis substantia de differentijs omnibus substantialibus ipsique solis prædicatur; at genus de nulla differentia sua prædicari potest, vt sæpe monuimus: Deinde substantiæ incompletæ sunt ipsæ differentiæ substantiales, at nulla differentia genus est, aut esse potest.

Substantia completa est summum genus.

Sexta conclusio sit hæc. *Substantia completa, id est, ea quæ substat accidentibus vt eorum vltimum subiectum cui inhærent, est vere summum genus in hoc prædicamento.* Genus esse hinc constat, quia realem naturam notat, hanc nempe *quòd accidentia ei inhærent*; seu *quod substet accidentibus*. Vnde & substantia dicitur a verbo *substo, substas*, non vt aliqui putant, a verbo *subsisto*. Hoc autem reale quid esse, liquidum est; cum sepositâ omni operatione intellectus, accidentia reuera substantiæ insint, vt albedo corpori, cognitio spiritui. Iam hæc realis natura, multis speciebus communicatur, corpori nimirum, & spiritui. Ambo enim in hac communi natura, inque hoc vniuoco & essentiali conceptu ac prædicato conueniunt; nam sicut corpus quantitati, ita spiritus cognitioni & intellectui substat, vt illius subiectum cui inhæret. Quare genus verè est Spirituum ac corporum omnium. Summum verò genus esse hinc constat, quia supra ipsum, genus nullum inueniri potest, nec vllus vniuocus & essentialis conceptus, in quò ipsum & alia conueniunt, nihil enim supra ipsum fingi aut cogitari potest, nisi vel *Ens*, vel *Ens finitum*, vel *Ens absolutum*, vel *substantia*, vel *substantia finita*: at nullum horum genus est: iam demonstrauimus, quippe vnumquodque horum de suis differentijs prædicatur, quod de nullo genere verè affirmari potest; Substantia autem completa, seu quæ substat accidentibus, de differentijs suis non dicitur: Etenim illæ etsi sic *per se* subsistant vt *nulli inhæreant*, ideoque in hoc sensu substantiæ verè dicantur; tamen non *substant accidentibus*, nec sunt subiecta eorum; sed sunt simplices formæ aut formales causæ per quas substantiæ ab illis constituræ, his aut illis accidentibus substant. Quare in hoc sensu quo summum genus Substantia vocatur, nullæ differentiæ substantiales, substantiæ appellari possunt. Vnde perspicuum est *substantiam completam* quæ substat accidentibus, esse verè genus, & summum genus in hoc prædicamento. Quomodo verò Anima rationalis sit subiectum accidentium cum formâ sit, itemque quomodo genus hoc summum quod substantiam vocamus, idem *omnino vt ac natura sit cum materia prima*, declaratum est fusiùs a nobis in nostra illa Introductione in Metaphysicam, vt hic repetenda non sint.

Sequitur nunc quod secundo loco proposui, vt substantiæ huius quæ est summum genus, proprietates explicentur. Sed priusquam illas proponam, obseruanda est illa substantiæ distinctio cuius apud Arist. frequens est mentio, ea hæc est.

Substantia

Substantia completa est duplex.

Prima, quæ primo subsit accidentibus communibus seu contingentibus, & tales sunt omnia individua hujus prædicamenti, vt Socrates, hic leo, hic equus.

Secunda, quæ secundarii, & gratia primarum subsit accidentibus communibus seu contingentibus (nam propriis prius subsunt secundæ quam primæ substantiæ) & tales sunt omnia genera & species hujus prædicamenti, vt homo, animal, corpus, substantia ipsa.

Substantia prima & secunda.

Dicitur autem individualis Substantia, *prima*, non *primitate naturæ aut essentiæ*; nam secundæ sunt priores naturâ, quam primæ: nec *primitate existentiæ*, nam neque primò existit secunda ac prima: simul enim ambæ sunt quoad existentiam: Sed vocatur prima quoad *primitatem subsistendi accidentibus communibus seu contingentibus*; nam illis primo & primario subsistat, vt diserte docet vereque Porphyr: cap. 11. ou 4. & illarum gratia, atque secundariò, eisdem subsistat secunda substantia: vt doctrina, fortitudo, & similia, prius insint Socrati, & Hectori; Secundariò verò, & gratia illarum, homini.

Est verò hæc diuisio *substantia completa in primam & secundam, neque diuisio generis in suas species*: nam tum individua essent species, itemque summum genus: *neque vocis in suas significationes*, nam diuisum est res et ens veré reale: sed est diuisio *totius integralis seu aggregati in suas partes integrales*, ach ita diceres, Eorum omnium quæ *substantia completa* vocantur, aliæ sunt *individuales et primæ*, aliæ *universales & secundæ substantiæ*; quomodo si dicas, Hominum alii sunt Angli, alij Hispani, alij Itali, &c. qua de re consule lib. 1. cap. vlt.

Qualis sit diuisio substantia in primam & secundam.

Ex his quæ de primis et secundis substantiis iam dicta sunt, consequuntur conclusiones quas infinuat Arist.

1. *Sublatis primis substantijs quoad actum & existentiam, tolluntur etiam quoad actum & existentiam omnes secundæ substantiæ, imo & omnia accidentia.* Ratio est aperta: quia omnes secundæ substantiæ, omniaque accidentia, existunt in primis, neque vel extra primas, vel sine illis existere possunt. Quare primis substantiis actu sublatis, cætera omnia actu tolli necesse est.

Quomodo prima substantia tollant secundas, & cætera.

2. *Sublatis secundis substantijs quoad actum & existentiam, tolluntur etiam prima quoad actum & existentiam.* Ratio est, quia secundæ sunt de essentia primarum. Quòd si essentia rei actu tollatur, rem ipsam actu tolli necesse est, quia sine sua essentia nihil actu existere potest.

3. *Sublatis primis substantiis quoad mentem & intellectum, sic vt nihil cogites de eis, non tamen quoad mentem & intellectum tolluntur secundæ, sed eas nobiscum veré concipere potes.* Ratio est, quia primæ sunt extra essentiam, et quasi accidentia secundarum: potest verò quæque res in

sua

sua essentia recte concipi, etiamsi mente seponas omnia accidentia, & ea quæ sunt extra essentiam eius, et hoc est quod docet Porphyr. cap. 3. num. 7. & cap. 9. num. 6. vbi ait, Inferiora non tollere superiora.

4. *Sublatis secundis substantiis quoad mentem & intellectum, sic vt nihil cogites concipiasve de iis, tollantur quoad mentem & intellectum primæ.* Ratio est, quia secundæ sunt de essentia primarum, & sine essentia, nulla res ne concipi quidem aut intelligi potest: & hoc est quod locis citatis dixit Porphyr: *superiora tollere inferiora, sed ab eis non tolli*, nempe quoad mentem & conceptum.

Nunc ad proprietates seu communitates substantiæ completæ veniamus; sex Arist ponit, quas paucis expediemus.

Proprietates substantiæ.

1. *Substantia non inest in subiecto*; quod ex secunda divisione antepræd icamentali facile intelligitur. Est autem hoc proprium substantiæ completæ secundo modo, nam convenit omni sed non soli, quia etiam incompletæ substantiæ, etiam & infinitæ convenit.

2. *Substantia de subiectis suis vniuocè prædicatur*: hoc communitas est potius quam proprietas. Nam nec convenit omni substantiæ completæ, non enim primæ, quia illi subiecta aut inferiora nulla sunt: nec soli completæ, quia etiam differentiis substantialibus, quæ sunt incompletæ.

3. *Substantia hoc aliquid significat.* Quid verò sit significare hoc aliquid ipse Arist. explicat, nempe significare vnum quid numero, aut vnum aliquod individuum per se subsistens: Hoc proprium est completæ substantiæ primo modo, nam convenit soli completæ substantiæ, sed non omni, quia non secundæ; illa enim videtur solùm significare hoc aliquid, sed reverà non significat particulare quid, nisi impropriè et per signum appellationis, vt si dicam homo venit, & per hominem Socratem intelligam: propriè autem secunda substantia significat vniversalem naturam, aut (vt Arist loquitur) qualitatem, sed *qualitatem substantialem*, non accidentalem, qualis est rationalitas, sensibilitas, corporalitas, & similia.

4. *Substantiæ nihil est contrarium*, nempe adversè, nam contraria omnia adversa accidentia sunt: quod si substantia vna alteri dicatur contraria, vt ignis aquæ, aer terræ, id intelligitur per accidens, aut gratia accidentium ipsi inhærentium, non autem per se: sic enim accidentia sola adversè contraria sunt, vt calor frigori, humor siccitati; et quia igni calor, aquæ frigus inest, et aeri humiditas, terræ siccitas, ideò gratia horum ignis contrariari dicitur aquæ. Est autem hoc proprium completæ substantiæ secundo modo, nam convenit omni, sed non soli, quia etiam incompletæ, etiam et multis accidentibus, vt quantitati, figuræ, aliisque.

5. *Substantia non recipit magis & minus*, id est de nullo prædicatur cum his adverbiis magis et minus, vel nullos gradus admittit, sic vt secundum plures vni individuo insit, et secundum pauciores alteri; vt

vt Socrates non est magis homo, quàm Chorebus; sed est magis doctus, aut intelligens Chorebo, quia plures gradus doctrinæ et intelligentiæ ei insunt. Est autem hoc proprium substantiæ secundo modo, quia convenit omni completæ substantiæ, sed non solùm etiam incompletæ, etiam multis accidentibus, vt quantitati, figuræ, aliisque.

6. *Maximè proprium substantia est vt cum una sit & eadem numero, contraria suscipere possit.* Contraria dixit, id est, *aliqua*, non omnia; Satis enim est vlla: & *contraria* intelligit in largo sensu, vt quævis opposita notat; deinde non dixit vt suscipiat, sed vt suscipere possit. Satis enim est si contrarium inesse possit, etsi nunquam insit; si substantia capax sit, etsi nunquam capiat. Præterea suscipere contraria potest, vt *subiectum earum vltimum* cui insint et inhæreant illa contraria, ita vt substantia eis substare possit, & sæpe substet vtrisque contrariis, sed *successivè*, nunquam autem *simul*, vt aqua modò frigida est, mox calida: aer modò luminosus, mox tenebricosus: Cœlum modò movetur, potest verò quiescere: Angelus modò bonus est, post malus. Et hoc modo explicatum, proprium est *substantiæ completæ quarto modo*, nam convenit *omni soli & semper*.

Si obijciatur, quod oratio manens eadem suscipit contraria, quia hæc oratio, *ego ambulo*, me ambulante vera, me sedente falsa est; capit igitur veritatem & falsitatem, quod idem de opinione dici potest. *Dub.*

Responsio duplex est, prior, quòd oratio non suscipit in se veritatem & falsitatem, id est, non *est subiectum earum*, multo minus *vltimum subiectum*, sicut de substantia dictum est. Nam veritas aut falsitas est in animo concipientis verum quid aut falsum, *vt in subiecto* in oratione vt *in signo*: in re significata, vt *in fundamento*. Altera responsio est, quod substantia suscipit contraria *cum sui mutatione*, ita vt semper ipsa mutetur cum suscipit contraria, vt aqua mutatur a frigore in calorem, cum suscipit calorem post frigus: At oratio & opinio ita capiunt veritatem aut falsitatem (nempe vt signa) vt ipsæ *non mutentur*, sed res solum significatæ. Nam oratio illa, nihil omnino ipsa mutata, vera est me ambulante, quæ falsa fuit, me sedente. *Sol.*

Istæ sunt proprietates substantiæ ab Aristo propositæ. Sunt vero aliæ plures eiusdem proprietates, hisque (excepta sexta) multo digniores & cognitu magis necessariæ, quas nos in Introductione ad Metaphysicam explicuimus. Hic satis visum est Aristi: vestigijs insistere, qui faciliora magisque obvia pingui admodum minerva tractavit, quia accuratam substantiæ huius considerationem, non ad logicam, sed ad *Metaphysicam* pertinere sciebat.

Tertium quod proposui superesset, nempe series huius prædicamenti. Exactam vero eius aut accuratam delineationem, nemo hic a me expectet, quia talis ad alias scientias spectat. Qualemcúque vero, in qua species substantiæ aliquot, licet non omnes enumerentur, hic tradere, non erit vti spero infructuosum.



Series Substantiæ.

- *Substantia* est vel,
  - *Spiritus* qui est
    - *Angelus*,
    - *Anima rationalis*.
  - *Corpus* quod est vel
    - *Cælestè*, cuius, sunt decem orbes, *cælum empyreum*, *primum Mobile*, *Cælum stellatum*, seu octaua sphæra et septem aliæ sphæræ septem planetarum, *Saturni*, *Iovis*, *Martis*, *Solis*, *Mercurij*, *Veneris*, & *Lunæ*.
    - *Caducũ*, estque vel
      - *Simplex*, quod est *Elementum* cuius sunt 4. species, nempe
        - *Ignis*, *Aer*,
        - *Aqua*, *Terra*.
      - *Mistũ* idque vel
        - *Imperfectè mistũ* quod *Meteoron vocatur*, estque vel
          - *Vapor*, vnde fiunt *nubes*, *pluuiæ*, *grando*, *nix*, *pruina*, *ros*, *fontes*, et *flumina*.
          - *Exhalatio*, vnde fiunt *cometæ*, *faces ardentes*, *lanceæ*, *fulmina*, *fulgura*, *ignis fatuus*, *ventus*.
        - *Perfectè mistũ* estq; vel
          - *Inanimatum* idq; vel
            - *Privativè*, vt *cadauera omnia*, hominis, leonis, canis, &c.
            - *Negatiuè* quod nunquam vita, præditum erat, et hoc fere idẽ est quod *Minerale*, cuius sunt tres species
              - *Metallum* sub quo cõtinẽtur
                - *Aurũ*, *Argentũ*, *æs*, *ferrũ*, *plumbum*, *stannum*.
              - *Lapis*, cuius generis alii sunt
                - *Viliores*, magisque vulgares, vt *silex*, *cos*, *Smiris*, *Glarea*, &c.
                - *Rariores*, sed minus pretiosi, vt *Magnes*, *Amiantus*, *Asbestus*, *Marmor*, &c.
                - *Pretiosi* seu *gemma*, vt *Iaspis*, *Saphyrus*, *Chalchedonius*, *Sardonix*, &c.
              - *Semimetallum*, vt *Argentum Viuum*, *sulphur*, *sal*, *nitrũ*, *bisumẽ*, &c.
          - *Animatum*, Pag. seq.

- *Animatum quod vocatur vivens*, est vel,
  - *Insensibile, quæ plantæ* vocatur sub qua continentur
    - *Arbor*, sub qua innumeræ species continentur, *Quercus, olmus, vitis, ficus, pinus, pyrus*, &c.
    - *Herba* quæ est vel,
      - *Frumentacea*, vt *triticum, hordeum, avena, secale, Oriza, milium*, &c.
      - *Leguminosa*, vt *pisum, vicia, lens, Cicer, Lupinus*, &c.
      - *Vestiaria*, vt *linum, Spartum*, &c.
      - *Medicinalis*, quæ aut voluptate delectat, aut temperie iuuat, vt *rosa, tussilago, Adiantus, Malua, Buglossa*, & infinitæ aliæ.
  - *Sensibile* quod vocatur *Animal*, estque vel
    - *Irrationale* quod dicitur *Brutum*, estque vel
      - *Terrestre*, vt *Leo, Cervus, bos, Canis, equus, elephas, vrsus*, &c.
      - *Volatile*, quod dicitur *Avis*, sub quo continentur *Aquila, Accipiter, Cygnus, Philomela, perdix*, &c. quibus addendæ *Apes, Crabrones, Cantharides, musca*, &c.
      - *Reptile*, vt *formica, vermes, aranei, pediculi, serpentes*, &c.
      - *Aquatile*, vt omnia piscium genera, *Carpio, Lupus, Perca, Cancer, Salmo*, &c. quibus adde *Ranæ, Lacertæ, Crocodilus*, &c.
    - *Rationale*, quod est *Homo*.

Hæc est series Substantiæ brevis delineatio, & *umbra potius seriei*, quam *series*. Quod si quis eam accuratè exprimere velit, ei ab ipso summo genere, per omnia intermedia, ad infimas usque Substantiæ species, quæ prope infinitæ sunt, ita descendendum est; vt & summi generis, et singularum sub ipso specierum primò naturas, tum proprietates omnes explicet. Opus ipsum valde est arduum, sed immensi fructus: & quidem longe maxima ex parte, ad *Animalis* nempe tractatum, hoc ipsum quomodocunque a nobis præstitum esse intelliget lector, si vnquam Introductionem nostram in Physicam in lucem prodire contigerit.

Forma superioris est Substantialis forma inferioris.

In ista vero tabella multa observanda essent, sed omnibus alijs omissis vnum tantum proponam, quod sedulo & seriò tenendum est. Illud hoc est: *Quid quicquid est differentia aut forma essentialis vllius superioris, id etiam est forma essentialis, & essentialiter inest in omnibus inferioribus.* Atque hoc ex secunda regula anteprædicamentali liquet: ex qua consequitur quod in homine est non solum anima rationalis, quæ est forma hominis propria, sed forma Animalis quæ est anima sensitiua, & forma viuentis quæ est anima vegetans, & forma corporis perfectè misti, et forma misti, et forma corporis. Itidem in Leone est propria forma leonis, & forma bruti terrestris, et forma bruti, & forma Animalis, quæ est anima sensitiva, et forma viuentis, quæ est anima vegetativa, & reliqua sicut in homine. Qui verò vnam tantùm formã, in vno individuo aut specie statuunt, ijs omninò impossibile est, tueri veram vniuocationé quæ in serie prædicamentali necessariò tenenda est. Non enim satis est ad eam, vt forma superior virtute et potestate contineatur in inferiori, sed requiritur vt *actu & quoad ipsam sui essentiam & substantiam* insit; nam aliter de *essentia ac Substantia* inferioris speciei esse non posset. *Quicquid enim est de vni alicuius essentia ac Substantia, id quoad Substantiam eidem insit necesse est*; quia si virtus solum illius ac potestas insit, non essentia eius, sed accidens solum ineft. Capiamus è multis vnum exemplum: Viuens est de essentia Animalis, ac plantæ: ergo forma substantialis viuentis quæ est anima vegetans, erit quoad substantiam suam in vtrisque, vt sit vna et eadem ratio, quare tam animal quàm planta dicatur et sit viuens, nempe, *quia vtrique anima vegetans quoad essentiam suam ac substantiam inest*. Si vero dicas animal esse viuens per animam sensitiuam, quæ virtute ac potestate continet in se animam vegetatiuam, illiusque operationes; et plantam esse viuens per animam propriam plantæ, quæ virtute et potestate continet etiam animam vegetantem; Luce iam clarius est Animal dici viuens propter vnam, et plantam dici viuens propter aliam plane rationem, et formam substantialem: ideoque *viuens non dici vniuocè* de vtrisque. Simile omninò de animali respectu hominis et bruti dicendum est. Nam si homo sit animal, propter *animam rationalem* quæ potestate ac virtute continet in se animam sensitiuam, cum certissimum sit brutum non posse propter

ter istam rationem, dici animal, sed propter aliam, puta propter *formam irrationalem* quæ est bruti propria, in qua virtute ac perfectate continetur anima sentiens, efficitur necessario, Animal non dici de homine et bruto *vniuocè*, cum non dicatur de vtrisque propter vnam eandemque rationem, sed propter vnam de homine, et propter aliam de bruto. Idem in alijs omnibus sentiendum est. Quod nisi in singulis diligenter obseruetur et constanter teneatur, in infinitos errorum labyrinthos ruere necesse est.

Atque hæc de substantia quæ est primum prædicamentum dicta sunto.

CAP. XI.

De Quantitate.

SEcundum prædicamentum est quantitas, de qua tria videnda sunt. Primo, *Quid sit.* Secundo, *qua eius proprietates.* Tertio, *quæ species, aut quæ huius prædicamenti series.*

Describitur hoc modo. *Quantitas est res vel accidens absolutum, per quam res primario ac per se mensurantur, & ex qua subiecto cui inest dicitur quantum.* In qua descriptione duæ particulæ vltimæ nonnihil explicandæ sunt, prior est de de *mensura.* Quantitatis descriptio.

Mensura est illud quo vel magnitudinem vel diuturnitatem, vel multitudinem rerum metimur, quàque explicamus vel quàm magnum aliquid sit, vel quam multum, vel quam diuturnum. Illud autem quod hæc *primario & per se* mensurat est quantitas; vt linea ex se mensurare longitudinem apta est, Corpus crassitiem, Tempus diuturnitatem, numerus, rerum multitudinem, Alia quidem mensurare possunt, *secundario & gratia horum*: vt vlna, mensurat longitudinem panni, non *per se*, sed *gratia longitudinis* & quantitatis, quæ in vlna est & in panno, quæ nisi esset, nec vlna mensurare, nec pannus mensurari posset. Sic motus vel solis, vel aquæ, aut arenæ in Clepsydra, mensurat diem aut horam non *per se*, sed *gratia temporis* illius & durationis, quæ illis conuenit, ex quo fit vt ista quantitates non sint. Mensura quid.

Sed quid de ponderibus sentiemus? Videmus enim quotidiè pondere mensurari grauitatem rerum; hoc autem facit *per se*, & *quatenus pondus*, non qua longum, latum, crassum, diuturnum, aut vlla qua nitate prædirum, cum nulla quantitas rerum grauitatem mensuret. Videtur igitur *pondus* esse quantitatis species, cum *ex se & per se* res mensuret, & tamē ab Aristotele, inter quantitates non reponitur, sed Tim- Dub.

plerus, lib. 5. Met. cap. 2. q. 12, hac ratione motus, quantitatem esse contendit.

Sol. Respondeo, pondus quidem res quoad gravitatem mensurare, sed non per se, sed variando motus & temporis, & multitudinis graduum gravitatis, qui collati æquali numero graduum gravitatis, æqualem motum, & in æquali tempore faciunt: collati verò cum pluribus aut paucioribus gradibus gravitatis, inæqualem motum, & in tempore inæquali efficiunt. Nam cum omne grave naturaliter feratur deorsum, quo quid gravius est, eo velocius, citius, & in minori tempore deorsum movetur. Quando igitur duo gravia in lance appenduntur, id quod velocius, & minori in tempore lancem deprimit, ex eo motu ac brevitate temporis, iudicatur gravius esse altero, quod propter vim huius elevatur, & impeditur ne descendat. Pondus igitur non ex se & qua pondus est, mensurat, sed per motum & tempus, ex quibus pondus vnius præ alio discernimus. Cuius etiam hoc signum est, quia pondus ac gravitas data sunt rebus a natura, non in hunc finem, vt mensurent, sed vt per ea, sua subiecta deorsum moveantur. Est enim pondus seu gravitas (nam idem sunt) potentia naturalis qua corpus grave deorsum moveri aptum est, ideoque in Qualitate non in Quantitate locatur. At longitudo, latitudo, tempus, numerus, in hunc solum finem rebus datur vt mensurent res eas quibus insunt aut applicantur. Atque hac etiam de causa inter quantitates non recenseretur motus, quia etsi res mensurat, id tamen facit sicut pondus, per accidens & gratia temporis, non sua vi, aut ex se. Quare merito hic, vt in aliis multis, deserendus est Timplerus.

Denominare res quantas, quid. Altera particula est, quòd Quantitas denominant aliquid Quantum. Quantum verò dicitur aliquid, quando illius vel magnitudo, vel duratio, vel multitudo indicatur: & quia vnum horum per omnem quantitatem, & per solam quantitatem primario ac per se notatur, ideò rectè dicitur quantitas & sola quantitas primario denominare res quantas.

Prima proprietas. Sequuntur proprietates Quantitatis. Earum tres sunt ab Arist. enumeratæ. Prima, Quantitati nihil est contrarium, tuta adverte. Ratio est, quia adverte contraria non possunt simul esse in eodem subiecto, sed expellunt se mutuò; at Quantitas continua & discreta simul possunt consistere, nam in duobus hominibus est & numerus & longitudo; & vna quantitas continua non expellit alium, nam in vno corpore est & longitudo, & latitudo, & profunditas, & tempus. Est autem hoc proprium Quantitati secundo modo, nam convenit omni, sed non soli, quia etiam substantiæ.

Secundo, Quantitas non suscipit magis & minus. Ratio est, quia etsi sint gradus extensionis in quantitate, tamen nulli sunt gradus intensionis, ex quibus subiectum dici possit esse magis longum, latum aut profundum. Hoc proprium est Quantitati etiam secundo modo.

Dub. At longitudo, latitudo & crassities dicitur de subiecto cum adverbijs

bijs *magis* & *minus*: nam vnum corpus, est *magis longum, latum, crassum*, quam aliud. Ea verò quæ cum his adverbijs prædicantur de subiectis, dicuntur recipere magis & minus, vt in cap. de substantia dictum est.

Longitudo quidem dicitur cum his adverbijs, sed ita vt ista adverbia notent solùm maiorem *extensionem*, non maiorem *intensionem* longitudinis in subiecto. Nam *intensio est quando manente eâdem mole & magnitudine subiecti, plures gradus accidentis adveniunt.* Vt manente eadem mole aquæ, est calida modò, in primo, mox in secundo, tum in tertio, & quarto gradu. Hoc nunquam fit in quantitate; nam cum corpus fit longius aut *magis longum*, additur nova quantitas ad priorem, sed prior non recipit vllum novum gradum longitudinis in se; Quare quoties aliquid dicitur magis longum, latum, aut profundum, significatur solùm maior *extensio quantitatis*, sed nunquam *maior intensio*. Tunc autem solum dicitur aliquid suscipere magis, quando aliquid prædicatur de subiecto cum istis adverbijs significantibus *maiorem intensionem graduum* in subiecto. *Sol.*

Tertia. *Ex Quantitate res dici potest æqualis aut inæqualis alteri.* Sic 10. angeli, 10. homines, & 10. equi, sunt æquales numero, quia in omnibus est par numerus, nempe denarius: Sic hora, & dies sunt inæquales, quia in eis est inæqualis duratio: sic duo homines eiusdem staturæ dicuntur æquales, propter parem longitudinem. Estque hoc proprium quantitati quarto modo, nam convenit omni, soli, & semper; hocque provenit *ex ipsa natura atque essentia* Quantitatis, nam quia est *mensura*, ideò æqualitatem rerum, aut inæqualitatem declarare debet.

Sed hic dubitari meritò possit. Nam æqualitas & inæqualitas sunt relationes: Æquale enim est æquali æquale: Iam certum est res dici æquales ab æqualitate, & inæquales ab inæqualitate; Imo vero ex sola æqualitate dicuntur res æquales, cum nihil aliud sit vnde denominatio ista fiat, quam hoc abstractum Æqualitas. Consequitur ergo non modo ex relationibus res dici æquales & inæquales, sed ex solis relationibus, & non omninò ex quantitate. *Dub.*

Respondeo, res dicitur ab aliquo esse æqualis, dupliciter, vel *formaliter, sicut a forma in abstracto, ex qua fit ista denominatio*, & sic verum est quòd ab æqualitate (quæ verè relatio est) imo a solâ æqualitate res dicitur æquali-, itidem inæqualis ab inæqualitate: vel *Causaliter, sic vt sit causa proxima a qua oritur æqualitas*, atque hoc modo non ex æqualitate oriri potest æqualitas (nam nihil oritur a seipso) sed ex quantitate, exque eâ sola. Nunquam enim hæc relatio æqualitatis vlli inesset, nisi eidem insit quantitas, ex qua oriretur ista æqualitas. Idem dicendum de inæqualitate. Iam cum hoc dicitur proprium quantitati vt ex ea res dicatur æqualis aut inæqualis, illud [ex ea] notat causalitatem vnde oritur ista denominatio, non formalitatem. *Sol.*

Quarta proprietas his addi potest, ea hæc est:

Quantitas

Quantitas vnois, per se, & ex se, diuisibilis est in partes integrales. Tradit hoc Arist. 5. Metap ca. 13. *Quantum* inquit, *dicitur, quod in ea quæ insunt* (id est, in partes) *est diuisibile.* Atque hoc fluit ab ipsa essentia ac natura quantitatis in genere, estque ei quarto modo proprium, ita vt omnis quantitas sit ex se diuisibilis, et nihil omnino per se, & ex se præter quantitatem; Quicquid vero in partes tales diuiditur, id a quantitate habet, vt sic diuidatur.

Hinc recte Zabar. lib. 2. de prima rerum mater. ca. 8. *Diuisio*, inquit, *& diuisibilitas est propria Quantitatis, & nihil est diuisibile nisi quantum, vel merito quantitatis, ita vt solum quantum sit per se diuisum, cætera vero per quantum.* Sic ille, atque Arist. hoc idem docere lib. 5. Metap. tex. 18.

Quantitatis species.

Hæc de Quantitate in genere, illiusque proprietatibus. Nunc ad species & seriem progrediamur: Posset autem facillimè sic diuidi: Quantitas mensurat, vel *extensionem rerum*, idque vel per *longitudinem solum*, & tum est *linea*; vel per *latitudinem*, & tum est *superficies*; vel per *crassitiem*, & tum est *corpus*: vel mensurat *durationem* rerum, & tum est *tempus*, vel *multitudinem* & tum est *Numerus*.

Sed quia Arist. alia vsus est diuisione, nostri instituti est ab eius tramite non discedere, sed si possimus, illius mentem dilucidare. Is autem dividit Quantitatem *in continuam & discretam*: Continuum rursum in quatuor species subdividit, *Lineam, superficiem, Corpus & Tempus*: in his tota series quantitatis comprehensa est. Hæc autem diuisio vt rectius intelligatur multa obseruanda sunt.

Quantitas vnivocum genus.

Primum de ipso diuiso hoc notandum est. Non esse cur quisquam nouitatis nescio quo studio allectus assentiatur (vt Kec. lib. 1. Suæ logicæ, ca. 8. pa. 88.) Zabarellæ in 1. Demonst. ca. 7. tex. 61. Vbi negat *quantitatem esse genus vnivocum, aut Quantitatem continuam ac discretam in vno communi & vnivoce genere conuenire.* Quid hoc est aliud quam cornicum, imò Arist. & omnium post ipsum præstantissimorum Philosophorum oculos configere? Quid aliud, quam numerum prædicamentorum ab omni antiquitate receptum funditus evertere? Non est Quantitas genus vnivocum? Non ergo iam sunt decem, sed novem tantum prædicamenta. Estne *Quantitas continua*, vnum summum genus, & *Discreta* aliud? Non ergo iam sunt decem, sed vndecim summa genera & prædicamenta. Nos qui Arist. vestigia libentissimè premimus, nec ab antiqua illa semita quam calcarunt tot insignes Philosophi abduci nos patimur, *Quantitatem verum esse, reale, et vnivocum genus profitemur*, addo etiam demonstramus. Nam tam continua quam discreta quantitas in hac vera, reali, & vnivoca natura conveniunt, quod *vtraque sit per se mensura rerum*, vtraque *denominat subiectum quantum*, vtraque *faciunt subiecta quibus insint æqualia aut inæqualia*: hæc autem neque præstat continua Quantitas quà continua, neque discreta, quà discreta (nam tum vni solum hoc competeret, non vtrique.) Sed a quantitate in genere, quæ est

vtri-

vtriusque naturæ, velut a communi fonte hæc propanant, & in vtrasque eius species derivantur.

Secundo de Quantitate continua non pauca obſervanda ſunt, & primo *quid ſit*. Secundo *quæ illius proprietates*.

Continua Quantitas eſt quantitas cuius partes communi aliquo termino copulantur, & inter ſe continuantur; Duo igitur requiruntur in Quantitate continua, vnum vt habeat partes, atque in hoc convenit cum diſcreta: nam omnis quantitas quâ quantitas, partes habet: alterum vt illæ partes continuentur inter ſe, ita vt ſit aliquid vtriſque commune, quod eſt terminus communis vtriuſque, vt duæ partes lineæ copulantur per idem punctum, quod terminat hanc, & inchoat ſequentem partem: ſic duæ partes horæ copulantur per vnum, & idem inſtans, quod terminat ſemihoram præteritam, & inchoat futuram. *Continuæ Quantitatis, Quid.*

Ex hac definitione emanant proprietates continuæ quantitatis, quæ ſunt hæ quinque ſequentes. Prima, *Omnis quantitas continua in partes quantitativas diviſi poteſt*. Hoc ex definitione liquet, partes enim habet, eaſdemque continuatas, ideoque quantas, ſeu quantitativas. Numeri vero partes (quæ ſunt vnitates,) licet integrales ſint, quantitativæ non ſunt. *Proprietates continuæ Quantitatis.*

Secunda. *Omnis quantitas continua, diviſibilis eſt in ſemper diviſibilia, ita vt nunquam illam diviſio finiri poſſit, ſed in infinitum diviſi poſſit.* Sequitur ex prima: nam ſi partes in quas dividitur quantitas continua, ſint quantæ, tum ipſæ diviſibiles ſunt: et quia illæ dividuntur in partes quantitativas, ideò ipſæ rurſus diviſibiles ſunt, et ita in infinitum: nam ſi vnquam pervenias ad partem quantitatis quæ eſſet indiviſibilis, certè illa pars *quantitativa* dici non poteſt, cum quantum omne diviſibile ſit, vt ex quarta proprietate quantitatis liquet.

Tertia. *In nulla continua quantitate minima pars dari aut mente concipiposſit, ſed minor ea ſemper & eſſe & dari poſſit.* Sequitur ex ſecunda: nam ſi minima pars dari poſſet, tum quantitas illa non eſſet vltra iſtam minimam diviſibilis, cum minor pars minima eſſe non poſſit: aut eſt diviſibilis in infinitum, ſic vt nunquam diviſio finiri poſſit, quare nunquam ad minimam partem perveniri poteſt, nunc enim ceſſaret diviſio.

Quarta. *Omnis pars continui eſt continua.* Sequitur ex ſecunda, nam ſi nulla eius pars ſit quæ non ſit diviſibilis, certe nulla pars eſt quæ non eſt continua, nam ſi non ſit continua, ſine dubio ad finem dividendo perveniretur.

Quinta. *Nulla quantitas continua in terminos ſuos communes diviſi poteſt.* Sequitur ex ſecunda: nam terminus omnis communis indiviſibilis eſt, ſi ergo in terminos iſtos dividi poſſet continuum, tum vlterius non poſſet dividi; non igitur in infinitum: at probatum eſt omnem continui partem eſſe continuum, & poſſe in infinitum dividi: Impoſſibile ergo eſt, vt in terminos indiviſibiles vnquam dividatur. Atque hoc Ariſt. 6. Phyſ. c. 2. 1. indicat, cum dixit, *impoſſibile eſſe vt vllum*

cincinnum ex indivisibus fiat.

Hæc loco proprietatum continuæ quantitatis proposui: quæ si rectius non capis intellectu, cape fide & assensu. Certè enim si vtpiam, hic locum habet: *Discentem credere oportet.* Capies autem & hæc ipsa facilius, si diligentius & sæpius, tum hæc ipsa revolvas, tum ea quæ istarum illustrandi causa de Termino communi observanda subiunxi: nam vt sine illorum cognitione, ea quæ de continua quantitate vbique ferè occurrunt, intelligi vix possunt, ita hisce cognitis ac perceptis, facilis ad alia obscuriora aditus aperietur.

Terminus communis, quid.

Primo. Quid sit terminus communis videndum. *Est autem copula quædam indivisibilis constituens partes continui inter se, ipsa vero neutrius pars, sed vtriusque terminus, dicitur quidem initians, ab vtro terminans.* Hoc in puncto & instanti explicatum antè fuit.

Secundo. Videndum cur vocetur terminus communis. Dicitur autem *Terminus, quia omnis continua Quantitas, quia principium habet & finem, incipit a suo termino, & in ipso desinit.* Duc lineam: incipiet a puncto, definet in puncto. Punctum verò illius terminus, tum quoad principium, tum quoad finem. Tempus cum incepit in initio mundi, incepit ab instanti. Si cessaret, desineret in instans. Dicuntur verò *communes termini*, non illi qui inchoant aut finiunt, sed *illi omnes qui intermedij sunt inter illos*; nam cape quodvis punctum in lineæ medio, illud commune vinculum est vtriusque partis. Hoc verò *terminus* dicitur non quia *actu* iam terminat, sed quia potest terminare lineam, si linea in illo puncto secetur & dividatur. Est ergo aliquis *terminus terminans actu* non copulans; est alius *terminus copulans, seu continuans*, non autem actu terminans. Et hic dicitur terminus communis.

Tertio. Observa, *quatuor solum esse terminos communes Quantitatum continuarum: nempe punctum lineæ, lineam superficiei, superficiem corporis, & instans temporis.* Et hi omnes termini *indivisibiles* dicuntur, sed diverso modo: nam punctum, & instans, sunt simpliciter *indivisibilia*, ita vt nullo modo dividi possint; linea verò, & superficies, indivisibiles dicuntur, non *simpliciter*, nam illa est divisibilis secundum longitudinem, hæc secundum latitudinem: sed *secundum quid*, nimirum quia indivisibiles sunt, ea divisione, qua id cuius sunt termini dividitur, vt linea est indivisibilis *secundum* latitudinem, superficies secundum crassitiem.

Quarto. Nota, *nullum terminum communem esse partem eius cuius ipse terminus.* Nam primo, pars *essentialis* esse non potest: tunc enim verè diceremus, linea est punctum, & tempus instans, quæ absurdissima sunt. Esse quidem punctum tum, id est, esse quantitatem terminatam & continuatam puncto, convenit lineæ per se primo modo, vt ait Arist. lib. Demonst. ca. 4. Nam per hoc exprimitur essentialis differentia, aut definitio lineæ: Sed punctum ipsum, de linea non dicitur: deinde pars *subiectiva* esse non potest, nam tum linea de puncto, & tempus de instanti essentialiter diceretur, quæ itidem absurdissima; tunc enim &

punctum

punctum & instans essent divisibilia & quantitates. Postremò pars *integralis* esse non potest: nam omnis pars integralis continui, cum sit ipsa quanta, est etiam continua vt supra dictum est. Et omnis pars integralis seu quantitiua continui, est divisibilis in infinitum, vt ante etiam docui; quare cum punctum & instans, sint simpliciter indivisibilia, certè partes lineæ aut temporis integrales esse non possunt.

Quid igitur sunt si non partes? aut in quo prædicamento ponuntur si non in hoc Quantitatis? *Dub.*

Dico esse *terminos quantitatis, non quantitates*: & tamen in hoc prædicamento ponuntur, sed nec vt species, nec vt partes, aut proprietates specierum, sed sicut principium substantiarum reducitur ad substantiam, ita terminus lineæ *reducitur ad lineam*, Terminus *temporis ad tempus* & sic in reliquis. *Sol.*

Quinto. Observa, quod *nullum punctum aut alteri puncto, aut lineæ, partive lineæ, continuari potest, nec instans duo instanti, aut tempori.* Ratio est, quia quicquid continuatur, continuum est, & omne continuum partes habet; nam *continuum est, cuius partes copulantur*: At punctum & instans nullas partes habent, cum sint indivisibilia. Quare nec inter se, nec vlli alteri continuari possunt. Idem de alijs terminis dicendum est. *Punctum nulli continuari potest.*

Sexto, et postremò memineris, *neque punctum puncto in eadem linea, neque instans instanti vnquam proximum, immediatum aut contiguum esse.* Quod idem de alijs terminis dicendum est pari modo. Nam cum punctum sit indivisibile, si vnum punctum in eadem linea alteri immediatum esset, nunquam posset fieri vllum continuum, quia punctum puncto continuari non potest. Itidem si instans immediatum esset instanti, non possent inter se continuari, & tum non esset omninò vllum tempus. Atque hoc disertis verbis tradit Arist. lib 6. Phys. ca. 1. *Inter puncta* (inquit) *semper est linea, inter instantia tempus.*

Dubitari potest de sphæra, quæ si ponatur super planum, tanget illud in puncto. Trahatur ergo sphæra super illud planum, tunc id quod proxime tangit erit aliud punctum, quia non tangit nisi in puncto, & sic duo puncta in plano erunt proxima & immediata. *Dub.*

Responsio non est difficilis. Nam supponitur id quod fieri non potest, sphæram cum trahitur aut movetur super planum, tangere aliquid proximè aut immediatè. Non sic tangit: nam sicut motus eius est continuus, ideoque pars eius prima nulla est, ita in eo super quod est motus eius, nulla pars prima dari potest. Sicut ergo nulla pars motus est prima, sed semper prior alia datur, ita nullum punctum primum ad quod movetur datur, sed motus eius est super lineam, lineæ autem prima pars non potest assignari. *Sol.*

Difficilior longe videtur illa obiectio, cum linea aliqua in duas partes secatur, tunc enim in extremo vtriusque partis est punctum: illa verò duo puncta ante sectionem lineæ aut proxima erant vnum alteri, aut vtraque proxima alicui tertio puncto in quo sectio, & divisio fi- *Dub.*

ebat, quorum vtrovis dato sequitur punctum in linea puncto fuisse proximum atque immediatum.

Sol. Respondeo, neutrum eorum sequi, nam nunquam punctum puncto immediatum est in linea, sed semper linea puncto. Dicendum igitur est, ante sectionem lineæ non fuisse ibi duo puncta *actu*, sed duas partes lineæ illo puncto in quo secuto fiebat fuisse continuatas sibi invicem, & immediatè copulatas. Post sectionem autem per divisionem lineæ, oriuntur duo puncta in actu, quorum ante sectionem neutrum actu existebat, sed potestate tantum in linea. Ideò non recte quæritur, cuinam illa duo puncta immediata fuerunt, cum duo actu non fuerunt, sed solum duæ partes lineæ puncto medio in quo sectio fit, immediatæ. Et autem quod non existit actu, nihil proximum aut dari potest, aut quæri debet. Sed hæc spinosiora ijs qui otio abundant discutienda relinquo. Mihi satis sit monuisse (id quod firmissime tenendum est) neque in *linea punctum punctо, neque in tempore, instans instanti immediatum esse posse.*

Quantitas continua permanens. Sequuntur iam species Quantitatis **Continuæ**. Ea est duplex: *Permanens, cuius partes omnes simul manent & existunt; Successiua, cuius partes simul non sunt, sed vna alteri succedit*, vt fit in tempore. Quantitas continua permanens vocari solet extensio: extensio autem ista est, vel in solam longitudinem, & tum vocatur *Linea*, quæ est *Quantitas continua permanens extensa in longitudinem tantum, neque in latitudinem neque in profunditatem*: vel est in latitudinem simul & longitudinem, non in crassitiem, & hæc *vocatur Superficies*: vel in *longitudinem, latitudinem & profunditatem, & vocatur corpus*: seu magnitudo. Corpus (inquam) non *Substantiale*, quod est subiectum crassitiei, & est in prædicamento substantiæ, sed *Quantitatiuum*, quæ est ipsa crassities, vel extensio in longum, latum, & profundum, quæ inhæret corpori, & denominat ipsum crassum seu magnum, & hoc corpus non est Substantia, sed Quantitas inhærens corpori.

Linea.

Superficies.

Corpus.

Etsi autem nec linea vnquam actu existat sine Superficie, nec superficies sine corpore, tamen *natura, essentia, & definitione differunt*; ideò intellectu ac mente seiunguntur, licet non actu.

Proprietates Quantitatis continuæ permanentis. Proprietas Quantitatis continuæ permanentis est *denominare subiectum in quo inest extensum*. Lineæ proprietas, *denominare subiectum longum, Superficiei latum*, Corporis *crassum, profundum aut magnum. Subiectum proprium quantitatis omnis continuæ permanentis est corpus substantiale*; hoc enim solum per se magnum aut extensum dicitur, & habere partem vnam integralem extra aliam positam. *Per accidens* verò & gratia huius Quantitatis continuæ permanentis, accidentia corporis, vt albedo, nigredo, & similia, extensionem habent & magnitudinem. Spiritus verò & incorporeæ substantiæ, eam quantitatem istam continuam permanentem omninò non habent, ideò *nec per se nec per accidens* extensa aut magna dici possunt, neque habet partem vnam extra aliam, aut (quod idem valet) partes *integrales continuas non*

Subiectum extensionis omnis est Corpus.

omnino

omninò habet, sed vbicunque talis substantia est, tota est; *Tota* inquam *in toto cui inest, & tota in qualibet parte illius.*

Causa proxima vndefluit extensio omnis, est ipsa forma Corporis, quam corporietatem vocant, ideoque extensio convenit per se corpori, secundo modo; sicut visibilitas homini. Atque hinc fit, vt omne corpus sit extensum per se, id est, ex sua ipsius natura extensionem habet, & quicquid ita extensum est, sit corpus: Cum igitur Spiritus formam corporis non habet, certè nec extensionem vllam habere potest. *Causa extensionis qua.*

Hæc de Quantitate continua permanente: Veniamus ad successiuam. *Ea tempus* vocatur: verè autem Tempus sic definiri potest, Tempus est *Quantitas continua successiua.* Nec plura addi necesse est: Nam in eo quòd *Quantitas* est, indicatur esse mensura rerum: quòd *Continua*, notatur in qua specie Quantitatis sit, talis nempe cuius partes per Instans (*Nunc* vocat Philosophus) continuantur, & copulantur: in eo quod *successiua* dicitur, significatur esse mensuram rerum in successione positarum.

Sed quia Arist. 4. Physi. cap. 11. aliter tempus definit, illius definitionem paucis hic explicemus. Ea hæc est. *Tempus, est numerus motus secundum prius & posterius. Numerum* dixit, id est, *mensuram*: Nam sic numeri nomen sumpsit pro *Mensura*: non autem pro *Quantitate discreta*, sic enim tempus numerus esse non potest. *Numerum motus* vocauit: non quia sit solius motus mensura, nam mensurat quietem omnem, omnes actiones, Passiones, imò durationem omnem rerum omnium quæ in successione sunt. Sed motum solum nominavit quia motus cœli est omnium quæ tempore mensurantur maximè conspicuus, & quo ipso durationes alias non minus quam tempore metimur: etsi *secundariò* per motum, primariò verò, per tempus res ipsæ mensurentur. Addidit *per prius & posterius*, vt significet, tempus mensurare solum res successiuas, in quibus solis est prius & posterius, non verò aut instantaneas, aut æternas. Nam quorum duratio est instantanea, in eis non est prius aut posterius, cum instans sit omninò indiuisibile. Æternum verò nihil est præter Deum Opt. Max. Is solus caret initio & fine, & quia æternus est ideò successionem suæ durationis non habet, sed eius duratio est tota simul, cum Deus nullius mutationis sit capax. Quare *Durationis Dei mensura est æternitas*, id est, ipse Deus: *Instantaneorum omnium mensura, est Instans: Successiuorum verò omnium, & solum successiuorum, mensura est tempus.* *Tempus Quid.*

Ex his duo consequuntur dignissima obseruatione: prius est, *Nullum esse aut esse posse Tempus discretum*, id est, tale cuius partes discretæ sunt & nullo termino communi copulatæ. Hoc enim est contra naturam temporis, cum tempus in essentia sua sit continuum. Quare absurdissimum est, quod Aquinas part. 1. quæst. 53. art. 3. ait (& post eum nonnulli alij) *esse aliquod* tempus (illud puta in quo angelus movetur) *non continuum*, in quo vnum instans alteri instanti proximum est & immediatum, quodque *est successio quædam ipsorum*, *Nunc*: Nam *Non est Tempus vllum discretum.*

vt antea ex Arist. docuimus, impossibile planè est, vt instans sit instanti proximum. Sed profectò necesse est eum qui hisce somnijs autem præbere velit, non Aristoteli modò bellum indicere, sed totas rerum Classes & prædicamenta eudere, in quæ *Tempus hoc discretum*, id est, Chimæra Thomistica, reponatur.

Tempus mensurat motus et durationes Angelorum.

Secundum quod consequi dixi est hoc; *Non solum durationem corporum, & motuum corporis; sed etiam durationem, motum, quietem, alias Angelorum, & omnium spirituum, tempore mensurari.* Nam omnium successiuorum mensura est Tempus. Angelorum autem motus, quies, actiones, duratio, non aliter successiua sunt, quàm motus & duratio corporum; in eis non minus quam in his, est prius & posterius. Quod verò Aquinas part. 1. q. 10. art 5. et qui eum sectantur asserunt, Æuum esse mensuram durationis Angelorum, & esse ipsorum, Æuum inquam, quod est intermedium inter Tempus & Æternitatem, & ab vtroque diuersum, somnium planè est. Quod subtilitatem quandam sapere videtur, sed omni planè solidiate caret. Æuum tale nullum est, nec fingi necesse est, cum tempus sufficiat ad durationem omnium planè successiuorum mensurandum, siue spiritus sint, siue corpora. Nam vt omnium eorum motus sunt continui, ita duratio omnium est successiua, ideòque talis quæ tempore mensurari & possit, & debeat.

Proprietas Temporis.

Quid Tempus sit satis iam diximus: proprietas eius est *denominare res omnes successiuas, temporales, & ipsorum durationes metiri.* Hoc per se præstat Tempus & præter Tempus nihil.

Subiectum Temporis quodnam.

Subiectum proprium Temporis non est primum nobile aut eius motus, vt sensit Aquinas part. 1. q. 10. art. 6. *non Corpus, non Spiritus, sed id quod his omnibus commune est, Substantia ipsa, quæ est summum Genus, id est, ipsa materia prima.* Huic primariò conuenit duratio successiua, ideoque Tempus: & cuicunque hæc ineest, ineest etiam gratia materiæ duratio successiua seu Tempus. et sicut Homo, lapis, planta, cœlum, Angelus substant accidentibus gratia substantiæ, et materiæ primæ, quæ est in ipsis, quæque tribuit ipsis hanc vim & potestatem substandi: itidem planè homini, lapidi, omnibusque omnino Substantijs Tempus ineest, quia illis omnibus Substantia seu materia prima ineest, à qua habent durationem successiuam, & vt sic dicam, *Temporalitatem*, id est, hoc vt Temporalia sint, & dicantur.

Causa Temporis qua.

Causa proxima & immediata vnde fluxit Duratio successiua seu tempus, est ipsa simplex essentia Substantiæ seu materia prima. Ex quo sequitur Durationem successiuam seu tempus *primariò* competere substantijs, quia per se illis convenit: per se inquam secundo modo, quia fluit ab ipsorum essentia: *secundariò* verò, & gratia substantiarum convenit motui, magnitudini, qualitati, et alijs accidentibus quæ insunt substantijs.

Dub.

Finem hic feciſſem de Tempore differendi, nisi solueuda esset vna aut altera dubitatio. Videri enim potest, tempus nihil esse, ideoque non

non esse quantitatem. Id enim quod nunquam est, nihil est; tempus autem nunquam est, quia illud esse aut existere dicitur, quod vel totum existit, vel saltem aliquæ partes ipsius; at nec totum tempus, nec vlla pars temporis vnquam existit. Nam partes omnes temporis, aut sunt præteritum tempus, aut futurum: præteritum abijt & iam non est: futurum non advenit, & adhuc nondum est. Quod si nulla pars temporis existat, multo minus totum existere potest.

Respondeo, aliter rem se habere in rebus permanentibus, aliter in successiuis. *Permanentia* non dicuntur existere, nisi vel totum vel partes aliquæ ipsorum simul existant. At in *successiuis* non requiritur vt vel totum, vel pars vlla simul existat, imò hoc impossibile est, & contra naturam successiuorum. Satis autem est ad existentiam rei successiuæ, si aliquid eius existat, puta terminus continuans partem vnam cum altera. Quando aut quamdiu vllus talis terminus existit, tamdiu tempus, motus, & alia successiua existere dicuntur. Vnde dies, mensis, annus præterierunt, sæculum prius, quodque elapsum est, iam non potest dici existere. Quia nihil ipsorum, ne terminus, quidem copulans, iam existit. Sed hora, dies, mensis, annus, sæculum præsens & currens, verè iam dicitur existere, quia iam aliquid ipsorum existit, nempe instans. Et terminus continuans vnam partem illorum cum alia, præteritum nempe, cum futuro. Dixi instans copulans aut continuans: nam ad existentiam vel motus, vel temporis, vel aliorum successiuorum, non satis est vt instans terminans existat, quippe nec tempus nec motus dicitur existere, vel in *primo* vel in vltimo sui instanti. Nam in primo incipit esse, sed nondum est, verùm immediatè post hoc instans erit in vltimo desinit esse, sed non iam est, verum immediatè ante fuit; quamdiu autem vllum instans continuans temporis aut motus existit, tamdiu verè & tempus & motus præsens esse, & existere dici potest. 5.

Altera dubitatio longè spinosior est. Arist. lib. 5. Metaph. cap. 13. videtur delere tempus è numero specierum Quantitatis. Ibi enim ait *Quantitates aliæ esse per se, vt linea; aliæ per accidens, vt sunt motus & tempus. Hæc enim*, inquit, *quanta sunt & continua, eo quod illa diuisibilia sunt quorum ipsa sunt passiones. Motus nempe quoniam magnitudo quanta est, tempus autem propter motum.* Idem ferè docet lib. 4. Phys. cap. 11. vbi sic ait, *Quia magnitudo continua est, ideo & motus continuus est, & quia motus continuus est, ideo & tempus continuum est.* Hinc iam consequitur tempus non esse speciem quantitatis, aut quantitatis continuæ, nam omne genus convenit *per se primo modo* suis speciebus; Quantitas autem, & continuitas conveniunt tempori non *per se*, sed *per accidens*, vt diserè ait Arist. Præterea motus magis videtur esse quantitas continua, quam tempus: quia tempus vtrumque habet propter motum; & *quicquid facit tale est magis tale.* Cum igitur motus non sit species vel continuæ Quantitatis, vel quantitatis, certè multo minus erit Tempus, quod a motu habet tum vt continuum

Dub.

sit, tum vt sit quantum.

Sol. Fateor hunc esse nodum vere Gordium, & dignum vindice. Et quidem Iul. Pac. in cap. de Quant. et Keck. lib. 1. suæ Log. cap. 8. quia hoc dubium soluere nequibant, maluerunt tempus è numero specierum Quantitatis penitus expungere, quam suam ipsorum imbecillitatem agnoscere: Mihi ab antiquo tramite non videtur abscedendum, multoque satius est, & ingenuo viro dignum, inscitiam suam in expediendis difficultatibus profiteri, quàm spreta Arist. authoritate, receptam et canitie sua venerandam sententiam respuere. Erit hic locus vbi alij forsan ingenij sui neruos exercerent; mihi ita respondendum videtur. Aliquid dicitur Quantum et continuum *per se*, duplici sensu, vel *quia est quantum & continuum essentialiter*: vel *quia eius quantitas & continuitas per seipsa manifesta est, nec indiget manifestari aliunde*, vt in linea et superficie. Pari modo, aliquid dicitur quantum et continuum *per accidens* duplici sensu, vel quia non est quantum et *continuum essentialiter*, vel *quia eius quantitas et continuitas aliunde manifestari indiget*. Iam Arist. in Metaph. negat Tempus esse quantum et continuum *per se*, et asserit esse quantum et continuum *per accidens* in secundo sensu, quia eius quantitas et continuitas non est manifesta per se, sed aliunde manifestari indiget, nempe, a motu. Vtrum vero tempus sit Quantum et continuum per se an per accidens in primo sensu, ita vt sit quantum et continuum essentialiter, de eo nihil omnino loco citato agit Arist. neque asserit ibi, neque negat. Sed alibi in Cap. nempe de Quantitate hoc apertissimè asseruit, cum docuit *Tempus esse speciem quantitatis continuæ*, ideoque esse quantum *per se* primo modo, & essentialiter. Idem dicendum de motu. Arist. in Metap. negat motum esse quantum aut continuum *per se*, & asserit esse quantum & continuum per *accidens in secundo sensu*, quia eius quantitas & continuitas non *per seipsa est manifesta*, sed aliunde manifestari indiget, nempe a *magnitudine*. Vtrum verò motus sit quantus & continuus *per se*, *an per accidens in primo sensu*, ita vt sit quantum & continuum essentialiter, de eo nihil omninò loco citato agit Arist. neque asserit hoc ibi neque negat. Sed alibi, in cap. nempe de Quant. hoc apertissimè negauit. Sic enim ait, *Hæc sola quæ enumerata sunt* (inter ea verò est tempus) *sunt propriè* (seu per se) *quanta, reliqua omnia ex accidenti, vt albedo, album, motus, non enim per se Quanta dicuntur*. Ecce hic apertè affirmat, tempus esse, & motum non esse Quantum, aut continuum *per se*, id est, essentialiter. Quare cum non sit par sentire, tantum Philosophum fuisse sui oblitum, aut contradixisse suis ipsius scriptis, necesse est vt dicamus eum alio sensu in prædicamentis asserere, & alio in Metaphysicis negare Tempus esse Quantum & continuum per se; & alio sensu in prædicamentis negare, & in Metaphysicis asserere Tempus esse Quantum aut continuum per accidens. Quis autem iste diuersus sensus mihi esse videatur, dixi.

Hunc esse sensum Arist. ex ipsius verbis lib. 4. Phys. cap. 11. per-

spicere

spicere licet: nam illic ex professo docet, *tempus manifestari per motum*, & nos duci ad notitiam temporis per notitiam motus: Quod ex eo probat, quia si quis somno sit sepultus, ita vt motum non sentiat illum fuisse, idem neque tempus fuisse existimabit. Hoc concluso, pergit Arist. & docet motus non solùm manifestare nobis quòd tempus sit, sed etiam quid sit, & quale. Nam sicut ex magnitudine & continuitate mobilis cognoscimus motum esse quantum & continuum, (etenim quia continuum est mobile, ideò vna pars alteri continuè succedit in motu, donec perveniatur ad terminum ad quem) ita ex continuitate motus, cognoscimus tempus esse continuum, nam mensura debet esse proportionata rei mensuratæ; cum ergo motus qui mensuratur tempore, sit continuus, necesse est tempus quod est mensura motus, esse continuum. Sic in physicis, Arist. continuitatem motus, ex magnitudine; & continuitatem temporis ex motu, manifestari docuit. Quis verò melior Aristotelis interpres quam ipse? Quare ex hoc quod in Physicis docuit, meritò explicare possumus eius verba in Metaphysicis, Tempus & motum dici quanta & continua *per accidens* propter *manifestationem continuitatis motus*, per magnitudinem, & *temporis* per motum.

* Dixi autem manifestari non causari: nam etsi Arist. dicat motum esse continuum, *quia magnitudo est continua*, aut propter magnitudinem, & tempus esse continuum, *quia motus est continuus*, aut propter motum: tamen illæ dictiones [*quia & propter*] ita accipiendæ illic sunt, vt notent *certitudinem consequentiæ*, non *causalitatem rei*; nam propter continuitatem magnitudinis, aut quia magnitudo est continua, ideò verè & firmiter consequitur motum esse continuum: sed tamen causa proxima continuitatis in motu, non est magnitudo mobilis, (nam tum motus Angelorum non posset esse continuus, vt esse certum est,) sed ipsa *finita natura & essentia substantiæ* quæ est summum Genus seu materia prima, (a qua motus & potentia mouendi fluit) hæc, inquam, natura *causa est proxima* continuitatis in motu, siue sit *coniuncta* cum magnitudine, vt in corpore, siue *seiuncta* a magnitudine; vt in Angelis. Nam quia substantia illa finita est, et finitam vim habet, ideò non potest simul & in instanti, vel promouere mobile vel promoueri a moyente, a termino a quo, in terminum ad quem, sed necesse est vt successiuè, ideoque cum continuitate motus id faciat. Similiter propter continuitatem motus, vel quia motus est continuus, ideo vere et firmiter consequitur, Tempus esse continuum, sed tamen *causa proxima & immediata* continuitatis in tempore, non est motus, neque continuitas motus (nam tempus sine dubio continuum esset etiamsi omnia quæ sunt in rerum natura quiescerent.) Sed causa illius continuitatis est ipsa *finita natura & essentia substantiæ vel materiæ primæ* a qua fluit tempus; nam quia finita est, ideo non potest totam durationem suam & existentiam, simul & indiuisibiliter habere, sed necesse est vt eandem successiuè, ideoque cum continuatione duratio-

nis habeat. Hæc mihi ad illam obiectionem dicenda occurrebant: Tu siquid novisti rectius istis, Candidus imperti, si non, his vtere mecum.

Locum non esse distincta species Quantitatis.

Hæ sunt omnes species Quantitatis continuæ; Quod siquis Locum addendum hic existimet, is intelligat, *Locum non esse ab his distinctum naturâ, specie, & essentia, sed sub superficie comprehendi.* Etenim Arist. 4. Phys. cap. 4. definit locum *esse Superficiem continentis*, Superficiem (inquam) concauam: quæ conuexa, et plana, *accidente* solum differt, *non natura*, et *specie*, vt homo erectus, a curuo, aut manus clausa, ab aperta; ideoque locum prout Ab Arist. Phys. 4. definitur, e numero distinctarum quantitatis specierum, reijcit Fonsec. in Com. in lib. 5. Metaph. cap. 13. quæst. 7. sect. 2. sicut etiam Iul. Par. cap. de Quant.

Dub. At Arist. cap. de Quant. ponit locum pro distincta specie a superficie, & alijs quantitatibus.

Sol. Ponit quidem, *sed ex veterum, eaque falsa opinione*, non ex sua ipsius sententia: Nam locus quem eo capite intelligit, sumitur pro eo *interuallo immobili*, quod extendi per totum mundum forte etiam extra mundum putabant aliqui. Hoc *interuallo* trinas illi dimensiones, longitudinem, latitudinem, et profunditatem tribuebant vti corpori Quantitatiuo: id tamen vt distinctam Quantitatis speciem, et a corpore natura differentem, statuebant, quia corpus Quantitativum inhærere subiecto, *interuallum* verò per se existere, nullique subiecto inhærere, docebant: et corpus Quantitativum mobile a loco in locum, *interuallum* verò penitus immobile censebant. Hoc autem sensu Aristotelem accepisse locum in cap. de Quanto certum est, non solum ex Interpretum consensu hoc asserentium, vt ex Fonsec. in Com. in lib. 5. Metaph. cap. 13. quæst. 7. sect. 1. liquet, sed etiam ex ipsius verbis, ait enim, *locum habere eundem terminum communem, quem habent partes corporis*, nu. 9. Iam partes corporis nullum terminum alium habent quo copulantur, præter superficiem. Quare locus ille de quo ibi agit, non est superficies sed *magnitudo ipsa corporea, cuius terminus est superficies, ideoque vere illud interuallum quod veteres somniabant.* Quare cum interuallum illud nihil sit reale, sed merum figmentum, quod falsò ponebant Chrysippus et veteres Academici, quodque ab ipso Arist. solidissimis rationibus refutatur in 4. Phys. cap. 3. et 4. meritissimò, locus, vt *interuallum significat*, e speciebus Quantitatis, imò e prædicamentis (quæ sunt classes rerum) reijciendus est.

Quantitas Discreta quid.

Veniamus nunc ad *discretam quantitatem*, quæ definitur esse *Quantitas cuius partes nullo communi termino copulantur, sed distincta, separata ac discreta manent*: vt in Binario numero, partes illius, quæ sunt duæ vnitates, discretæ sunt, neque vllo vinculo aut termino communi copulantur. Si enim vllo, certè is nihil aliud quàm vnitas esse, aut fingi potest. Si autem præter duas istas vnitates Binarij, tertia quæ

sit

sit terminus eorum communis, adijciatur, profectò in Binario erunt tres vnitates, & ita Binarius erit Trinarius. Quod idem de omni alio numero pari ratione dicendum est. Præterea additio terminorum communium nunquam reddit Quantitatem maiorem; nam si addas infinita puncta lineæ, cum illa omnia indiuisibilia sint & non quanta, nunquam lineam maiorem efficient. Sed si vel vnicam vnitatem addas vlli numero, fit maior quantitas, maior numerus. Quare vnitas terminus communis esse dicive non potest.

Species quantitatis discretæ ab Arist. recensentur duæ. *Numerus & Oratio.* Sed recenset illas ex sententia vulgata, & tunc temporis recepta, vti de loco nuper monuimus, non ex rei veritate, aut sua mente. Agnoscunt hoc Caiet. Albert & Pet. Fons. vt videre licet in Com. suo in Metaph. lib. 5. cap. 13. quæst. 5. sect. 2. Nam *Oratio, ipsa Quantitas non est, neque species Quantitatis*, quippe *ex se nihil mensurat*, imò *ipsa* ab alio mensuratur, nempe a Tempore. Nam syllaba aut dicto hæc, breuis est, illa longa; quia hæc breui, illa longa tempore pronunciatur aut pronunciandi est; neque aliunde cognoscitur vllius syllabæ aut dictionis quantitas. Quare cum Oratio ex se non mensuret, sed eius quantitas aliunde mensuretur, certum est Orationem Quantitatem non esse: Omnis enim Quantitas *ex sese aliquid mensurat*. Aut igitur errauit Arist. cum posuit *Orationem* inter species quantitatis, aut eum id statuisse ex aliorum sententia asserendum est. Erasse tantum Philosophum indignum est vt sentiamus; sequutus igitur in hoc est vulgatam & receptam diuisionem (cum duas species Quantitatis discretæ posuit) de qua, an vera esset aut falsa, noluit in hac breui, & minus accurata tractatione disserere. Relinquitur ergo, nullam aliam esse Quantitatem discretam præter Numerum, qui *non est species Quantitatis discretæ, cum contra aliasa species nulla sit, sed est vt idem plane cum discreta quantitate, cumque ea conuertitur.* De Numero vero pauca hic addamus. *Oratio non est Quantitas discreta.*

Numerus vel sic definiri potest, *Est Quantitas discreta*: (nam *Quantitas*, genus illius est; *discreta*, differentia per quam ab omni alia Quantitate essentialiter distinguitur) vel sic cum Euclide lib. 7. def. 2. *Numerus est multitudo vnitatum*: id est, quantitas constans & composita ex multis vnitatibus, vt ex partibus integralibus. Nam quod vulgò dicitur, *ex non Quantis non fit Quantum*, ideoque neque ex vnitatibus Numerus: id tantummodo verum est, & est accipiendum de *Quanto continuo*, nam Quantum continuum ex non quantis, si tri non potest, vt linea non fit ex punctis, nec tempus ex instantibus: Sed discretum Quantitatem, puta numerum, ex non quantis, puta vnitatibus constare et fieri, vt ex partibus ipsius integrantibus, non modo verum est, sed necessarium. *Numerus quid.*

Ex hac definitione tria manifestè consequuntur. Primò est *Vnitatem non esse Numerum, sed solum principium aut partem numeri*; nam omnis numerus est multitudo, at vnitas multitudo non est. Deinde omnis *Vnitas non est numerus.*

Numeris eſt Quantitas, & quantitas omnis eſt diuiſibilis in partes: vnitas autem in partes diuidi non poteſt, cum nihil vnitate minus ſit in quod diuidatur. Id quidem quod vnum eſt, puta Homo, lapis, minæ, denarius, in partes diuiditur, at ipſam vnitatem diuidi impoſſibile eſt.

Dub. Sed quid Grammaticis tum dicemus qui ſingularem numerum toties intonant?

Sol. Dicendum eſt illos laxint, & abuſiue, accipere nomen numeri, prout non ſolum numerum propriè dictum, ſed & principium numeri (quod eſt vnitas) complectitur. Reuera autem, vox hæc (*ſingularis*) addita numero, diminuens terminus eſt, qualis, *pictus*, ſi addatur homini, neque aliter ſingularis numerus, numerus vocari poteſt, quam homo pictus, vocatur homo; vtrumque impropriè, vtrumque catachreſticè.

Nullus eſt numerus maximus. 2. Quod conſequitur eſt hoc: *Numerum maximum unquam dari poſſe.* Nam nullus eſt aut fingi poteſt numerus, cui vnitas vna, imò verò decem myriades vnitatum addi non poſſint. Addita autem vel vnica vnitate, numerus fit maior. Atque hinc illud vulgatum veriſſimumque axioma: *Nec in Quantitate continua dari poteſt minimum, nec in quantitate diſcreta maximum.*

Numerus actu infinitus eſſe non poteſt. 3. Eſt hoc. *Numerus omnis finitus eſt, neque vllus numerus actu infinitus dari poteſt.* Eſt enim contra ipſam naturam & eſſentiam numeri, vt aliquid ſit numerus, & ſit actu infinitus: hoc liquet ex ſecundo, nam nullus numerus aut eſſe aut fingi poteſt, quin maior eo facillimè detur; nam adde ei vel vnicam vnitatem, habes maiorem. At infinito numero maior dari non poteſt, certum enim eſt quod vulgo dicitur: *In infinitis non eſſe maius aut minus; & infinito nihil eſſe infinitius.* Quoniam igitur omni numero dato, aut qui eſſe darive poteſt, ſemper maior numerus dari poteſt, certe ſi eſſet, aut eſſe poſſet vllus numerus actu infinitus, poſſet etiam dari infinito iſto numero maior aliquis, & magis infinitus numerus, quod eſt ſimpliciter impoſſibile.

Numeri proprietas. Quid ſit numerus diximus; proprietas numeri eſt hæc: quod *per eum res omnes numerari poſſint, & quanta ſit illorum multitudo explicari.* Dico res omnes, tam ſpirituales, quam corporales, non minus enim denario numero numerantur decem angeli, quam decem homines, aut equi: neque ſolùm ea quæ realiter, formaliter, & actu, atque ſua totalitate diſtincta ſunt & diviſa, ſed etiam illa quæ mente ſolum, & intellectu ſeparantur, aut diſtinguuntur, non reali diſtinctione. Sic quinario numero quinque digiti vnius manus, quinque partes vnius lineæ verè numerantur.

Subiectum Numeri quod. *Subiectum numeri, ſunt res ipſæ numeratæ:* vt ſubiectum denarij numeri quo decem Angeli menſurantur ſunt decem Angeli; idem decem homines, decem lapides, decem digiti ſubiecta ſunt illius numeri quo numerantur. Sunt hæc (inquam) vnum ſubiectum illius numeri. Sed vnum, *non eſſentia, neque continuitate, neque coexiſtentia, ſed vnum*

per

per aggregationem. Nam ſicut *ipſe numerus diſcretus* eſt quoad ſuas partes & vnitates, & eſt vnus per illarum vnitatum aggregationem, ita non requirit ſubiectum vnum continuum, aut vnum *per ſe ſtantiam*, ſed ſufficit ſi ſit vnum *per aggregationem*.

Cauſa numeri eſt diuerſitas ſeu diſtinctio rerum: diſtinctionem dico, vel *realem* & quoad ſubiecta, vt in decem Angelis, decem hominibus, & ſimilibus: vel *mentalem*, quando mens in vno ſubiecto deſignat diſtinctas partes, licet ſint inter ſe continuatæ, vt cum decem partes eiuſdem lineæ, eiuſdem hominis aut arboris deſignantur. Nam quod vulgo dicitur *Numerum oriri ex diviſione continui*, id hunc ſenſum habet, quod ſemper ex diviſione continui numerus partium iam ſeparatarum oritur, & quo magis dividis, maior extat numerus: Sed ſenſus non eſt, quod nullus numerus ſit in rebus, niſi quando continuum dividatur, ſic enim nec eſſet numerus in Angelis, nec in decem hominibus, nec in decem arboribus, quia in his nulla eſt diviſio continui: cum decem homines inter ſe continui non ſint. Ratio autem, quare diſtinctio rerum facit numerum, eſt iſta, quia ex iſta diſtinctione & diverſitate fit vt res diverſæ ſint & multæ; vt quia hic Angelus diverſus eſt ab illo, ideò hic vnus eſt, ille alius, atque ita multi ſunt: facta autem multitudine fit numerus, cum numerus ſit ipſa multitudo vnitatum: idem dicam de diſtinctione huius lapidis ab illo, huius digiti ab illo. *Cauſa numeri.*

Atque hæc de numero, deque tota ſerie huius prædicamenti cuius Synopſin hic ſubiungo.



CAP.

CAP. XII.

De Relatione.

POst *Quantitatem*, si accuratus rerum ordo servetur, de *Qualitate* agendum esset, & alijs absolutis prædicamentis, ac postremò de Relatione. Sed nos Arist. vestigijs insistemus, qui, vt ea quæ de Relatis, cap. de Quantitate dixerat, facilius intelligerentur, voluit perspicuitatis causa, invertere paulo rerum ordinem, & *Relationem*, *Qualitati*, reliquisque prædicamentis absolutis præponere.

De relatione tria declaranda sunt.
1. *Quod nam sit hic summum genus, & quomodo definiatur.*
2. *Quæ illius proprietates sint.*
3. *Quæ eius series.*

Relata & Relationes differunt inter se.

Vt genus summum in hoc prædicamento inveniatur, advertendum est diligenter, *multum inter se differre Relata, seu vt Arist. vocat, ea quæ sunt ad aliquid, & Relationes*: Nam *Relata*, sunt termini relationis, vel *subiecta* quibus insunt Relationes, quæ per istas relationes invicem referuntur inter se. *Relationes* autem non referuntur ipsæ ad alia, sed sunt nudæ formæ, per quas relata seu termini referuntur. Exempli gratia. Pater refertur ad filium, per hanc *relationem* quæ dicitur Paternitas; & filius ad patrem, per eam *relationem* quæ dicitur filiatio; Paternitas autem & filiatio non referuntur ad vlla, sed per illam pater, per hanc filius refertur. Quare *Relata referuntur*, *Relationes sunt respectus ipsi seu referentiæ quibus relata referuntur*, aut si apertius loqui velis, Relata sunt subiecta ipsa provt relationibus sunt affecta, relationes sunt nuda accidentia quibus subiecta afficiuntur, & ex quibus relata vocantur.

Relatum non summum est Genus.

Ex hoc discrimine, quatuor consequuntur quæ ad investigandum summum Genus, apprimè conducunt. Primũ est hoc: *Relatum nec est, nec esse potest summum Genus huius prædicamenti.* Ratio aperta est. Nam relatum refertur ad aliud, nempe ad correlatum. Quare si *relatum* esset summum Genus, pari ratione etiam *correlatum* eius esset summum Genus, & ita, aut essent duo summa genera vnius prædicamenti, aut hoc non esset vnum prædicamentum, & sic essent plura quàm decem. Cum igitur nulla ratio vel fingi potest quare relatum esset summum Genus, & non etiam illius Correlatum, certè consequitur, aut neutrum, aut vtrumque esse summum Genus; & quia vtrumque esse summum, impossibile est, profectò neutrum eorum summum esse, pro-

proficendum est. Præterea omnia summa Genera simplicia sunt & incomplexa, vt ex prima divisione antepræmissa liquet; at *relata omnia complexa sunt*, significantia duas naturas realiter distinctas, *Subiectum* nempe cui inest relatio, & ipsam relationem. Summum igitur genus relatum esse non potest.

Secundum, consequens est hoc. *Relatio verò est summum genus, huius prædicamenti.* Sequitur ex priori. Nam certum est vel *relatum*, vel *relationem ipsam* esse summum Genus huius ferici: nihil enim aliud cum vlla specie probabilitatis vel fingi potest. Cum igitur ostensum sit, *relatum* non esse, relinquitur *relationem ipsam* esse verè summum Genus. *Relatio est summum Genus.*

Tertium est hoc. *Relata nulla sunt vel Genera, vel species, vel differentiæ, vel propria, vel individua, huius prædicamenti.* Sequitur ex præcedentibus: nam ista omnia incomplexa sunt, at Relata omnia complexa, vt iam ostendimus. Præterea summum Genus verè & essentialiter de omni inferiori genere, deque omni specie, & individuo prædicatur, at *relatio* quæ est (vt ante probatum est) summum genus huius prædicamenti, de nullo relato dicitur: tum enim non relatum esset seu terminus qui refertur, sed relatio ipsa per quam terminus alius refertur ad alium. Quare hinc constat relata nulla posse dici, vel genera, vel species, vel individua, huius prædicamenti. *Relata non omnino genera vel species.*

Quartum consequens est hoc. *Relata nulla directè ponuntur in vllo prædicamento, reductivè verò in hoc relationis collocantur.* Hoc etiam ex præcedentibus liquet. Nam quicquid directè in vllo prædicamento locatur, illud incomplexum est; at nullum relatum est incomplexum. Reducuntur verò ad hanc classem, quia *termini sunt relationis*, sicut Punctum, & Instans reducuntur ad quantitatem, quia sunt termini quantitatum. Atque hoc sensu, neque alio, capiendum est illud quod frequentissimè dici solet: *Relata esse in hoc prædicamento, aut hoc esse prædicamentum eorum quæ sunt ad Aliquid.* Etenim quia relationum natura ac essentia subtilis valde est, neque ex se facilè percipitur, ideò frequenter pro relationibus, relatis vtimur, quia illa facilius cognoscuntur & per illa ad relationum cognitionem quasi manu ducimur. *Relata solum in prædicamento reductivè.*

Cæterum etsi relata ponantur in hoc prædicamento eo quo dixi modo, tamen non omnia ne sic quidem hic locantur. Vt autem sciamus quæ relata sint, quæ non sint hic reponenda, sedulò advertenda est hæc distinctio.

Relata

Relata secundum Dici & secundum Esse.

Intentionalia, quæ sunt secundæ intentionis, in quibus mens nostra concipit respectum vnius ad alterum. Talia sunt *genus & species, Causa & effectum, Subiectum & adiunctum*, et similia prout *intentionaliter* accipiuntur, non autem *materialiter*, pro rebus ipsis quæ illis intentionibus substernuntur.

Relata sunt duplicia,

Realia quæ sunt res ipsæ sine ullo nostræ operationis existentes & respectum habentes, hæc sunt vel relata

- *Secundum Dici, quorum essentia quidem absoluta est, sed tamen accidentaliter habent respectum quendam superadditum essentiæ ipsorum*, vt Scientia & Scibile, Sensus & Sensibile.
- *Secundum Esse, quorum tota essentia est in relationi posita, sic vt absolutam naturam nullam habeant*, vt Pater & filius, Dominus & Seruus.

Hinc iam explicari potest, quæ relata sint, quæ non sit in hac scientia. Illud tribus propositionibus declaro.

Relata intentionalia non sunt in vllo prædicamento.

1. Est hæc. *Relata intentionalia neque in hoc, neque in vllo alio prædicamento per se reponi possunt.* Ratio manifesta est, quia prædicamenta sunt classes rerum, non intentionum secundarũ. Præterea talia relata æquè sunt in omnibus, atque in vno prædicamento: nam in omni classe sunt genera & species, causa & effectum; ad vnum igitur aliquod restringi ista non possunt. Sunt igitur in nullo *vno per se*, in omni autem *per accidens & gratia illarum rerum quæ per ipsas intentiones secundas notantur.*

Relata secundum Dici non sunt in hoc tertio prædicamento.

2. Est hæc, *Relata nulla secundum Dici, ad hoc prædicamentum spectant, nec in eo vel reductivè ponuntur.* Ratio est, quia omnia talia relata sunt in sua essentia & natura absoluta; & omnia absoluta ad classes rerum absolutarum spectant, & in aliquo eorum collocantur, vt Scientia & Sensus in Qualitate, Scibile aliquod in Substantia, aliud in Quantitate, aliud in alijs prædicamentis. Cum igitur omnia talia relata ad aliquod absolutum prædicamentum pertineant, certe in hoc *Relationis* reponi, aut ad hoc reduci non possunt: Nam sic vnum idemque in diuersis prædicamentis esset, quod est impossibile, vt ante declaravimus cap. 8.

Omnia & sola relata secundum esse, in hoc prædicamento.

3. Est hæc: *Relata omnia secundum Esse, eaque sola ad hoc prædicamentum spectant, & reductiuè in eo ponuntur.* Sequitur ex præcedentibus. Nam cum neq; *intentionalia* hic ponantur, neq; *relata secundum Dici*, relinquitur vt sola *relata secundum Esse*, hic collocentur. Ea verò omnia huc spectare liquet; quia relationes omnes quibus illa referuntur,

runtur in vna communi natura & vnivoco genere conveniunt, nempe in *Relatione*: quare cum relationes omnes quibus ista relata referuntur, directè in hoc prædicamento collocentur, consequitur relata ipsa quæ sic referuntur, ad hoc idem prædicamentum reduci, in eoque reductivè collocari.

Satis vt opinor, nunc liquet, primo relationem esse summum Genus huius prædicamenti; deinde relata (non quidem omnia) *sed secundum esse solum*, huc spectare, & hic per reductionem locari. Nunc quid sit hæc relatio quæ est summum Genus expediamus, describitur autem sic.

Relatio est Accidens naturâ sua respectivum, per quod subiectum cui inest refertur ad aliud. Quia autem doctrina hæc tota de Relationibus & valde fructuosa est & valde obscura, addam pauca ad plenioremhuius descriptionis, aliorumque quæ ad relationem spectant, intelligentiam. Sunt autem tria præcipue in ista descriptione notanda. *Relatio quid sit*

¶ Primum, quod *relationes omnes sint accidentia, ideoque verè Ens ita alia, realiter existentia, & subiectis suis inhærentia.* Loquimur enim hic solum de *relationibus finitis*, & rerum finitarum. Sunt enim in Deo *divinæ quædam & per rationem humanam omnino incomprehensibiles relationes*, quæ Accidentia non sunt, cum in Deo *accidens nullum vel fit vel esse possit*, vt August. sæpissime, & clarissime lib. de fide & Symb. ca. 9. & post eum Aquinas part. 1. q. 3. art. 6. & lib. 1. contra Gent. ca. 23. docet. Istæ (inquam) *relationes in Deo Accidentia non sunt*, vt Aquin. docet part. 1. q. 28. art. 2. & lib. 4. contra Gent. ca. 14. Sed reprimo me, nec in tam altum pelagus (vbi Elephantes omnes natent, nec forte enatent) immitto Cymbam hanc. Moneo solùm de his Relationibus nihil nos hic agere, cum relationes *accidentia definimus*. Relationes enim solum *finitas* tractamus; Theologis alias relinquimus. *Relationes sunt accidentia realia.*

Secundum est hoc, quod *relationes sunt natura sua & essentia respectiva.* Quod non ita capiendum est, quasi ipsæ relationes respiciant alia, aut ad alia referantur, (nã hoc *terminus & relata conveniunt relationibus*) sed sunt respectiva, quia *per ea subiecta ipsa seu termini ad alia referuntur*, neque quidquam sint, quatenus hæ relationes habent, quàm natura sua respectiva & relata. Sic pater qua pater, id est quatenus paternitatem habet, nihil aliud est, quam relatum, nullam absolutam naturam habet, sed solum respectivam. Est enim paternitas, essentialiter respectus qua pater refertur ad filium, de quo vide quæ supra meminimus ca. 9. *Relationes quomodo naturaliter respectiva.*

Tertium est hoc. *Quod per relationem subiectum aut Terminus vnus refertur ad alium*: *vnus* (inquam) *ad vnum non ad plures.* Etenim in omni relatione duo sunt, & duo tantum non plures termini. Ideoque si evenit (quod frequentissime evenit) vt vnus pater referatur ad 5. aut 50. filios (quot Priamum habuisse narrat Cicero, lib. 1. Tus. Quæ.) *Relatum refertur ad vnum tantum. Correlatum.*

aut vnus dominus ad 500. servos, aut vnus rex ad 500. Myriadas subditorum, quoniam vniuscuiusque relationis non possunt esse plures quam duo termini, efficitur, quod tot sint in illo patre, domino aut rege distinctæ numero paternitates, dominationes, & regalitates, quot sunt eius filij, servi, aut Subditi; & quod ille idem homo per vnam paternitatem referatur ad hunc filium, & dicatur terminus relatus ad hunc, vel pater huius filij: per aliam paternitatem, referatur ad alium, dicaturque terminus relatus ad illum, vel pater illius filij, & ita in reliquis quotcunque sunt. Hoc ita probatur. Quia si vna tantum paternitas ei ineſſet, eaque vna ad quinque filios referretur, certe mortuo vllo vno istorum quinque filiorum, non posset amplius pater aut esse aut dici. Certum est enim quod vna relatio, seu paternitas tollitur, cum tollitur vnus filius, nam sublato relato tollitur Correlatum. Correlatum autem filij pater est, aut homo cum paternitate. Quare si homo ille vnam tantum paternitatem habuit, quoniam illam iam mortuo vno filio, amisit, relinquitur eum diutius non esse patrem: at constat eum adhuc esse patrem, quia adhuc alij eius filij sunt superstites. Quare certum est eum adhuc retinere alias paternitates, per quas adhuc pater dicatur horum filiorum, & ad eos referatur; Similiter ab ortu filiorum, servorum, aut Subditorum arguere possemus. Neque tamen propter istam multiplicitatem aut diversitatem paternitatum, aliarumque relationum, quæ eidem insunt, debet ille vnus homo, multi aut diversi patres, domini, aut reges appellari. Nam vt sint diversi aut multi patres, aut reges, requiritur non solum vt relationes diversæ sint, sed vt subiecta ipsa quibus illæ relationes insunt, sint diversa, quia nomen patris aut regis notat subiectum cum paternitate, aut regalitate. Hic autem subiectum vnum est tantum, non multa. Quare vnus tantum pater aut rex est, etsi illi vni insint multæ paternitates aut regalitates. Hoc tamen verum est, quod ille vnus, cui tot paternitates insunt, est terminus diversus quinque filiorum, quia subiectum illud licet vnum sit, tamen cum vna paternitate est terminus vnius filij, cum alia paternitate, terminus alterius, & ita in reliquis. Nam ad terminorum diversitatem sufficit subiectum idem cum diversis relationibus. Atque propter hanc terminorum diversitatem, fit vt extincto vno filio non desinat esse pater, sed solum pater illius filij, seu relatus ad illum filium: nec extinguitur in eo simpliciter paternitas, sed solum illa paternitas per quam referebatur, aut per quam erat terminus relatus ad illum filium. Quamdiu autem in eo manet vel vnica paternitas, tamdiu æque vere pater dicendus est, licèt habet solum vnicum filium, ac dicebatur cum haberet quingentos; sed iam non est pater tot filiorum, neque tot paternitatibus affectus.

Dub. At inquies, duo aut plura accidentia solo numero differentia non possunt eidem subiecto ineſſe, sic enim vulgo dicitur.

Sol. Respondeo, id quidem alicubi dici ab Aquinate, sed cuiuscunque propositio sit, certe vera non est, si generaliter accipiatur. Nam spe-

cies

cies ſenſibiles decem millium obiectorum, puta ſtellarum, aut hominum, aut arborum, aut corporum alborum in eadem parte aeris, in eodem oculo, imo pupilla oculi, ſimul eſſe poſſunt: at ſpecies duarum albarum chartarum, duarum ſtellarum, aut duorum hominum, differunt ſolum numero, ſicut chartæ ipſæ albæ, aut homines, aut ſtellæ ſolo numero differunt. Itidem ſpecies intelligibiles centum aut mille hominum, ſimul eſſe poſſunt in mente, & tamen numero tantum inter ſe differunt. Idem de lumine aſſeritur a nonnullis, duo nimirum lumina diſtincta ſolo numero ſimul aeri ineſſe, cuius indicium capiunt ex eo, quòd ſi duæ lucernæ eidem menſæ apponantur, & inter ea corpus opacum, videmus vmbram vtrinque fieri, ideoque lumina diuerſa in aere ſunt, quia privatio vnius luminis vnam non duas vmbras efficeret. Quare etſi illud vulgare dictum, ſi de quantitatibus ſolum, vel qualitatibus (vt vocant) materialibus capiatur, concedi poſſet, ita vt duo calores, aut duo corpora quantitativa, aut duæ figuræ diſtinctæ ſolo numero in eodem ſubiecto ineſſe nequeant, quo ſenſu a Zab. ſumitur, cap. 9. lib. de Region. Aeris tamen ſi ad alia accidentia vel ea quæ ſpiritualia vocantur (qualia ſunt ſpecies omnes viſibiles) vel ea quæ debilem entitatem habent, & tanquam *ſpiritualia* ſunt (qualia ſunt relationes) ſi inquam ad hæc accommodetur, verum non eſt; nam in exemplis allatis tum relationum, tum ſpecierum viſibilium, liquet duo, imò centum aut mille accidentia ſolo numero diſtincta, ſimul in eodem ſubiecto eſſe poſſe.

Explicata relationis definitione; Cauſa eius ſicut in aliis accidentibus inueſtiganda eſt. Ea *dicitur fundamentum relationis*. Nam quod nonnulli fundamenti nomine ſubiectum ipſum aut relatum intelligant, vt Iac. Zab. in Introd. ca. de Rel. longe aberrant & a ſcopo, & vero ſenſu illius vocis. *Fundamentum enim eſt illud, vnde immediatè oritur relatio, ſeu illud, quod eſt cauſa proxima cur hic terminus, aut ſubiectum ad aliud referatur, cuique (velut fundamento adificium,) ſuperſtruitur relatio.* *Fundamentum relationis quid.*

Fundamentum omnium relationum eſt aliquod Ens abſolutum: omnes autem relationes non in vno, aut non ſimiliter fundantur. Quædam fundantur in *Quantitate*, aliæ in *Qualitate*, aliæ in *Actione*, aliæ in *aliis rebus*, vt ex diligenti ponderatione percipi poteſt. In quantitate fundantur æqualitas & inæqualitas, nam cauſa proxima, cur aliquid ſit æquale alteri eſt hæc, quia quantitatem eamque æqualem vtraque habeant. In magnitudine fundatur longum & breve, latum & arctum, magnum & parum: In tempore, diuturnum & breve quoad durationem: In numero, par & impar. In qualitate fundatur ſimilitudo & diſſimilitudo; nam ex eo quod duo termini habent eandem qualitatem ſpecie, oritur inter ipſa ſimilitudo; ex eo quod diuerſam habent, puta vnus eorum albedinem, alter nigredinem, oritur diſſimilitudo. Itidem quod vnum albius ſit, alterum minus album, vnus doctior, alter minus doctus, vnus fortior, alter minus fortis, vnus calidior, alter

minus calidus, et reliquæ omnes relationes quæ comparationem in qualitate vlla notant, Hæ inquam omnes, ex qualitate oriuntur, et in qualitate fundantur. Nam cui vlla qualitas in pluribus gradibus ineſt, illud refertur ad aliud cui pauciores gradus inſunt, per notam relationis magis aut minus. Sicut longius, latius, craſſius, diuturnius oritur a maiori extenſione quantitatis (nempe lineæ, ſuperficiei, corporis aut temporis) quam vnum habet, præ alio. In actione quam plurimæ relationes fundantur, in actione generandi, id eſt, producendi aliud, ita vt ſubſtantiam ſuam aut illius partem eidem communicet, fundatur paternitas: in actione recipiendi ſubſtantiam ſuam ab alio per modum generationis, fundatur filiatio: in actione recipiendi ſubſtantiam ſuam ab alio per modum genereationis, fundatur filiatio: in actione recipiendi ſubſtantiam ab eodem patre, fundatur fraternitas: in actione docendi præcepta artis alicui, eumque in illa arte rectè inſtituendi, fundatur ea relatio, qua quis præceptor vocatur. In actione auſcultandi, et artem aliquam ab alio diſcendi, fundatur relatio ex qua quis diſcipulus denominatur. In actione conſentiendi, vel in mutuo conſenſu per verba de præſenti, quod alter vir ſit aut maritus, altera vxor, fundatur matrimonium, id eſt, relatio illa ex qua coniuges vocantur, alter vir, altera vxor. In mutuo conſenſu quod vnus alteri fideliter ſeruiat, et alter ei debito modo dominetur, eique proſpiciat, fundantur relationes illæ, ex quibus hic dominus, ille ſervus vocatur. Idem in omnibus alijs relationibus declarari poſſet, ſed hæc ex empli cauſa propoſuiſſe ſufficit.

Dub. Dubitaberit forte quis de eo quòd *magnum, longum, latum, diuturnum* inter relationes numeremus, cum potius inter Quantitates cenſendæ ſint.

Sol. Solutio facilis eſt. *Magnum, longum* & reliqua ſumuntur dupliciter, *Abſolutè*, pro eo quod ſimpliciter magnitudinem aut extenſionem habet vllam. *Reſpectiuè*, pro eo quod magnitudinem aut extenſionem maiorem habet quam aliud. Idem de *longo, lato*, & *diuturno* dicendum eſt. Si priori modo capiantur, ſic *abſoluta ſunt*, & vel idem quod linea, ſuperficies, corpus & tempus, vel proprietates & affectiones illorum, atque ſic de ijs hic non loquimur. Si ſecundo modo ſumantur, verè relata ſunt in ſua natura, ſic enim *magnum* vocatur, non quod eſt extenſum, ſed quod maiorem habet extenſionem in longum, latum, aut profundum, quam aliud quod reſpectu huius dicitur parvum. Atque hinc conſequitur, aliquid poſſe *abſolutè* dici *magnum, longum, latum, craſſum*, ea (inquam) omnia quibus ineſt magnitudo, ſeu extenſio in longum, latum, aut profundum. Sed *parvum, breue, ſubtile*, nihil abſolute vel eſſe, vel cogitari poteſt. Quippe nihil eſt abſolutè parvum, quia quodcunque ſumas corpus eidem ineſt extenſio & magnitudo; nihil abſolutè breue, quia eidem ineſt aliqua longitudo, & ſic in cæteris. Quare quicquid parvum eſt, id tantummodo comparatè parvum eſt, nempe reſpectu maioris. Quodcunque

cunque enim parvum accipias, idem est absolute magnum, quia extensionem & magnitudinem habet: & ideò etiam respectiue magnum esse potest, si cum minori conferatur, nam *minima magnitudo aut extensio dari non potest.*

Ex his quæ de relationum fundamentis iam diximus, sex consequuntur. Primum est hoc. *Relationem omnem esse ens reale, verè realiter, seu essentialiter distinctum à suo fundamento.* Liquet ex dictis. Nam fundamentum semper est *absoluta natura*, relatio semper est *respectiua*: Fundamentum semper est *causa* seu id vnde oritur relatio, Relatio est id quod *oritur, causatur*, & consequitur ex fundamento. Fundamentum semper *prius est naturâ* relatione: Relatio *naturâ posterius* suo fundamento. Hæc certa indicia sunt realis & essentialis distinctionis. Scio virum illum doctrina & pietate insignem Hier. Zanch. lib. 2. de Attrib. divin. cap. 2. quæst. 1. §. Vocantur, paulo aliter docere, ait enim, *Relationes esse ac dici entia realia, non quia ex se talia sunt, sed tantum ex ipso fundamento*, quia fundamentum eorum est reale: et vlterius ait, *Relationes nihil addere suis fundamentis.* Sed cur istis non sit assentiendum, ex prædictis liquet. Addo etiam, quod si nihil addatur corpori albo cum vocatur, & est simile alteri albo, certè omnis similitudo abolenda est, nam ex albo sine reali accidente, realiter esse dicive nihil potest simile. *Fundamentum, & Relatio realiter differunt.*

Secundum est hoc: quod *Relatio nulla possit esse terminus motus aut mutationis, sic vt ad ipsam tendat aut terminetur mutatio.* Docet hoc expresse Arist. 5. Phys. cap. 2. et ratio est, quia motus omnis & mutatio hue spectat, vt introducatur in subiectum aliquod ens absolutum, nempe vel Substantia, vel quantitas, vel qualitas, vel vbi: nihil autem horum, neque vllum absolutum, relatio est. *Relatio non est terminus Motus.*

Tertium. *Relationes oriuntur tribus modis*; primo *ad ortum subiecti cui insunt*, vt, cum oritur homo, cum eodem oritur potentia ridendi, & ideo similitudo ad alios homines qui ridere itidem possunt, sed dissimilitudo ad bruta, plantas, & omnia alia quæ nequeunt ridere. Secundo, *ad ortum sui fundamenti.* Vt cum ignis calefacit aquam, ad introductionem caloris in aqua oritur similitudo ad aerem, sed dissimilitudo ad terram & omnia frigida. Tertio *ad ortum sui correlati*, etsi nullum omninò absolutum accedat subiecto cui inest relatio: sic in exemplo posito, cum aqua calefit, oritur noua dissimilitudo in terra ad istam aquam, ea verò oritur neque *ad ortum subiecti*, neque ad *ortum fundamenti*, sed solum ad *ortum correlati*, illius nempe dissimilitudinis quæ oritur in aqua ex illa introductione caloris in eam. Fundatur autem dissimilitudo terræ in qualitate frigoris quod præextiterat in terra, & quod dissimile est omni calido; & propter hoc frigus noua relatio nunc fit in terra ad ortum sui correlati. *Relationes oriuntur tribus modis.*

Quartum est hoc, *Relationes sicut oriuntur, ita moriuntur, occidunt, seu desinunt esse, tribus contrarijs modis.* Primo, *per interitum subiecti*, eadem tribus vt moriente Socrate qui pater est, moriuntur omnes paternitates quæ *modis.*

in ipso sunt. Secundo, *per interitum correlati*, vt moriente Socrate patre, desinunt relationes filiationis quæ sunt in eius filijs. Tertio, *per interitum sui fundamenti*, etiamsi subiectum tam relati quam correlati salvum sit: vt intereunte calore aquæ, interit dissimilitudo aquæ ad terram, et omnia alia frigida.

Numerus relationum propè est infinitus.

Quintum est hoc. *Cum tot modis oriri soleant relationes, non est dubitandum, quin ingens & omninò incomprehensibilis numerus relationum, & sit & quotidiè oriatur.* Accipe vel vnum granum tritici, quis mente concipere potest, quot sint corpora maiora illo grano, quotve arenæ maris minores eo? Sunt verò tot relationes in illo vno grano, quot sunt numero, ad quæ refertur. Et cum oritur illud granum, oriuntur simul omnes illæ relationes, tam in alijs quæ vel maiora sunt vel minora ipso, quàm in ipso illo grano. Aut quis fingere animo potest quot sunt numeri quibus binarius numerus sit inæqualis?

Sextum est hoc. *Cum relationes tam facile & oriantur & intereant, cumque tam leuem habeant dependentiam a subiectis quibus insunt, vt sine vlla mutatione in illis facta (per accessum nempe vllius absoluti) & oriantur infinitæ fere relationes in illis, & intereant, fatendum est, id esse verum quod vulgo dicitur: Relationes esse minimæ entitatis.* Dependet enim earum entitas, tam a *subiecto* cui insunt, quodque refertur, quam a *termino* ad quem refertur, & a *fundamento* a quo oritur relatio. Quorum vllum si deficiat, perit relatio.

Proprietates Relationum.

Huc vsque de summo genere quodnam, & quidnam esset in hoc prædicamento, diximus. Nunc ad illius proprietates progrediamur. Quinque enumerat Arist. cuius nos sensum aperire desideramus.

Prima est *quod relatis aliquid sit contrarium.* Contrarium (inquam) non *per se*, sed *gratia sui fundamenti.* Ea enim relata contraria sunt, quorum fundamenta sunt contraria: vt dissimilitudo orta ab albedine, contraria est per accidens, dissimilitudini quæ fundatur in nigredine, quia albedo & nigredo contraria sunt. Convenit autem relatis secundum esse neque omnibus, non enim æquali aut inæquali; neque solis, nam qualitates contrariantur, quare *communitas verius quàm proprietas vocanda est.*

Secunda est. *Relata suscipiunt magis & minus*, vt vnum simile, est magis simile alicui, quam alterum. Estque hæc etiam *communitas solum, non proprietas relatorum secundùm esse.* Nam neq; omnibus convenit, non enim æquali & inæquali, cum fundamentum eorum nempe Quantitas non suscipiat magis & minus: nec solis, convenit enim qualitatibus; Addo etiam, nullis relatis *per se* convenit, sed solum *per accidens* & gratia fundamenti.

Dub.

Sed quomodo tum dicit Arist. æquale & inæquale suscipere magis & minus: nam illa fundantur in quantitate, & quantitas non suscipit magis aut minus. Præterea æqualitas omnis in indivisibili consistit, sic vt vel addendo quicquam, vel detrahendo desinat esse æquale: quare nihil altero magis æquale, nam vtraque omninò paria sunt.

sunt. Inæquale quidem vnum, magis altero inæquale. Vt mille, magis inæqualis est numerus respectu binarij, quam centum, & centum quam viginti, ita vtrinque difficultas est.

Respondendum est, Arist. hic res tractare pingui Minerua, & exempla adducere vulgata, licet non exactè vera. Etenim & hic locum illud habet, *In exemplis non est quærenda veritas, sed illustratio.* Dicendum igitur, neque æquale, neque inæquale, *proprie loquendo* suscipere magis aut minus; & quamvis vnum dicatur inæqualius aut magis inæquale altero, id tamen non dicitur propter maiorem intensionem quantitatis aut multiplicationem vnitatum. *Sol.*

Tertia, *Relata omnia dicuntur ad conuertentiam, id est, reciprocantur vnum cum altero in aliquo obliquo casu*, vel in *genitiuo*, vt, pater est filij pater; vel in *datiuo*, vt simile est simili simile; vel in *accusatiuo*, vt mons dicitur magnus, ad parvum, aut respectu parui; vel in *ablatiuo*, vt maius dicitur minore maius. Nunquam vero reciprocantur relata in *recto* casu, nam non possumus dicere, Omnis pater est filius. *Relata dicuntur ad conuertentiam.*

Conuenit hoc Relatis secundum esse *omnibus, non solis*, nam etiam relata secundum dici sic reciprocantur, vt sensibile est sensu sensibile, Scibile est Scientia Scibile. Est ergo proprium relatis secundum esse, primo modo. *Relata sunt simul natura.*

Quarta, *Relata omnia sunt simul naturâ.* Vt autem aliqua dicantur simul naturâ, duo requiruntur, Prius, vt sint *simul tempore*, neutrum verò aut prius tempore aut posterius altero; sed posito vno ponitur alterum, & sublato vno tollitur alterum. Posterius, vt *neutrum eorum sit causa alterius.* Horum vtrumque relatis omnibus huius prædicamenti, id est, relatis secundum esse conuenit. Nam neque pater prior est filio, & neutrum causa alterius est. Est autem hoc proprium relatis secundum esse primo modo; nam *omnibus conuenit sed non solis.* Etenim relata secundum dici possunt esse simul naturâ, vt Scientia & Scibile, Sensus et Sensibile: et relata etiam intentionalia, vt Genus et species, causa et effectum: et præter hæc, duo propria eiusdem speciei, vt risibile et flebile, nam posito vno, ponitur vtrumque, & nec risibilitas causa est flebilitatis, nec contra.

Sed duplex dubitatio hic occurrit, prior de relatis secundum esse, nam vt vulgò obijci solet, pater prior est tempore suo filio, aliàs filium generare non posset. *Dub.*

Responsio vulgaris, si rectè intelligatur, vera est, patrem, si *materialiter* sumatur pro homine generante, priorem esse tempore suo filio: Si *formaliter*, neutrum prius est altero. Cæterum diligenter obseruandum est, quod formalis acceptio eorum, non est accipere patrem et filium pro abstractis, nempe pro paternitate et filiatione, sic enim neutrum eorum refertur ad aliud, vt sæpe dictum est, sed sunt ipsæ relationes per quas termini referuntur ad invicem inter se. Sed pater sumitur *formaliter*, cum accipitur homo cum hac relatione paternitas, aut quatenus ei paternitas inest. Et sic pater, nec est, nec *Sol.*

cogitari potest esse prior filio. Nunquam quis pater dici potest priusquam filius ei sit. Homo quidem iste cui inest jam paternitas, prior est filio, sed homo cum hac relatione prior non est. Et si plures filios habeat, non est pater huius filij priusquam sit hic filius.

Dub. Altera dubitatio est de relatis intentionalibus, qualia sunt *Genus & Species, Causa & effectum, pars essentialis, & totum essentiale, prius natura & posterius natura.* Hæc enim non sunt simul natura, cum omne genus prius sit natura suis speciebus, vt in ca. de Genere dictum est. Et causa omnis prior sit natura suo effectu, vt Arist. docet cap. de *Priori.* Ex quo sequitur tum genus esse prius specie, tum partem essentialem suo toto essentiali, cum ista sint causæ intrinsecæ horum. His addi potest *prius tempore, & posterius tempore*, quæ sine dubio relata sunt, & tamen non sunt simul natura, quia vnum eorum est tempore prius alio, nempe [*prius tempore*] aliter enim tempore non esset prius sed simul: quod implicat contradictionem.

Sol. Vna responsio omnibus his satisfacit, illa nempe quam in obiectione solvenda de patre & filio posuimus, de acceptione horum *materiali & formali.* Si genus & species sumantur *materialiter*, pro eis rebus quæ genera sunt & species; tum certissimũ est, genus esse natura prius specie, vt animal homine, viuens animali, corpus viuente. Sed si sumantur *formaliter*, pro rebus ipsis, *quatenus hæ intentiones generis & speciei eis accommodantur*, tum neutrum est prius natura altero. Nam animal quatenus ei *Generalitas* attribuitur, aut quatenus vocatur *genus*, nec est nec esse potest genus, nisi sit aut cogitetur aliquid esse species illius. Idem dicendum est de causa & effectu: res omnes quæ causæ sunt, priores natura sunt, quam res illæ quæ sunt eorum effecta; Sed res nulla causa est, nec habet *hanc intentionem causæ ei attributam* priusquam alteri hæc *intentio effectu* attribuatur. Similiter res ipsa quæ est pars essentialis, prior est natura suo toto essentiali, vt rationale homine: sed rationale cum hac *intentione partis essentialis*, seu provt ei accommodas hanc intentionem secundam, quod sit pars essentialis, neque est, neque cogitari potest priusquam cogites aliud, quod sit totum essentiale respectu illius partis. Atque hoc idem de *priori natura*, & *posteriori natura* respondendum. Accipe ea *materialiter* pro rebus illis quæ priores natura sunt aliis, tum non sunt simul natura, sed vnum prius est natura (vti vocatur prius natura) altera: sed sume *formaliter* pro re aliqua cum hac *relatione prioritatis naturæ*, tum non est, nec cogitari potest esse *prius natura*, nisi sit aliud & cogitetur, quod sit eo *posterius natura*. Etiam de *priori & posteriori tempore*, idem respondendum. Homo centum annorum prior est tempore homine qui solum duos annos egit, præcedit enim hunc annos octo & nonaginta: Sed nunquam ei inest hæc relatio *prioritatis temporis* antequam alter natus sit, cui inest alia relatio *posterioritatis temporis*; ideo nunquam nec est, nec dici aut cogitari potest, esse prior tempore, quam sit alter, aut dicatur aut cogitetur, qui sit posterior tempore.

re. Sicut homo qui pater est, nunquam est, aut cogitatur esse pater antequam sit alter, aut cogitetur qui sit illius filius. Atque de omnibus quæ similia sunt simile omnino est iudicium.

Tertia dubitatio est de relatis secundum dici, eaque ex ipso Arist. deprompta. Nam ille prolixa tractatione probat, esse *scibile*, cuius tamen non sit *Scientia*, vt Quadratura circuli scibilis est, nec adhuc tamen est illius scientia; & antequam crearentur homines, erant multa scibilia, puta, Cœlum, elementa, plantæ, bruta, & tamen non erat eorum Scientia (nempe *humana*) cum nondum esset homo. Ita ante creationem animalium erant multa sensibilia quæ sentiri possent, nec tamen erat vllus sensus quo poterant tum sentiri. Ex quo liquet, quod etiam Arist. concludit, Scientiam & scibile, sensum & sensibile, quæ sunt relata secundum dici, non esse simul natura, cum vnum sine alterò esse potest. *Dub.*

Respondeo Arist. id quidem & affirmare & probare, sed in tota illa tractatione, *disserit non asserit*, vel vt vulgo dicitur, *loquitur disputatiuè, non doctrinaliter*. Relinquit verò rem in dubio, neque solutionem annectit, vel quia hic res tractat pingui Minerua, vel quia lectorum ingenia in solutione investiganda, exercere voluit. Soluitur autem dubitatio hac distinctione: Scibile & scientia sumuntur tripliciter, vel *vtraque actu*, vt illud dicatur Scibile quod actu scitur, & illud scientia qua rem actu scimus: & sic ambo sunt simul natura, neutrum altero prius, nam nihil est actu scibile, antequam sit actu scientia quâ sciatur; vel *vtraque potestate*, vt illud dicatur scibile quod potest sciri, etsi adhuc non sciatur; & illud scientia, qua res potest sciri, etsi adhuc actu non sciatur, & sic ambo etiam sunt simul natura: nam nihil potest sciri, quin potest esse scientia quâ sciatur: vel *vnum eorum sumitur actu, & alterum potestate*, vt si capias scibile pro eo quod potest sciri, scientiam verò pro eo quo actu rem scimus; & hoc modo si accipiantur, Scibile est prius Scientia: hocque sensu de eo disputat Arist. Sed tum non apta fit collatio, nec aptum correlatum adhibetur Scibili. Si autem aptum capias correlatum Scibilis, profectò ea simul natura verè dici debent. Similis responsio de sensu & Sensibili adhibenda est. *Sol.*

Quinta & vltima proprietas relatorum est hæc, quòd *cognito vno relatorum definitè, etiam alterum definitè cognoscitur*. Sed quid est cognoscere aliquid *definitè*? Duo significat: vel cognoscere aliquid *in particulari* esse tale aut tale, vt cognoscere Socratem in particulari esse patrem, aut hoc corpus in particulari esse capitatum, & sic opponitur ei quod est, *cognoscere aliquid confusè* aut *in genere*: vel significat cognoscere aliquid *per veram & essentialem definitionem ipsius*, vt si cognoscas patrem per suam essentiam & definitionem, aut capitatum corpus per suam essentiam: & sic opponitur ei quod est *cognoscere aliquid per accidentia*, aut accidentalem descriptionem. Si priori sensu sumatur, tum hoc est proprium relatis secundum esse secundo modo: *Quid sit cognoscere aliquid definitè.*

nam *conuenit eis omnibus, sed non solis*, nam etiam relatis *secundum dici, & intentionalibus* conuenit. Etenim vt non scis definitè hunc esse patrem, aut dominum, nisi in particulari & definitè scias, eum esse patrem huius filij, aut dominum huius servi: ita neque definitè & in particulari scire potes hoc esse sensibile, aut scibile, nisi definitè & in particulari scias quòd sit hoc sensu sensibile, aut hac scientia scibile: neque etiam definitè potes scire hoc esse genus, aut causam, aut partem essentialem, nisi *in particulari ac* definitè scias, esse genus huius speciei, causam huius effectus, aut partem essentialem huius totius essentialis. Si verò sumatur in posteriori sensu, tum est proprium *quarto modo relatis secundum esse*, nam conuenit eis omnibus, solis semper: Ratio est, quia ipsa essentia relatorum secundum esse, est respicere aliud, ad illudque referri: Quare impossibile est cognoscere ipsum in essentia sua, nisi scias id ad quod iuxta essentiam refertur. Non sic relata secundum dici: nam illa omnia in sua natura ac essentia absoluta sunt, ideòque habent absolutam essentiam, qua cognita, ipsa definitè & in essentia cognoscuntur; sicut Scientia & sensus qualitates sunt, & sensibile, vel qualitas vel Substantia. Cum ergo in sua natura non respiciant vllum aliud, certè in sua essentia cognosci possunt, interim vt alia illa non cognoscantur, ad quæ ex accidenti & non ex essentia referuntur. Relatis autem intentionalibus hoc non conuenit, quia illa definitè & iuxta essentialem definitionem non omninò cognoscantur, sed solum per descriptiones, quia non sunt res extra mentem & sine ullis operatione existentes, sed intentiones secundæ a mente fabricatæ, quare nec in prædicamentis (quæ sunt classes rerum) locantur.

Arist. autem sumpsit hoc [*Definitè cognoscere*] vtroque sensu simul. Atque eo modo est etiam proprium relatis secundum esse, quarto modo.

Dub. Sed dubitari de vtroque sensu potest. Primò videntur relata secundum esse cognosci definitè et essentialiter sine cognitione suorum correlatiuorum. Vnumquodque enim tum essentialiter cognoscitur quando per suum genus & differentiam cognoscitur. Quare si quis cognoscat genus & differentiam patris, is sanè totam essentiam patris cognoscit. Deinde certum est correlatum non esse de essentia, neque patrem vllam essentialem sui relati, nam tum esset prius naturâ relato, cum omnia essentialia priora sint eis de quorum essentia sunt; relata verò omnia sunt simul natura. Quare cum correlatum non sit de essentia relati, videtur relatum secundum suam totam essentiam cognosci posse sine eo.

Sol: Respondeo, verissimum esse, correlatum nullum esse de essentia sui relati, vti satis apertè ac solidè in obiectione probatur. Sed tamen neque essentialiter cognosci potest, neque definiri, relatum sine correlato. In quo magnum discrimen obseruandum est inter *absoluta & respectiua*. Nam quia natura absolutorum absoluta est, ideò

ideò ad cognitionem essentiæ, & ad essentialem definitionem ipsorum, nihil requiritur præter genus & differentiam, quæ sunt partes essentiales: At secus se res habet in *relatis*; Nam quia ipsorum natura non est absoluta, sed *respectiua*, talisque vt illa ipsa essentia implicet respectum ad aliud, ideo relata non possunt secundum essentiam suam sciri, nisi id sciatur ad quod respectus notatur per illam essentiam: neque satis est ad relatorum definitiones adhibere genus & differentiam (quæ sola eis essentialia sunt) sed oportet addi correlatum, quod etsi non sit de essentia, est tamen terminus correlativus quem relatum per suam essentiam respicit.

Altera dubitatio est de priori sensu & de relatis secundum dici. In- *Dub.*
ter ea Arist. enumerat *Caput & Capitatum, manum & manuatum*, & ait aliquem posse definitè, & in particulari scire manum & caput, interim vt cuius manus sit aut caput ignoretur. Hoc autem videtur impossibile, nam non potest definitè et in particulari sciri hoc esse manū aut caput, nisi sciatur esse huius corporis manū aut caput, quia manus et caput partes sunt totius, pars autem et totum sunt relata secundum esse. Quare vnū certò ac definitè sine altero cognosci non potest.

Respondeo, Arist. et ponere illa inter relata secundum dici; et affle- *Sol.*
rere vnum posse definitè sciri sine altero. Sed quod in alijs quamplurimis, idem hic locum habet, *in exemplis nunquam esse veritatem sed illustrationem.* Nam capitatum cum sit totum, caput cum sit pars, cumque pars et totum sint relata secundum essentiam, sane idem, de capite et capitato, manu et manuato, ac similibus dicendum esse, non potest esse dubium. Et vt Pater si *materialiter* sumatur est solum substantia, si verò *formaliter* pro homine cui inest paternitas, est relatum secundum esse; itidem planè capitatum, si *materialiter* capiatur, pro substantia ipsa, ac corpore, relatum non est: Sed si *formaliter* accipias, pro corpore cui caput est, aut pro corpore quatenus habet caput, sic non minùs est relatum secundum esse quam pater, aut Totum. Quod autem Arist. dicit posse definitè sciri manum aut caput, etsi non cognoscatur definitè, cuius manus sit aut caput, respondeo id *exempli gratia & illustrationis dictum esse, non quòd ad amussim verum sit.* Nam sicut potes cognoscere definitè, certò et in particulari, aliquem esse dominum cum videas alios ei seruire, etsi non cognoscas nomen vel domini vel serui: ita planè potes cognoscere certò ac definitè hoc corpus esse capitatum aut hoc esse caput huius totius, licet non cognoscas de nomine, aut de facie, aut vultu, id cuius est caput. Sed vt nemo potest scire certò ac definitè hunc esse dominum nisi sciat hunc esse eius seruum; ita nemo certò ac definitè scire potest, vel hoc esse capitatum, nisi sciat in particulari hoc esse illius caput, et esse huic toti continuatum; vel hoc esse caput, nisi certò sciat, esse caput huius totius capitati, eique continuatum esse vt partem integralem suo toti.

Hæc de proprietatibus Relatorum dicta sint. Nunc eorum series explicanda. Et sanè cum infinitus sit Relationum numerus, adeò vt

multitudine, abſoluta accidentia longiſſimè ſuperent, poſſent ea multis modis diuidi, & in immensam ſeriem produci. Verùm nos exactam harum rerum tractationem aliis relinquentes, brevem ac qualemcunque tabellam Relatorum quaſi in exemplar ſubijciemus.



Atque hæc de Prædicamento Relationis dicta ſint.

CAP.

CAP. XIII.

De Qualitate.

SEquitur nunc quartum prædicamentum, nempe *Qualitas*; de hac tria explicanda sunt, vti in prioribus. Primo *quodnam* & *quidnam sit Qualitas ea quæ est summum Genus*. Secundo, quæ *illius proprietates*. Tertio quæ *eius species & series prædicamentalis*. Quod attinet ad primum, obseruanda est hæc distinctio.

Qualitatis acceptiones.

Qualitas vocatur quæ quocunque modo prædicatur in Quale, et est duplex,

- *Essentialis, quæ prædicatur in quale essentialiter, quæque est de essentia rei.* Sic rationale qualitas essentialis hominis vocari potest. Hoc sensu sumit Arist. qualitatis nomen 5. Metaph. cap. 14. vbi ait *differentiam substantiæ dici qualitatem*; quod idem ait Aquin. 1. 2. quæst. 49. art. 2. Et ratio huius aperta est, quia omnis *differentia in quale essentiale prædicatur*, vt ex Porph. diximus.
- *Accidentalis, quæ denominat subiectum sum Quale accidentaliter* & hoc dupliciter vel,
  - *Cum additamento, vt quale quantum, quale relatiũ, quale agens*, &c. Sic omnia alia octo prædicamenta accidentium dici possunt qualitates, quia illa omnia prædicantur in *quale accidentale*, sed semper cum aliquo additamento.
  - *Simpliciter, quod denominat subiectum quale & nihil aliud*, neque quantum, neque relatum, neque aliud alterius prædicamenti.

Quæ Qualitas sit summum Genus.

Hinc facile perspicere licet quodnam sit summum genus huius prædicamenti. Non *Qualitas essentialis*, nam ea substantiæ esse potest, & ea semper differentia est; at *nulla differentia est genus*, vt ait Arist. lib. 4 Top. cap. 2. nu. 5. Nec *qualitas quæ prædicatur in quale accidentale cum additamento*, hæc inquam non potest esse summum genus huius seriei: nam talis est semper in alio distincto prædicamento, in Quantitate, Relatione, Actione, vel alijs; quare in hoc prædicamento nulla talis qualitas reponi potest, multo minus potest esse summum genus huius seriei. Restat ergo, *qualitatem accidentalem quæ denominat subiectum suum quale simpliciter & sine additamento, esse verè summum genus huius prædicamenti*, omniumq; specierum in eo comprehensarũ.

Qualitas quid. Qualitas hæc ita describi potest: *Est accidens absolutum, ex quo subiectum denominatur quale sive vllo additamento quanto, relati, aut alterum.* Vt ex albedine dicitur quis albus, a doctrina doctus.

Proprietates Qualitatis. Accedamus nunc ad proprietates qualitatis: Earum tres ponit Arist.

Prima est hæc. *Qualitati aliquid est contrarium*, vt vitium & virtus, calor & frigus, humor & siccitas. Est autem hæc *communitas* verius, quam proprietas, nam nec soli, nec omni qualitati convenit: non enim vlli potentiæ naturali, nec vlli figuræ, nec fortitudini aut temperantiæ, viriditati, rubedini aut vlli medio colori. Nihil verò tam propriè contrariari dicitur quam qualitas, & præcipuæ quatuor illæ *primæ qualitates*, (vt vocantur) calor, frigus, humiditas, siccitas; hæ enim primariò activæ sunt ac passivæ, ideò præcipuè pugnant inter se & contrariantur.

Dub. Sed quomodo dicit Arist. hoc cap. num. 25. & ca. 11. nu. 6. *Iustitiam & iniustitiam esse contraria, aut virtutem ac vitium?* Nam contraria debent maximè inter se distare: iam virtus omnis moralis, ideoque iustitia, medium est inter duo extrema vitia. Certum est autem, extremum ab extremo magis distare, quàm a medio, vt timiditas plus distat ab audacia, quam fortitudo.

Sol. Respondeo, virtutem & vitium si sumantur in genere sub ratione *boni & mali moralis*, sic maximè a se distant, Nihil enim a bono potest plus distare quàm malum, & contra. Sed si sumantur *in specie*, vt vitia sunt extrema, & virtus medium inter illa, sic non sunt contraria, nec maximè distant. Iam cum diximus esse contraria, sumpsimus ea in genere non in specie, & Arist. per iustitiam intellegit virtutem moralem in genere, per iniustitiam vitium morale in genere, & sic accepta contrariantur sicut virtus & vitium: in specie verò si capiantur, sic extrema iustitiæ, plus distant inter se, quam iustitia ab alterutra.

Secunda est hæc. *Qualitas suscipit magis & minus*, vt vnus alio doctior, prudentior, melior, fortior, calidior, frigidior. Et hæc etiam *communitas* solum est, non proprietas. Nam nec soli qualitati convenit, sed relatis, & Actionibus; nec omni, nam nulli naturali potentiæ, nulli figuræ.

Dub. Cæterùm hic difficultas non levis occurrit. Nam Arist. probat hoc ca. nu. 30 figuram non suscipere magis & minus, *quia cuicunque figura definitio convenit, eidem æqualiter convenit: quibus autem definitio figuræ non convenit, illa non possunt dici magis aut minus figurata, quia non sunt omnino figurata.* Iam si hæc Aristotelis ratio valida sit, profectò nihil omninò, nec vlla qualitas suscipiet magis & minus. Nam si coloris definitio (capiatur id pro exemplo) aliquibus convenit, æqualiter sine dubio convenit vtrique, cum *nullius rei essentia intendatur aut remittatur*, vt vulgo asserunt, & ex Porph. colligitur aperte eam de genere, ca. 11. nu. 3. quàm de differentia ca. 15. nu. 4. Quæcunque ergo

ergo calorem habent, ea æqualiter non ſecundum magis & minus definitionem caloris habent. Quæcunque verò non habent definitionem caloris, ea non poſſunt dici magis minuſve calida, cum omninò calida non ſint. Calor itaque eâdem planè ratione probatur non ſuſcipere magis & minus, quo figuram non ſuſcipere probavit Ariſt. Idemque de omnibus aliis rebus pari modo dici poſſet. Quare nihil omnino ſuſcipiet magis & minus.

Reſpondeo, neque figuram, neque calorem, neque quidquam ſuſ- Sol.
cipere magis aut minus per intentionem eſſentiæ, aut definitionis, in vno magis quam in alio. Sed omnis ſuſceptio magis & minus *eſt per gradus individuales ſuperadditos eſſentiæ*: vt cum duo calida ſunt, eſſentia caloris eſt æqualiter in vtroque, nam intendi non poteſt. Sed tamen in vno calor poteſt eſſe in quarto, in altero ſolum in primo gradu: illud autem ſubiectum calidius verè dicitur & calor in eo intendi, in quo ſunt plures gradus, aut graduales partes (vt nonnulli vocant.) Iam quod ad Ariſt. rationem attinet: is ſumit vt conceſſum, (quod ſanè verum eſt) in figura nullos eſſe gradus intentionis, nam cum figuræ omnes ſint in Quantitate, & quantitas tales gradus reſpuat, certè figura eos habere non poteſt. Extenſionis quidem gradus & quantitas & figura habet: intenſionis verò neutrum eorum.

Hoc ergo ſuppoſito, quod per gradus intenſionis figura non ſuſcipiat magis aut minus, Ariſt. probat quod non omninò ſuſcipit, quia eius eſſentia non intenditur aut remittitur. Tota verò Ariſt. ratio & argumentatio ſi exprimeretur, ita ſe habet. Si figura ſuſcipiat magis aut minus, illud fit vel quia eius eſſentia intenditur magis in vna figura quam in alia, vel quia ſunt plures gradus intenſionis in vno figurato quam in alio; At hoc poſterius ne fingi quidem poteſt, & vt perſpicuum accipio: per eſſentiam autem impoſſibile eſt vt intendatur; nullo igitur modo ſuſcipit magis & minus. Hæc autem ratio in calore & frigore, aliiſque qualitatibus, æquè valida eſſet ad probandum eas non ſuſcipere magis aut minus, ſi de illis verè dici ac concedi poſſet, ſicut de figura, quod in ſuis ſubiectis non habent gradus accidentales eſſentiæ ſuperadditos,

Hoc verò neque de calore, neque de frigore, neque de vllo accidente quod ſuſcipit magis & minus dici, poteſt.

Tertia proprietas eſt *quòd ſecundum qualitates res dicuntur ſimiles aut diſſimiles.* Et hoc quidem ex ipſa qualitatis eſſentia emanat, eique quarto modo proprium eſt. Sed hoc ita explicandum eſt vt de æqualitate & inæqualitate dictum eſt in cap. de quantitate. Nam *formaliter* quidem ex ſimilitudine (quæ eſt relatio non qualitas) res di- Dub.
cuntur ſimiles, & ex diſſimilitudine diſſimiles, ſed *cauſaliter* ex qualitate ſola res dicuntur ſimiles ac diſſimiles, cum qualitas ſola ſit fun- Sol.
damentum vnde ſimilitudo omnis oriatur.

Quod ſi quis dicat hominem & brutum in hoc ſimilia eſſe, quod

vtrum-

virumque sit animal: aut virumque quantum, aut virumque viuens? Similitudo ista *proprie* non est, nec similia in animali aut viuente, sed eadem genere dicenda sunt, & per quantitates æquales aut inæquales appellanda sunt. Hic autem Arist. de similitudine ac dissimilitudine *proprie* ac stricte loquitur, quæ definitur esse *conuenientia duorum in vna qualitate, aut rerum diuersarum eadem qualitas*: & dissimilitudo est *rerum diuersarum diuersa qualitas*.

Hæc de proprietatibus qualitatis dicta sint. Supereſt nunc series, in qua explicanda multò maior difficultas est. Occurrunt enim res non solum propter multitudinem immensæ, sed propter spinosas quæstiones valdè obscuræ; aggrediamur tamen, & si possimus, lucem eis afferamus.

Quatuor species Qualitatis.

Aristoteles ponit 4. species Qualitatis: illa sunt *Habitus & dispositio, Naturalis potentia & impotentia, passio & passibilis qualitas, forma & figura*. Quæ diuisio omninò amplectenda est. Neque vllo modo audiendus est, vel Timpl. qui lib. 5. Metap. ca 3. q 4. *vetulla hac Arist. diuisus, aliam approbat traditque, quam esse meliorem & perfectiorem ratus*: vel Picol. qui lib. 2. de princ. virt. ca. 8. duas primas species, *Habitum* nempe, & *naturalem potentiam*, è qualitatum numero ac serie expungit. Facile esset illorum rationculas refellere, si esset operæ pretium: verùm novitate ista repudiata, nefas ducimus, ab hac antiqua ac trita semita philosophorum recedere, ideo Arist. vestigijs insistentes, diuisionem ipsius paululum explanemus. Possunt autem hæ 4. species ita ad bimembrem diuisionem revocari, ex qua quomodo vnaquæque ab alia differt intelligi potest.

Quomodo 4. species qualitatis inter se distinguantur.



Hinc facile distinguas vnamquamque speciem Qualitatis ab alijs. Illud

Illud verò de omnibus observandum, quod etsi singulæ species duobus nominibus insigniantur, vt. per *habitum & dispositionem*, à per *potentiam naturalem ac impotentiam*, & ita in reliquis: tamen per illas, non duæ, sed vna tantum species semper notatur, & sunt *complexa voce tantum, non re*, sicut *Corpus animatum*, & *Quantitas continua*, & similia quàm multa. Quod ex singularum tractatione ac considerationè quam nunc attexemus, liquebit. Eas verò ordine percurremus, incipientes cum Arist. ab *Habitu & dispositione*. De hac verò specie tria explicanda sunt: Primo, *quid per nomen habitus, itemque dispositionis, hic intelligatur*. Secundo, *quomodo inter se differant habitus & dispositio, & quomodo definiantur*. Tertio, *quæ sit habituum series, aut quæ qualitates sub hac prima specie comprehendantur*.

Habitus sumitur tripliciter:
- Primo, *pro accidente quovis positivo, cui privatio opponitur*, Sic vita, visus, auditus, *habitus* sunt, quorum *privationes* sunt, mors, cæcitas, surditas.
- Secundo, *pro accidente illo quo quis habituari aut vestiri dicitur*. Estque decimum prædicamentum, quod dicitur *Habitus*. — *Acceptiones Habitus.*
- Tertio, *pro qualitate insensibili, & illata extrinsecus, non innata subiecto, qua firmiter suo subiecto inhæret*, vt scientia, virtus, vitium.

Habitus *vt primo modo accipitur*, non est vnum aliquod genus entis, ideoque non in prædicamento, sed postprædicamentis tractatur, nec potest esse prima hæc species, quia visus & omnes sensus sunt habitus in eo sensu, & tamen sunt in secunda non in prima specie Qualitatis. Habitus vt *sumitur secundo modo* est summum Genus, non igitur vllius generis, nedum qualitatis species. *In tertia igitur acceptione*, Habitus hic sumitur, et pro specie qualitatis censenda est.

Dicitur autem *Habitus*, *quia eum in quo inest, reddit habilem & aptum ad perficiendum ea opera atque actiones, quæ illo habitu præstari solent*. — *Habitus quare dicatur.* Vt ex Grammaticâ, habilis quis fit ad loquendum congruè, ex Logicâ ad arguendum rectè, quare *habitus* idem est quod *habilitas*.

Dispositionis acceptiones.

Dispositio sumitur tripliciter.

Generaliter, pro omni qualitate insensibili & illata extrinsecus, per quam subiectum disponitur ad agendum aliquid quomodocunque, sive facile, sive difficulter, sive constanter, sive inconstanter, sive sit facile mobilis a subiecto, sive difficulter; atque hoc sensu omnis habitus dispositio dici potest: & sic vocatur ab Arist. hoc cap. num. 6. quia ex habitu disponitur homo ad agendum aliquid facile, & cum constantia.

Specialiter pro illa solum qualitate insensibili, & illata, non innata, qua subiectum disponitur quidem ad agendum aliquid leviter, cum difficultate, & inconstantia, adeo vt facile amitti ac deperdi possit illa dispositio. Sic cum quis leviter tinctus est literis, Grammatica aut alia arte, dicitur dispositionem habere ad agendum ea quæ arte illa docentur, nondum autem habere habitum; & hoc sensu nullus *habitus, dispositio* dici potest.

Dispositio in genere quid.

Dispositio specialiter accepta quid.

Si nomen Dispositionis capiatur *in primo sensu*, est idem omninò quod qualitas primæ speciei: definiturque *esse qualitas insensibilis, non innata, sed illata extrinsecus, per quam subiectum eius inest, disponitur aut habile fit ad aliquid agendum: & complectitur* sub se tam *habitum* quam *dispositionem specialiter acceptam.* Si dispositio *sumatur in secundo sensu*, tum differt ab habitu, quia habitus constantius, ac firmius inhæret, dispositio levius: Ex habitu redditur quis aptus ad aliquid facile agendum; Ex dispositione aptus est solum cum difficultate facere. Quare dispositio sic accepta ita describitur, *Est qualitas insensibilis, non innata, sed illata extrinsecus, per quam subiectum disponitur leviter, ad aliquid agendum, & cum difficultate, quaque facile removetur a subiecto.* Habitus autem ita describitur, *Est qualitas insensibilis, non innata, sed illata extrinsecus, per quam subiectum redditur aptum ac habile ad aliquid agendum, idque cum facilitate, quaque difficulter amitti ac deperdi potest.*

Dub.

At Arist. 7. Phys. ca. 3. ait *Habitus, virtutes ac vitia, esse relata*, non igitur qualitates sunt, nec in hoc, sed relatorum prædicamento locandi.

Sol.

Relata vocat, & sunt quidem, sed *relata secundum dici*, quæ ex natura sua absoluta sunt; *non secundum esse* quæ sol: in illo prædicamento Relationis ponuntur. Neque vllo modo est audiendus Zabar. lib. de Spec. intell. cap 8. vbi ait, *Habitum & notare naturam absolutam, & simul essentialiter respectum continere.* Nam contradictionem planè implicat, vt vnum idemque sit, secundum essentiam absolutam, & secundum essentiam relativum. Quod si detur, certè esset in duobus distinctis prædicamentis; & duas distinctas essentias haberet. Quæ vtraque absurda sunt & adversantur Arist. tum in secunda regula Antepræ-

tepræ dicamentali, tum in 6. Top. ca. 4. nu. 2.

Arist. ca. de qualitate num. 4. ponit *colorem & frigus in hac prima* *Dub.*
specie, at illa sunt qualitates sensibiles; male ergo dispositio & habitus definiuntur esse qualitates insensibiles.

Sæpe dixi, Arist. hæc tractare pingui minerva, ideoque in illius ex- *Sol.*
emplis *veritatem non semper quærendam esse sed illustrationem.* Et quidem, vt color & frigus facile removentur; ita dispositiones: verè tamen calor & frigus, nec *habitus* nec *dispositiones* sunt, neque in prima sed in tertia specie collocanda. Nam quod ait Zabar. loco nuper citato, *habitum posse in duabus speciebus Qualitatis locari, nempe in prima & secunda*, id tam alienum est a ratione, & Arist. quam quod ibidem dixit, *idem esse natura sua & respectivum & absolutum.*

Sed quare non additur in definitione habitus, quod ex *multis actio-* *Dub.*
nibus generetur, præcipue cum id vulgò in habituum definitione ponatur; et Arist. lib. 2. Eth. ca. 1. *habitum omnem ex similibus actionibus* *sæpe frequentatis generari dicat.*

Responsio facilis est. Habitus aliqui *infusi sunt divinitus* in mentes *Sol.*
hominum, & nullis nostris actionibus, aut labore comparati; tales erant habitus omnes virtutum, & scientiarum quibus Adamus cum primum creabatur ornatissimus fuit atque instructissimus: tales etiam illi habitus scientiarum quibus Apostoli divinitus inspirati fuerunt; tales sunt illi a scholasticis *Infusi habitus* dicti, *Fides, Spes*, & *Charitas.* Cum ergo tam multi habitus sint, qui non ex actionibus frequentatis generantur, sed sine vllo labore aut operatione nostra infunduntur, non debuit habitus, qui vtrosque complectitur, sic definiri, quod ex crebris actionibus oriatur, tum enim ex habituum numero excluderentur omnes habitus *infusi.* Alij habitus *Acquisiti* sunt, & de his Arist. solum loquitur loco citato, & illis quidem id convenit, *quod generentur ex frequentatione similium operationum.* Habitus autem vtrisque his, tam *infusis* quam *acquisitis* communis, per ea solum definitur, quæ vtrisque conueniunt, & ea sunt, quæ in definitione supra posita afferuntur.

At ne in *Acquisitis habitibus* id verũ videtur, quod ex frequentibus *Dub.*
actionibus generentur. Nam scientia, quæ est habitus acquisitus, vnica demonstratione comparatur, & ex vna actione adulterii, aut homicidii, vere quis adulter, & homicida denominatur, quæ sunt nomina habitum notantia.

Dicendum est, non requiri ad habitum acquisitum vt generetur ex *Sol.*
actionibus *similibus omnino in specie* cum illis qui ex habitu prodeunt: Satis est si actiones *similes in genere præcedant*, modò illæ sint præviæ dispositiones ad habitum, & actus qui ex habitu fiunt. Sic ante vllam demonstrationem quam quis formare potest, oportet multiplicem rerum, & logicæ præsertim cognitionem præcedere, quæ præparet animum ad intelligendum vim & efficaciam illius demonstrationis, per quam scientiam acquirit. Ita de Intemperantia sentiendum. Ante

tam fædum facinus etsi vnicum sit, præcesserunt in animo multæ prauæ & prauæ cogitationes, voluntates, libidines, quibus ad tam immane facinus accendebatur animus & præparabatur. Simile de homicidio dicendum est.

Ex his facile perspicere licet discrimen inter *Habitum*, & *Dispositionem specialiter acceptam*. Differunt *enim non natura & essentia*, (nam tunc non essent vna, sed duæ distinctæ species) Sed *intensione & remissione*, quia habitus firmius intensiusque inhæret subiecto, dispositio levius ac infirmius; & ex habitu facilius, alacrius, & constantius, operamur, ex dispositione difficilius, sæpe cum mœstitia, & inconstantia. Ex habitu perfectionem, ex dispositione inchoamentum operandi habemus. Differunt ergo, vt *puer & vir robustus*, vel vt pannus cum perfectum purpuræ colorem imbiberit, et cum leuiter ac præparatorijs solum coloribus tinctus sit; nam dispositio dat veluti leuem tincturam homini: Habitus stabili ac constanti aut virtutis, aut vitij colore imbuit.

Dub. Dices si sint essentia eadem, tum quicunque dispositionem habet, etiam habitum, ipsum habere necesse est: habet enim essentiam & naturam habitus, cui autem essentia convenit, eidem & nomen & res ipsa tribuenda est. Quare Sciolus omnis Sciens: et Sophista quiuis peritus Logicus vocandus est.

Sol: Respondeo, nihil horum sequi, quod ex pari liquet: Puer essentia convenit, cum sene, et robusto viro, nec tamen puer vagiens in cuius, robustus vir aut senex appellari debet; Ratio est quia nomen pueri, ac Senis, præter illam essentiam hominis in qua ambo conueniunt, superaddit accidens ætatis, in quo discrepant. Idem hic dicendum. Dispositio convenit cum habitu in essentia quæ vtrisque communis est, et in communi nomine notante illam essentiam, vtrumque enim est *qualitas insensibilis illata*: Sed huic essentiæ, habitus superaddit hoc accidens, quod illa qualitas sit *robusta & firmiter radicata in subiecto*: dispositio item hoc addit, quod sit *imbecillis & debiliter inhæreat*. Quare cum non possint magis conuenire in hoc nomine habitus quod essentiam non nudam, sed cum hoc accidente notat, quàm conuenit puer cum sene in nomine senis; liquet non magis Sciolum illum, aut Sophistam, Scientem dici posse aut Logicum, quam puer vagiens, vir Sapiens aut robustus appellari potest.

Series Habitum. Supereſt nunc quod tertio loco proposui de habitu, vt illius *seriem, & species* intexam. Tanta est enim copia rerum in quauis illarum quatuor specierum comprehensarum, vt ad distinctas classes merito reuocandæ sint. Exactam autem habituum seriem, a me nemo expectet, eam ab alijs petant iuniores, aut ipsi (nam vtilissimum est in hanc partem nervos ingenij sui intendere) inuestigent. Hanc autem qualiscunque sit a nobis in bonam accipiant partem. *Habitus* primo

Habitus corporis. dividitur in *habitum corporis*, et *animi*: *Habitus corporis est habitus qui ad corporis actiones præstandas, vel adiuuat* vt sanitas, *vel impedit* vt ægritudo:

ægritudo: ac illa quidem ex iusta et debita, hæc ex indebita ac depraua humorum corporis temperie velut ex dispositione oritur. Alexander quidem omninò negauit vllos esse corporis habitus, et hæc duo sanitatem ac ægritudinẽ vt exempla solum, hic ponit, illustrandi causa, quoniam vt hæ, ita habitus et dispositiones vel facile vel difficulter amittuntur: Sed Aquin. 1. 2. quæst. 50. art. 1. cum refutat tum ex hoc capite, tum ex 7. Phys. cap. 3. vbi *inter habitus, sanitatem recenset*, et esse aliquos corporis habitus confirmat. Idem iterum docet. Aquin. 1.2. quæst. 49 art. 3. vbi etiam probat ex Arist. lib. 10. de historia Anim. cap. 1. *Sanum esse quod potest facere operationem sani, ideoque sanitatem esse habitum, quo ad id agendum aliquis fit aptus & habilis.*

Habitus animi est habitus, qui ex anima eiusque facultatibus oritur, & subiectum cui inest, ad aliquod animi opus præstandum habilitat. Talis habitus est duplex. Nam aliquando est *sine ratione, eiusque vsu*, & tales habitus possunt esse, et sunt in brutis, et infantibus. Quàm multa edocentur canes? sues? equi? Simiæ? Elephantes etiam literas conscribere edocti sunt, et funambulis incedere. Itidem infantes dextras non sinistras accommodare ad actiones, pænè in cunis, cum nullum habent vsum rationis edocentur. Hæc autem, tam bruta, quam infantes, ex habitu facere quis cubuit, cum ex frequenti repetitione harum actionum discant et assuescant hæc præstare? Nam quod Aquin. 1. 2. quæst. 50. art. 3. negat *in brutis esse vllos habitus proprie; quia non habent rationem, nec voluntatem, ideoque non dominium vtendi illis habitibus cum volunt*: non est ei in hoc assentiendum, quippe satis est ad habitum generandum phantasia et Memoria, etiam absque ratione: nec ratio aut voluntas ad omnem habitum requiruntur, vel ipso iudice; (Quia non ad sanitatem et ægritudinem) sed solum ad habitus ex voluntate et ratione prouenientes. Aliquando verò et sæpissimè *habitus est cum ratione eiusque vsu coniunctus*; Et hi sunt *illi omnes qui ex consuetudinibus, & eorum frequentatione oriuntur, qui ex imperio rationis perficiuntur.* At habitus prioris generis, distinctionis causa, vocare licebit *irrationales*, hos posteriores *rationales*.

Habitus rationalis seu cum ratione coniunctus, duplex est; nam vel *perficit subiectum cui inest*, vel *depranat*. Si *perficiat, & habile ac aptum faciat ad opus rectè agendum, tum vocatur virtus*, Si verò *depranet subiectum & faciat aptum ad aliquid quod ex ratione prouenit, male agendum, tum vocatur vitium*. Atque in horum duorum habituum animi explicatione, tota reliqua series, omnisque labor noster impendendus est. Id vnum hic moneo, non esse necesse, vt de vitijs multa dicantur, cum illa ex oppositis virtutibus facilius intelligantur.

Virtus omnis, est vel *acquisita*, vel *infusa*; *acquisita vel potius acquisibilis, est quæ studio, labore ac industria humana acquiri potest, etsi nonnunquam a Deo immediatè nonnullis infundatur, quæque ordinat hominem ad illud bonum, quod naturaliter scire, & acquiri potest*: Eius generis

Habitus animi.

Habitus sine rationc.

Habitus cum ratione.

Virtus Quid.

Vitium Quid.

Virtus acquisita Quid.

sunt virtutes illæ omnes quæ in homine, fide ac pietate destituto, inesse possunt. Hæc virtus duplex est *Intellectualis* et *Moralis*.

Virtus Intellectualis quid.

Intellectualis virtus, est virtus acquisita, qua intellectum in suis operibus dirigit, aptumque reddit ad opus rectè perficiendum, quæque facit eum cui inest, virum peritum, sed non probum ac bonum. Potest enim quis virtutes omnes intellectuales, artes omnes, omnes scientias ipsamq; adeò prudentiam habere, et tamen vir malus esse, quis possit illis omnibus virtutibus ad nequitiam & improbitatem abuti, aut non facere ea quæ virtutes illæ, maximèque prudentia, agenda monent ac docent. Intellectualis virtus triplex est. Nam vel versatur in *rebus faciendis* & tum dicitur *Ars*; vel in *agendis*, & tum dicitur *Prudentia*; vel in *cognoscendis*, et tum dici potest *cognitio intellectualis veri*.

Ars quid.

Ars est virtus intellectualis, qua dirigit mentem in faciendo aliquo opere externo, sive aliquid permanet post actionem artificis, vt domus, vestis; *sive nihil permaneat*, vt in arte saltandi, canendi, pulsandi Cytharam, *quæque ad alias scientias imbibendas non instruunt, neque vt instrumenta ijs inseruiunt.* Quam vltimam particulam idcirco addi opotet, quia quædam disciplinæ in effectione quidem aliquorum ponuntur, vt *Grammatica* in efficiendo sermone congruo, *Logica* in efficiendis syllogismis: Sed hæc ipsa efficiuntur, vt instruant nos ad alias scientias, & vt tanquam instrumenta ad eas discendas, aut docendas, inseruiant. Quare artes propriè appellandæ non sunt, cum artium finis non est aptare mentem ad alias scientias, sed ad opus solum illius artis perficiendum: Sicut qui artem callet canendi, saltandi, aut ædificia, vestesque efficiendi, non his aptatur aut instruitur ad intelligendam philosophiam, aut Mathematicas disciplinas: Sed finis istarum artium, est rectè aptèque illa opera artis perficere. Quæ autem sit differentia inter *facere* & *agere*, nempe quòd facere est opus externum aut corporeum producere, *agere* verò, moralem actionem respicit, & virtutem aut vitium, docet. Arist. lib. 6. Eth. cap. 4. et Zabar. lib. 1. de natura Logicæ. cap. 2.

Artis species.

Artis quam plurimæ sunt species, aliæ sunt *ad vitam* omninò necessariæ: vt *Agricultura*, *ars Pastoritia*, *molinaria*, *coquinaria*, & similes. *Alia ad vinctudum commodè conducunt*, & harum aliæ sunt *præstantiores* ac ingenuo homine dignæ, vt *Mercatura*, qua merces vel importantur, vel exportantur; *Architectura*, *Typographia*, artes *scribendi*, *canendi*, *pingendi*, *saltandi*, et similes aliæ *minus præstantes*, vt artes *fabrorum ferrariorum*, *lignariorum*, *lapicidarum*, *textorum*, *fullonum*, *vestiariorum*, *sutorum*, & similes.

Vitium Arti oppositum.

Singulis artibus singula *vitia intellectualia* opponuntur: Vitium autem illud non est simplex ignorantia alicuius artis, nam nescire artem aliquam vitium non est, nisi quis artem scire & potuerat & debuerat. Deinde *vitium*, *habitus est*, at simplex ignorantia non est habitus sed negatio: Sed *vitium quod arti opponitur, est habitus malè & inartificialiter operandi aut efficiendi ea quæ ad aliquam artem pertinent.*

nem. Vt habitus malè scribendi, inartificialiter pingendi, ædificia extruendi, vestes conficiendi, & ita in reliquis. Nam sicut ex arte dicuntur boni, id est, artificiosi seu periti artifices (bonitas enim artificis qua est artifex, est peritia in illa arte quam profitetur) ita ex contrario habitu (liceat vocare inartificium) dicuntur mali, id est, inartificiosi vel imperiti artifices.

Prudentia est virtus intellectualis, quæ dirigit mentem rectè indicare quid sit in omni actione morali agendum, aut non agendum, ideòque recta ratio rerum agendarum dici potest & solet: Ex quo facilè perspicias discrimen inter prudentiam, & virtutem moralem, & cur prudentia non sit virtus moralis, licet tota versetur in rebus agendis. Nam prudentia tantum docet quid sit agendum, sed non inclinat nec flectit voluntatem eius cui inest, id ipsum agere. Virtus autem moralis non indicat quidem, nec scit quid sit agendum, (Nam hoc spectat ad mentem, & intellectum, non ad appetitum aut voluntatem) Sed inclinat & flectit appetitum ac voluntatem eius cui inest, obedire prudentiæ, & agere illud quod prudentia, seu recta ratio monet esse agendum. Quare prudentia est quasi præceptor, præcipiens omnia quæ sunt agenda: Virtus autem moralis est quasi discipulus, obtemperans illius præceptis. Atque hinc vlterius liquere facilè potest, cur ex virtute morali quis dicatur vir bonus, non item ex prudentia. Is enim tantummodò vir bonus appellandus est, qui agit ea quæ scit esse agenda; Atque hoc præstat omnis virtute morali præditus, quia virtus moralis inclinat & flectit semper illius voluntatem, vt ita agat. At multi sunt qui sciunt quid sit agendum, ideoque prudentes sunt, & tamen nolunt illud agere, ideoque mali ac improbi sunt. Multi, inquam, Atheniensibus illis persimiles sunt, quos meritò taxauit Lacedæmoniorum Legatus, vt est apud Cic. lib. de Senect. *Athenienses sciunt recte facere, sed nolunt.* Vitium intellectus, quod prudentiæ opponitur, est *Imprudentia.* Quæ est *habitus quo ratio ac iudicium mentis ita deprauatur, vt illi quibus inest, iudicent ea agenda esse, quæ recta ratio docet non esse agenda.* Tales vt opinor sunt illi omnes, qui vitiosi, aut habitu vitij moralis imbuti sunt. In illis enim propter assuetudinem malè agendi, non solum voluntas deprauatur, sed ipsa etiam ratio & iudicium mentis ita corruptum et occæcatum est, vt iudicent fædissimas quasque vitiorum actiones, et deterrima flagitia persequenda, omnique studio sectanda esse. Quare ex hoc habitu, qui vitio morali semper coniunctus est, *imprudentes* et *stolidi* meritò appellantur omnes mali et vitiosi.

Prudentia quid.

Vitium oppositum prudentiæ.

Tertia species virtutis intellectualis innominata est. Nos (quia nomen aptius non occurrebat) *cognitionem veri rectique nominauimus.* Est autem hæc *cognitio* (vt hic accipimus) *habitus mentis, per quem in omni disciplina quid sit verum cognoscimus, tam quoad principia quam quoad conclusiones.* Nam vt in rebus faciendis *ars*, et in agendis *prudentia*, sic in cognoscendis, hic *habitus cognitionis*, mentem dirigit.

Cognitio veri in disciplinis.

Quoniam autem omnia quæ in vlla disciplina considerantur, vel sunt principia in illa disciplina, vel conclusiones ex illis principiis collectæ; ideo hæc cognitio intellectualis duplex est, *Intellectus & Scientia.*

Dub. At Arist. 6. Eth. ca. 3. præter intellectum, & Scientiam recenset *Sapientiam*, vt habitum intellectualem. Et ex eo, omnes Philosophi sequentes, ponunt quinque species virtutis intellectualis; *Artem, Prudentiam, Intellectum, Scientiam & Sapientiam*, & has quinque Arist. ibidem recenset.

Sol. Respondeo, Sapientiam non poni ab Arist. vt habitum re distinctum ab intellectu, & scientia, sed vt quiddam ex vtrisque aggregatum, imò ex vniuersali concursu vtriusque. Nam cum habitum *Intellectus* verè quis habere dicatur, etiamsi non nisi præmissas seu principia *vnius* solum demonstrativæ conclusionis cognoscat; & habitum *Scientiæ*, etiamsi vnicam tantum conclusionem demonstrativam cognoscat; Sapientia tam est augustum & magnificum nomen, vt eam nemo habere dicatur, nisi idem habeat cognitionem omnium principiorum in omnibus disciplinis, & omnium conclusionum, quæ ex illis deducuntur ac dependent. Vnde Sapientia a Cicerone definitur, *rerum diuinarum simul & humanarum scientia.* Hoc vt Arist. significaret, lib. eodem 6. Ethic. ca. 7. dicit *Sapientiam esse intellectum & scientiam, aut scientiam caput habentem*; innuens *Sapientiam* non esse vnum simplicem habitum, naturâ ac realiter distinctum ab illis, sed complexum quid, ex pleno vtriusque concursu constatum. Et id quidem ratio ipsa clarissimè demonstrat. Quicquid enim in vlla disciplina cognosci potest, vel est *principium*, vel *conclusio*; iam principia omnia omnium disciplinarum, per *intellectum* cognoscuntur, & conclusiones omnes per habitum *Scientiæ*; nullum igitur est obiectum distinctum, quod per Sapientiam cognosci potest. Si verò distinctum obiectum non habeat, certè neque distinctus habitus censendus est. Quinque ergo vocantur habitus intellectuales ab Arist. quia totidem sunt quomodocunque distincti, nempe ratione quadam, & respectu, Sed non sunt quinque realiter ac essentialiter inter se distincti. Omisso igitur illo habitu *Sapientiæ*, qui ex duorum aliorum cognitione plenè intelligetur, duos illos habitus quos constat re ac naturâ differre, *Intellectum* dico ac *Scientiam*, prosequamur.

Sapientia non est distincta species virtutis Intellectualis.

Intellectus quid. *Intellectus, est habitus intellectualis, per quem cognoscuntur principia quæuis in vlla disciplina.* Principia voco, tum *definitiones* omnes, tum *præmissas* ex quibus doctrinales conclusiones colliguntur. Quare quod in *Metaphysica* cognoscis *Ens* esse id quod existit, *Substantiam* esse Ens quod subsistat accidentibus, ab intellectu est. Quod in *Physica* cognoscis *corpus* constare ex materia prima & forma; *hominem* esse rationalem: Quod in *Mathematica*, *lineam* continuari per punctum; *Numerum* ex vnitatibus constare: Quod in Ethica, *virtutem moralem* esse habitum qui inclinat voluntatem eligere et agere quod recta ra-

tio

tio monet: Quod in *Logica*, *Genus* prædicari de ſpeciebus in quid; *propoſitionem* eſſe orationem indicatiuam; Quod in *Grammatica*, *Syllabam* conſtare ex literis, vna pluribuſque, & ſemper ex vnica vocali: *nomen* ſignificare ſine vlla temporis aut perſonæ differentia: Quod (inquam) hæc aliáve his ſimilia cognoſcis, eſt ab hoc habitu *Intellectus*; & hoc ſolo habitu, hæc aliaque omnia principia, definitiones, ac præmiſſæ doctrinales cognoſcuntur.

Quæres, cur hic habitus quo principia cognoſcuntur, *Intellectus* vo- *Dub.*
cetur, cum cognitio concluſionum non minus ſit intellectiua (& ope intellectus non ſenſus) quam cognitio ipſorum Principiorum.

Reſpondeo, de vtroque vere dici poſſe, quòd cognoſcatur intelle- *Sol.*
ctu, prout intellectus opponitur ſenſui: Nam neutrum eorum ſenſitiuâ, vtrumque intellectiuâ cognitione percipitur: Sed hoc loco, *Intellectus*, non opponitur ſenſui, ſed *Scientiæ*; nec Senſitiuæ cognitioni, ſed ſcientificæ. Quare autem ea cognitio quâ principia, non concluſiones cognoſcuntur, vocetur intellectus, tres (vt arbitror) rationes rectè aſſignari poſſunt. Primo ſic vocatur, quia *id quod in vlla diſciplina primo intelligitur ab vllo diſcente, ſunt ipſa principia*: Nam ea præcognoſci neceſſe eſt, antequam quidquam aliud intelligere potes in illa diſciplina: Nunquam in Phyſica cognoſcas hominem eſſe riſibilem, niſi prius cognoſcas hominem eſſe rationalem, & rationale eſſe fontem vnde riſibilitas fluit. Nunquam in *Logica* cognoſcas Animal eſſe Genus, niſi prius cognoſcas, quid Genus ſit, & generis definitioneve animali conuenire: quia igitur principia primò intelliguntur, ideò *Intellectus* nomen tribuitur illi habitui, quo illa intelliguntur. Secundo ſic vocatur iſte habitus, *propter certitudinem intelligendi*, quæ maior eſt quam in cognitione concluſionis. Vt Ariſt. veriſſimè docet lib. 1. Demonſt. cap. 2. et probat etiam, quia *quicquid facit tale, illud eſt magis tale*. Quoniam igitur de concluſione non alia ratione certi ſumus, quam quia de præmiſſis ſeu principijs certi ſumus, neceſſe eſt, nos magis eſſe certos de veritate principiorum; quia hæc faciunt nos eſſe certos de veritate concluſionis. Quoniam igitur principia certius intelliguntur, ideò habitus quo illa cognoſcuntur, *Intellectus* vocatur. Tertio, Sic dicitur iſte habitus, quia *Principia intelliguntur tantummodo, non probantur*, non inquam a *notiori*, non a *priori*, non vt *concluſiones* probantur. Inductione quidem explanantur, & ſic manifeſtatur eorum veritas; quia cum videamus hunc, illum, & cæteros homines eſſe rationales, non poſſumus dubitare de vniuerſali hac propoſitione quin vera ſit, Omnis homo eſt rationalis. Sed cur vel hic, vel ille, vel omnis homo ſit rationalis, aut cur rationale homini inſit, nihil omninò quod notius eſt hoc ipſo, afferri poteſt, vt probetur; Quare cum intelliguntur ſolum principia, non probantur vt concluſiones, ideò habitus quo ipſa cognoſcuntur meritò *Intellectus* vocatur. Vides nunc rationem, cur hic principiorum habitus dicatur *Intellectus*, tum propter *primitatem*, tum propter *certitudinem*,

tum propter *solitudinem intelligendi*, quia & prius & certius intelliguntur quam conclusiones, & totum intelliguntur, non probantur vt conclusiones.

Dub. Quæres adhuc, vnde habeatur aut proueniat hic Intellectus principiorum, an naturâ nobis insit, an a doctrina.

Sol. Respondeo, habitum hunc esse acquisitum (nam de acquisitis solum nunc agimus) ideòque natura nulli inest. Omnia enim principia, aliqua inductione fiunt manifesta, & cognoscuntur; sed illa inductio aliquando fit a nobis ipsis, aliquando a Magistris illarum disciplinarum quas discimus. Quæ differentia oritur ab illo discrimine quod est in ipsis principijs. Sunt enim quædam tam facilia, tam clara & perspicua, vt nobis pueris, nihil tale cogitantibus, per inductionem cognita sint. Quis enim te primo docuit, *Omne totum esse maius sua parte?* aut illud, *Ens esse quicquid existit*, aut illud, *De omni ente verum est, vel affirmare quod sit hoc, vel negare.* Equidem in ipsa infantia, ex inductione quotidiana, ista nobis intellecta sunt, & cum lacte nutricis sensim suximus eorum intellectum. Hæc autem quia tam clara sunt & sua luce luceant, & per se sine Magistro fidem mereantur, ideo *Axiomata*, & *dignitates* vocantur. Alia verò sunt, & longè maxima pars principiorum, quorum intellectum deriuat animus a magistris: Tale est in Metaphysica, Substantiam *esse Ens quod subsistat accidentibus*, In Mathematica, *Punctum esse indiuisibile & continuare partes lineæ*: in Logica, *Propositionem esse orationem indicatiuam*: In Grammatica, *in omni syllaba esse vnam vocalem & non plures*: et eiusmodi omnium, cum primum disciplinas istas discere incepimus, præceptores nobis instillant, & postulant a nobis, imò verò, pro imperio & authoritate sua iubent, vt accipiamus pro veris: Paululum verò nobis progressis, inductiones adhibent, quibus veritatem horum principiorum manifestant, & quam primum earum veritas per inductionem nobis patefacta est, ita vt confidenter eis assentiamur, tum verè *intelligere* illa dicimur, & eorũ principiorum *intellectum* habere. Libuit ista (licet nimis breuiter) de hoc *Intellectus* habitu, hoc loco annotare; partim quia et obscurius videbatur, & a perpaucis tractatum, partim quia multò maximus est vsus huius habitus, cum ab eo, scientiæ omnes, & omnes quas in vlla disciplina scimus conclusiones, dependent.

Vitium intellectus oppositum. Vitium *Intellectui* oppositum est *habitus malè cognoscendi principia, per quem falsis aut incertis principijs ita firmiter quis adhæret, vt ab illis dimoueri nequeat.* Tale est, si quis hoc pro principio statuat, Quicquid Imperator Romanus aut pontifex docet, pro indubitato tenendum est. Et hoc vitium est planè pestis omnium disciplinarum. Nam qui semel falso principio adhæserit, quamdiu illud tenet, non modo errabit in conclusionibus inde deductis, sed & aditum omnem sibimetipsi obstruit, nec vnquam veritatem amplecti possit. Quare summopere ac præcipuè elaborandum est omnibus quarumcunque disciplinarum magistris, vt vera, sana, ac solida *principia*, velut *fundamen-*

ta doctrinæ superstruendæ, suis auditoribus instillent; Quod efficient si sanum, verum, & rectum *Intellectum* definitionum quæ in illis disciplinis habentur, tradant; hoc nisi faciant, (& a perpaucis fieri dolendum est) Scientiam certe nunquam, sed errores & ignorantiam pravæ dispositionis (vt vocatur,) id est, ipsum *habitum Ignorantiæ* in animis discipulorum generabunt.

Altera species *cognitionis intellectualis* versatur in notitia conclusionum, dicitur que *scientia*, quæ sic definiri potest. *Scientia, est habitus intellectualis, quo cognoscuntur conclusiones quarvis doctrinales in vlla disciplina.* Dixi *doctrinales*, quia probabiles conclusiones opinione, non scientia apprehenduntur, & opinionem solum gignunt, non scientiam. Dixi, *in quavis disciplina*, nam *Scientia* nomen hic latè ac largè accipio, vt sit *cognitio omnium doctrinalium conclusionum, sive de rebus necessarijs & æternis*, (quales solum in Metaphysica, Physica, & Mathematica inveniuntur,) *sive de rebus contingentibus*, (quales sunt omnes conclusiones, tam in disciplinis practicis vt in *Ethica*, quam in disciplinis instrumentalibus, vt in *Grammatica* & *Logica*. Nec miretur quis si nomen *Scientiæ* hisce etiam disciplinis quæ contingentia tractant, attribuamus; etsi Arist. lib. 1. demonst. cap. 2. & lib. 6. Eth. cap. 3. accommodet hoc Scientiæ nomen ijs solis, quæ res summè necessarias considerant. Nam etsi in rebus ipsis differentia magna sit, quia hæ necessariæ sunt, illæ contingentes: tamen in *modo cognoscendi* differentia non est; vterque enim scit, per optima, certissima ac præstantissima media aut principia, quæ in illis disciplinis sunt, aut esse possunt. Et vt is qui in rebus necessarijs, conclusionem vllam scit, ideo scire dicitur, quia cognoscit *id* per optima principia per quæ cognosci potest. Itidem cum ille qui in rebus contingentibus conclusionem aliquam tenet, per media & principia optima & certissima per quæ conclusio talis cognosci possit, ille inquam non immeritò conclusionem istam scire dicendus est. Quia etsi tam conclusio, quam principia, in sese contingentia sint, tamen inter ea, talis tamque necessaria connexio est, vt positis his principijs, conclusio ista necessariò sequatur, et si conclusio inferenda sit, ex his principijs nullisque alijs inferri debet. Exemplum vnum aut alterum addam. Ex se contingens est, tam vt quis habeat virtutem moralem, quam vt sit bonus; tamen inter virtutem moralem & bonitatem, tam necessaria connexio est, vt in Ethica non minus certò sciatur aliquem esse bonum, quia habet virtutem moralem, quàm scitur in Physica, hominem esse risibilem, quia est rationalis. Itidem contingens ex sese, & ex arbitrio humano pendens, vtrum id quod prædicatur de pluribus speciebus in quid, vocetur Genus, an species, aut quid aliquid. Sed hoc contingenti supposito, (vt in Logica supponitur) illud vocandum esse Genus, quod ita prædicatur, tam certò & necessariò in Logica sequitur, Animal esse genus quoniam ita prædicatur, quàm in Physica sequitur, animal esse sensibile, quia habet ani-

mam sensitiuam. Quare etsi hæ similesque omnes conclusiones, sint in sese contingentes, & ex principijs quæ in se contingentia sunt dependeant, tamen cum conclusiones istæ cognoscantur per optima et præstantissima media, per quæ cognosci possunt, perque ea quæ necessariam connexionem cum conclusione habent, profectò habitus quo conclusiones istiusmodi cognoscuntur, non iniuria *scientia* largo in sensu vocari potest. Atque hoc monendum necessariò videbatur, ne quis forte decipiatur hoc *Scientiæ* nomine, putans eodem sensu a nobis hic vsurpatum, quo est ab Aristotele, locis citatis; cum iuxta eius Sensum sola *Metaphysica, Physica, & Mathematica* Scientiæ sint, quia in istis solis, res summè necessariæ tractantur; iuxta nostram autem acceptionem, *Scientiæ* nomen etiam *Ethicæ, Grammatica, & Logicæ* tribui potest.

Vitium oppositum Scientiæ.

Vitium *Scientiæ* sic acceptæ oppositum, est *Ignorantia prauæ dispositionis.* Quæ non est simplex negatio, aut priuatio Scientiæ, sed *habitus mentis quo conclusioni falsæ tanquam veræ adhæret, quia principia falsa pro veris posuit*; vt si quis ideo negaret lunam posse Eclipsari, quia non vult credere inter solem & lunam posse terram interponi. Atque hoc omnibus Scientiæ speciebus accommodari potest. Vt Ignorantia prauæ dispositionis in Grammatica, opponitur Scientiæ Grammaticæ: Ignorantia prauæ dispositionis in Logica, Physica, Metaphysica, Mathematica, & Ethica, opponitur Scientiæ Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ, Mathematicæ & Ethicæ; quod hic semel moneo, nè idem multoties deinceps repetendum sit.

Scientia Humana Quid.

Scientia ita largè accepta, duplex est, *Humana* & *Diuina. Humana est, quæ humano ingenio absque Dei speciali reuelatione inuenire potest.* Non enim Deus immediatè aut Philosophiæ naturalis, aut Mathematicarum disciplinarum cognitionem hominibus indidit, sed eas viri ingenio præstantes, summo studio ac diligenti obseruatione inuenerunt: Quare hæ similesque omnes, *Humanæ* verè dici possunt.

Scientia Instrumentalis Quid.

Humana scientia duplex est, *Instrumentalis*, & *Principalis. Instrumentalis Scientia est, Scientia humana, quæ propter seipsam non expetitur, sed solum propter aliud, vt medium atque instrumentum quo facilius ad alias disciplinas & earum fines perueniamus.* Instrumentum enim nullum propter se expetitur, sed solum propter finem illum, aut propter illud opus, ad quod perficiendum vtimur eo instrumento. Nam si æque commodè finem illum assequi, aut opus illud perficere, sine eo instrumento possemus, insipientis planè esset, vel expetere illud instrumentum, vel eo adepto vti; frustra enim fieret tum per plura, quod æquè commodè fieret per pauciora.

Grammatica & Logica an sint artes, aut Scientiæ.

Instrumentales Scientiæ duæ sunt, *Grammatica*, & *Logica*, quarum illa *Sermocinatrix* vocatur, *quia in sermone congrue formando*; hæc *Ratiocinatrix, quia in rationibus commodè texendis* versatur. Non sum nescius, quàm multos acriter digladiari, ac tanquam pro aris ac focis pugnare de hac re: Vtrum duæ istæ disciplinæ, inter *Scientias* propriè dictas,

dictas, an inter *Artes* censendæ sint. Certissimum est, *Scientias in stricto sensu* (quo vsus est Arist. 6. Eth. ca. 3. & 1. Demonst. cap. 2.) vocandas non esse; nam neque versantur in rebus summe necessariis, neque in contemplatione rerum quas considerant, sed in effectione: Grammatica enim docet *efficere congruum Sermonem*, Logica *efficere Syllogismos*; quare iure optimo ex istarum *Scientiarum* classe expunxit eas Zab. lib. 1. de Natur. Log. ca. 3. & 4. Si alterutrum dicendum est, profecto Artibus similimæ sunt, sunt enim *habitus effectivi*, & *Ars* ab Arist. definitur esse *habitus effectivus*. Et sane, si quis eas, Artes vocare velit, non repugnabo: eoque minus, quod videam rationes illas, quas adduxit Zab. lib. cit. ca. 8. vt probet eas non esse Artes, valdè infirmas esse. Cæterum, Artes (vt ego arbitror) illæ *propriè* vocandæ sunt quæ *effectiva sunt eorum operum quibus ad Scientias intelligendas & discendas non vtimur vt necessarijs instrumentis*. Iam verò tam *Grammatica*, quam *Logica* tales habitus sunt, vt necessaria sint instrumenta omnium aliarum disciplinarum, neque in alium finem expetuntur, quam vt sint talia instrumenta; quare *Artes propriè dictæ*, vocandæ non videntur. Sed tamen, vti *larga acceptione* Artes vocari possunt, (vt docet Zab. lib. cit. ca. 5.) ita *large* accipiendo nomen *Scientiæ* (quomodo a nobis hic accipi sæpe monuimus.) nemo iure reprehendat, si *Scientiæ* appellentur. Sed hoc omisso quid sint, videamus.

Grammatica quid.

Grammatica, est Scientia instrumentalis, qua dirigimur congruè apteque propriè & concinne loqui in omni idiomate, Hebræo, Græco, Latino, Anglico, Gallico, &c. *Quæque vt hoc præstet, vocum omnium cuiusque idiomatis, & veram & nativam significationem, & congruam inter se compositionem tam in prosa, quam in metro explicat, vt sic alias quascunq; scientias, vel discere, vel docere valeamus. Instrumentum* est, & quidem omnium primum in discendis scientijs. Nam quia omnes disciplinæ siue easdem discere ab aliis, siue alios eas docere volumus, vocibus vel prolatis vel scriptis traduntur, & voces rerum signa sunt; hinc fit, vt neque ipsi intelligere, neque vt alii intelligant efficere possimus, quæ res illis vocibus notentur, nisi veram vim ac genuinam significationem earum vocum (siue propria ea sit, siue figurata) veramque & congruam earundem inter se compositionem cognoscamus. Docet etiam Grammatica, *tam metro voces coniungere, quam prosa*. Nam facultas illa versus componendi (quam vulgus non sine magno errore *Poeticam* appellat) ad *Grammaticam* solum, non *poeticam* spectat. Quid enim illic de suo fingit poeta? aut quid aliud est versus, quam stricta earum dictionum dispositio, quæ in prosa ac soluta oratione laxius collocantur, nec tam accuratè? Docet itaque Grammatica, vtroque modo rectè loqui; & quia neutrum præstari potest, nisi iustam Syllabarum ac vocum quantitatem teneamus, ideo *quantitatem omnium dictionum*, in omni idiomate docet Grammatica: cognita vocum quantitate, docet etiam Grammatica, eisdem vti vel *cum certo aliquo pedum numero ac mensura* vt in Carminibus omnis Generis; vel

sine tam stricta & certa mensura vt in prosa. Quod si vel poeta quis vel Rhetor, vel Historicus, vel Philosophus, in tradẽdis ijs quæ ad suas disciplinas spectant, carminibus vtatur, facit illud non vt Poeta, nec vt Historicus aut Philosophus, sed solum vt Grammaticus, a quo mutuatur tum congruitatem, tum debitam dispositionem vocum, id est, tam strictum quam solutum dicendi Genus.

Logica quid.

Logica, est Scientia instrumentalis, qua dirigimur argumentari vel ratiocinari, seu argumenta recte contexere. Nam vt alibi dixi, Argumentatio est subiectum in quo Logica versatur, & ad quam referuntur omnia quæ in Logica tractantur. Iam quia omnes omninò scientiæ argumentis vtuntur, quibus suas conclusiones probant, ideo Logica quæ docet ipsum modum arguendi, & per quam discernimus vtrum probationes legitimæ sint & validæ, an imbecilles & illegitimæ, *instrumentum ad omnes disciplinas* summè necessarium habetur, sine quo ad eas nunquam quisquam attingat.

Logica Generalis quid.

Logica duplex est, *Generalis*, & *Specialis*. *Generalis est quæ docet simpliciter argumentari, sine vllo respectu vel ad finem, vel ad materiam, vtrum necessaria sit an contingens*: & hæc est Logica, quam tradit Arist. in libris de Interpr. & priorum Analyt. in illis enim docet recte & legitimè argumentationem contexere, tam perfectam, quæ est syllogismus, quam imperfectam, quales sunt, Enthymema, Inductio & exemplum.

Logica specialis.

Specialis Logica vocatur, quæ docet in hac aut illa speciali materia recte arguere, aut ad hunc aut illum specialem finem assequendum. Quare ex diversitate materiæ in qua argumenta texuntur, aut finium quos in arguendo respicimus, oritur diversitas in hac speciali Logica; aut si ita mavis dicere, diversæ illius partes. Quotuplex verò sit hæc *Logica specialis*, aut quot illius partes, non est ita facilè explicatu. Nos liberum aliis quid ipsi sentiant relinquentes, quid nobis videatur, paucis expediemus.

Tres sunt omninò fines arguendi, quorum aliquem vnusquisque dum arguit sibi proponit. Nam vel *docere* vult & *demonstrare* per certissima media illud esse verum quod probat, & qui hoc facit est *Demonstrator*, & ea facultas per quam hoc facit, *Logica Demonstrativa vocatur*: vel differere vult, & *probabilitate rationum* verum vel invenire, vel ostendere, & qui hoc facit *Dialecticus est*, & ea pars Logicæ qua hoc facit, *Dialectica* proprio nomine vocatur; vel denique *persuadere* vult alteri, hoc vel illud esse faciendum aut fugiendum: & qui hoc faciunt *Rhetores*, *Poeta*, vel *Historici* sunt, & facultas illa arguendi quâ hoc faciunt dicitur *Logica suadens*, *seu Rhetorica*, *Poetica*, & *Historica*.

Discrimen Demonstrationis et Dialecticæ.

De primis duobus, quod illæ sint partes Logicæ, & inter se distinctæ, nemo dubitat: Differentia verò illorum, non solum ex *finium* quam iam dixi distinctione, sed ex *materia* etiam in qua versantur diversitate. Exque ipso diverso arguendi *modo* oritur. Nam quia

Demon-

Demonstrator *docere* vult, non contendere, ideò ille versatur solem in *materia necessaria*, probat solum eas conclusiones quæ necessariæ sunt, & per necessaria media solum probat. Dialecticus quia non intendit docere, sed vel *vincere*, vel *verum quod nondum cognoscit invenire*, vel *probabilitatis speciè allicere alium ad suam opinionem*, ideò versatur solum in rebus *contingentibus & probabilibus*, aut si fortè in *necessariis*, tamen eis vtitur non *vt necessarijs*, sed *vt probabilibus*. Est enim hoc discrimen inter *Demonstratorem* & *Dialecticum*, dignissimum observatione. Fieri potest vt vterque eodem planè argumento vtatur, nam & *Demonstrator* per causam demonstrat effectum inesse, vt hominem esse risibilem, quia est rationalis: & ille idem locus per causam probandi effectum inesse, est etiam *Dialecticus*, eodemque planè argumento ducto a causa probat Dialecticus hominem esse risibilem, quia est rationalis. Quid ergo? nonne hic differt *Syllogismus demonstrativus*, à *Dialectico*? Differt plane, *non vt*, *sed sicut* ac *modo vtendi*. Demonstrator vtitur illis præmissis *vt necessarijs*, & per *se notis*; quæ nullo notiori medio probari possunt. Quare si apud eum neges vel rationale esse causam risibilitatis, vel hominem esse rationalem, explicabit ille tibi & inductione aliqua docebit hæc vera esse; sed si persistes & obluctaris, aut probationem aliquam a notiori petas, valedicet ille tibi, neque cum Alabandensi illo magistro, velut in hac scientia indocilem, ad alias artes amandabit. Longe aliter *Dialecticus*; nam quia ille præmissis illis eisdem, etsi in se summe necessariis, vtitur *vt probabilibus*, ideò si apud eum alterutrum neges, intonabit statim, probo, probo. Et aliud quidem medium, minus notum, sed tamen probabile ac verisimile adferet, ad ista probanda, nec te nisi victum dimittet, etsi nihilo doctior certiorve sis iam, quam dudum fueras. Sed *Demonstrativam & Dialecticam* partes esse easque distinctas Logicæ, non est quod diutius declaremus.

Difficultas tota in reliquis tribus consistit. Quam plurimis enim Paradoxon videbitur aut *Rhetoricam*, aut *Poeticam*, aut *Historicam*, inter *Logicæ partes* numerare? Agamus igitur de singulis, sed cum Neoptolemo apud Furnium, paucis, multis enim non libet.

Rhetoricam partem esse Logicæ nemo vt opinor dubitabit, qui quis sit eius scopus, quod officium considerare velit. Finis Rhetoricæ, vt docet Aristot. lib. 1. Rhet. ca. 1. *est persuadere*: *officium* autem, non *persuadere*, sed *apta ad persuadendum proponere*. Sicut medici *finis* est sanare, sed *officium* eius est, non sanare, sed apta ad sanandum præscribere, aut dare. Persuadere nemo potest quidquam cuiquam, nisi rationibus & argumentis: etenim *persuadere*, est *rationum vi ac pondere ad aliquid faciendum, alterum permovere*. Quare cum Rhetorica quatenus talis est, docet quæ sunt apta ad persuadendum, sine dubio quatenus talis est, docet quibus argumentis & rationibus ad aliquid faciendum alter permoveri possit. Docet igitur ratiocinari, aut quendam ratiocinandi modum, ideo- *Pars Logicæ.*

quæ vere pars logicæ est. Nam si *demonstrandi facultas*, non alia ratione sit pars logicæ, quam quia vsum quendam peculiarem ratiocinandi docet, & syllogismum, (quem a Logica communi sumit) applicat ad finem suum peculiarem, nempe ad *docendum*. Et, si *Dialectica* similiter sit pars Logicæ, quia docet vsum alium peculiarem ratiocinandi, & syllogismum applicat ad suum finem nempe ad *differendum*, & probabilibus mediis verum inveniendum: Certe nulla ratio fingi potest, cur *Rhetorica* non sit etiam alia pars logicæ, cum ea doceat alium ratiocinandi vsum, & syllogismum (quem sumit a Logica communi) applicat ad suum peculiarem finem nempe ad *persuadendum* hoc aut illud faciendum esse.

Præterea, sicut est nullus syllogismus demonstrativus, qui non etiam est Dialecticus, & tamen demonstrativa facultas est diversa pars Logicæ a Dialectica, quia vtitur suis syllogismis in alium finem quam Dialecticus, nempe ad *docendum* tantum, non ad *differendum* & verum inveniendum: Ita nullus est syllogismus Rhetoricus, qui non etiam est Dialecticus, & tamen Rhetorica est distincta pars Logicæ a Dialectica, quia Rhetorica vtitur illis eisdem argumentis, in alium omninò finem quam Dialectica, nempe ad *persuadendum* hoc vel illud esse faciendum, non ad *differendum aut ad inveniendum verum*. Et sicut nullus est locus demonstrativus, qui non est etiam Dialecticus; sed alia ratione demonstrativus vocatur, nempe cum argumentum petitur vel a causa vel ab effectu ad *docendum tantum*, & alia ratione Dialecticus, nempe quia *argumentum petitur vel a causa, vel ab effectu ad differendum, & cum probabilitate verum inveniendum*: Itidem hic fit, licet nullus sit locus Rhetoricus, qui non sit idem Dialecticus, tamen alia ratione illi iidem loci dicuntur Rhetorici & Dialectici: nam quando ab illis argumenta petuntur solum ad hunc finem vt *differendo probabiliter verum inveniatur*, tum vocantur *loci Dialectici*: Quando autem argumentamur ab illis locis, non differendi causa sed *persuadendi, vt quis faciat hoc vel illud*, tum loci Rhetorici, & non dialectici dicuntur. Ex quibus omnibus liquere potest, *Demonstrativam* facultatem, *Dialecticam* & *Rhetoricam*, esse tres distinctas partes, & veluti filias Logicæ communis, quasi matris omnium, cum vnaquæque Syllogismum in communi ad suum proprium & peculiarem vsum accommodet. Liquet etiam hoc inter eas discrimen esse, quod etsi vnaquæque earum sit instrumentum logicum, tamen Demonstrativa facultas est solum instrumentum in *disciplinis necessariis*, quales sunt scientiæ speculativæ, Metaphysica, Physica, & Mathematica, quia in istis solum demonstrationes summe necessariæ inveniuntur; Rhetorica est solum instrumentum in *disciplinis Practicis*, in *Ethica* eiusve partibus, quia in illis solum, res agendæ considerantur, ideoque *persuasio* in illis solùm locum habet: Dialectica verò est instrumentum generale ad omnes omninò disciplinas se extendens, quia in omnibus istis (aliisque quæ ratione tractantur) quid verum sit, & quæri

potest

potest & differendo inveniri, quod vt cum probabilitate facere possimus, docet Dialectica.

Obijcit quis, oratoris munus esse, *ornate loqui*, id que Rhetoricam esse potius artem sermocinatricem, quam *rationatricem*. Cuius indicium ex ipsis Rhetorum libris, vbi illam artem docent, sumitur. Nam nihil ferè ibi de arguendo, aut modo argumentandi traditur, sed illud (quasi a Dialectica mutuandum sit) omittentes, toti versantur in hoc, vt doceant modum poliendi hmandique orationem, quod fit verbis comptis, ornatis, ac figuris illis loquutionis quas copiosè tractant; modum etiam quo affectus auditorum ac iudicum commoveri possint, quod fit vel gestu, vel lachrymis, vel quibusdam verborum lenocinijs, quibus Rhetorum libri abundant. Dub.

Respondeo, dubitatione hac vulgus in errorem abreptum esse, vt putent Rhetoricam potius in sermone ornando (quod revera Grammaticæ munus est) quam in ratiocinando consistere. Sed solutio facilis est, eaque ex Arist. ipso desumpta lib. 1. Rhet. ca. 1. Finis vt dixi Rhetoricæ est *persuadere*: Hoc vt efficiat, duo docet, quorum vnum *primarium* est & Rhetoricæ *intrinsecum*, alterum *secundarium* & *extrinsecum*. Primarium est, *docere quibus argumentis quis aptissimè in quaque causa vti debeat ad persuadendum*. Qui talia arguentes proponit, licet sine omni, non dico pompa, sed veste verborum, is vere Rhetor dicendus est, quia quod est *primarium ac præcipuum* in persuadendo, abundè præstitit. *Secundarium* est, vt indicet quomodo auditores *alliciantur vt rationibus illis assultare velint*, eisque obtemperare. Nam quia natura hominum adeò perversa est ac depravata vt vix aurem accommodet sanis rationibus, nedum perficiat quod ad officium pertinere videt, ideo Rhetores tantopere insudant in hoc, quod *secundarium* est, sed respectu naturæ nostræ perneccessarium, vt allictant ad se auditorum animos, vt benevolentiam ipsorum captent ac concilient, vt mentes ipsorum, verborum gestuumque varietate commoveant, vel ad amorem, vel ad iram, vel ad odium, vel ad misereordiam, vel similes animi perturbationes. Quæ omnia si penitus omitterentur, minus fortasse persuadebit orator, sed non minus præstabit id quod est oratoris officium, proponere nimirum ea, quæ aptissima sunt ad persuadendum. Imò hæc ipsa quæ dixi *secundaria*, tam sunt extrinseca ab officio oratoris, vt teste Arist. loco citato, non solum apud *Areopagitas*, *sed in aliis optime institutis rebuspub. legibus cautum sit, ne quidquam extra causas in agendis causis adhiberetur*, neve *quidquam præter rem ipsam diceretur*. Videbant viri illi prudentes, verborum illecebris & lenociniis, omni etiam perturbationum genere, iudicum mentes inflammari sæpè, & a recto abripi. Quare ista omnia exulare in dicendo mandabant. Neque vnquam certè admissa fuissent in vllis rebuspub. nisi tam prava ac perversa esset hominum natura, vt non tam ratione, quam amore, ira, misereordia, aut simili alia perturbatione ad officium permoveatur. Simile quid in medi-

Sol.

cina videre licet. Præcipuum ac *primarium* medici *officium* est, præscribere ea quæ ægrotantem sanare, & morbum pellere apta sunt. Sed quia nonnulli quandam naturæ imbecillitate, Pharmaca respuunt & aversantur, alij pharmacorum amaritudine nonnunquam deterrentur, *secundario* curat medicus invenire, quibus modis alliciatur æger, vt velit non illibenter recipere salutarem medicinam, aut si renuat, quomodo in recipiendo decipiatur. Idem planè fit in Rhetoricâ, vbi quod *secundarium* est, vt alliciantur aut commoveantur animi obtemperare persuasionibus, non minus est a Rhetorica alienum & extrinsecum, quam illud est in medicina vt vel pelliciantur, vel decipiantur ægroti in pharmacis recipiendis. Sed de Rhetorica satis multa: Qui plura desiderat consulat doctissimos libros Iac. Zab. de Nat. Log. & præcipue lib. 2. cap. 17. & 18. vbi *Rhetoricam esse Logica partem*, cùm rationibus, tum authoritate Arist. solidè, vt tantum Philosophum decuit, confirmavit.

Poetica & Historica partes Logicæ.

Veniamus ad *Poeticam*, & *Historicam*, quas esse sicut Rhetoricam *partes Logicæ antea* diximus. Quod facilius perspicietur, si scopũ ac finem earum consideremus. *Finis vtriusque est excitare alios ad virtutem, & a vitijs deterrere.* Vt hoc persuadeant, proponunt ante oculos exempla tam virtutum quam vitiorum. *Poeta quidem exempla conficta, Historicus vera, & res vere gestas.* Sed quomodo per ista exempla argumententur vt persuadeant, paucis exemplis fiet manifestum. *Virgiliana Æneis*, vt verissimum (quia ex ingenio Poetæ totum confectum & confictum) ita vno errore excepto, omnium quæ extant, Poema præstantissimum est. Scopus totius Poematis hoc argumento concluditur. Æneas, cuius ipsum nomen laudem indicat, quique fuit fama super æthera notus, vir fuit magnanimus, fortis, prudens, iustus, erga parentes & patriam pius, in omni item vitæ conditione, tam bello quàm pace, tam rebus secundis quam adversis ita constanter calcavit virtutis viam, vt in omni fortuna, specimen illustre virtutis exhibuerit: quare si tu eandem aut similem laudem ac gloriam appetas, debes prudentiam, iustitiam, fortitudinem, pietatem colere, neque in vlla vitæ parte a virtutis tramite deviare. Antecedens solum a Poeta depingitur per totum poema. Conclusio quidem a Poeta non attexitur, sed a prudenti lectore colligenda relinquitur. Similiter in Thyestis Tragœdia; Antecedens hoc per totam Tragœdiam declaratur, & ante oculos proponitur. Crudelitas Atrei (cum Thyestis liberos patri devorandos apposuit) tam exosa non hominibus solum, sed ipsi cœlo ac superis visum est, vt Sol retrocesserit, & tam horrendum scelus intueri refugerit, eademque sævitia tandem miserum Atreo exitium attulit. Conclusionem autem hanc spectatoribus aut lectoribus colligendam relinquit poeta: Quare tu cave nè sæuitiâ ac credulitatem vllam exerceas, nè simile exitum simile flagitium consequatur. Eodem planè modo persuadet Historicus; nam factum illud crudele & iniuria plenissimum, (quo Harpagi filium patri vt

Epulas

Epulas comedendum, apposuit Astyages) bellum & amissionem regni merito consequutum esse narrat historicus; lectori verò concludendum ex eo relinquit, Cædem, crudelitatem, & injurias cauendas, nè in pari culpa par supplicium contingat. Similes plane sunt, & pari passu hic incedunt Historicus & Poeta, vterque speculum quoddam aut virtutum aut vitiorum proponit; virtutem autem istam imitatione, aut vitium odio habendum esse, non exprimunt quidem sed prudentiæ lectorum concludendum relinquunt. Quanquam sæpenumerò & in historiis conclusio ipsa attexitur, & quid laude, quid reprehensione dignum sit, in rebus gestis eorum quorum vitas describunt, indicant, nè fortè specie virtutis fallatur lector: id quod non solum Thucidides, & Livius, sed præter alios egregie præstitit Plutarchus. Vtrum verò prosa, an versibus hoc fiat, extrinsecum est & accidentale tam Poeticæ quam historicæ facultati. Non minus enim Æsopus in suis fabulis, & Xenophon in Cyripædia (vbi non historiam de Cyro conscribit, sed sub Cyri nomine effigiem optimi Principis delineat) poetas agunt, & poemata conscribunt, quam Homerus, aut Virgilius, dum in Vlysse, & Ænea exemplar magnanimi viri & prudentis ducis proponunt. Nec minus Lucanus historiam, quam Livius scripsit, licet hic prosa, ille versibus id præstet. Vere ille historicus est qui res Gestas vt gestæ sunt commemorat; verè ille poeta, qui exempla virtutum aut vitiorum confingit. Scopus autem vtriusque plane idem; vtraque enim est facultas persuasoria; & vt Historica facultas docet res gestas ita conscribere, vt animi lectorum ad virtutem accendantur, itidem Poetica docet ita facere Poemata, seu confingere exempla, vt aptissima sint, quibus ad virtutem stimuli addantur. Quod si vel Rhetor aliquis rationibus suis & persuasionibus ad nequitiam & improbitatem aliorum animos inflectere conetur, vel si poeta exempla talia faciat & confingat; vel Historicus res gestas ita describat, vt ijs non ad virtutem sed ad libidinem & vitia excitentur & inflammentur lectores, aut Spectatores, abutuntur plane illi omnes suis artibus, neque in hoc, Rhetorica, poetica, aut Historica facultate, sed lenocinio quodam & adulatoria arte vtuntur; quales omnes e repub. bene instituta eiiciendi & in exilium mittendi sunt, vt è sua omnes longissimè amandandos esse censuit Divinus Plato.

Ex his nunc liquet, & ex ipso fine Poeticæ & Historicæ, facultates eas esse *ratiocinatrices*, & earum omnium vim in persuadendo positam esse. Quare vt Rhetorica ideo pars Logicæ vocatur, quia a *Logica communi*, syllogismum capit, quem ad finem vsum, nempe ad persuadendum, accommodat & applicat: Eodem omnino iure etiam Poetica atque historica facultas inter Logicæ partes censendæ sunt. Nam formam arguendi ab exemplo, a *Logica communi* capientes, accommodant ad eundem finem ad quem Rhetorica, nempe ad persuadendum; ideò & illæ sicut Rhetorica, instrumenta sunt Logicæ, non

generalia sed specialia, quia Ethicæ disciplinæ maximeque politicæ inserviunt. Discrimen verò inter ipsas, & Rhetoricam hoc est, quòd Rhetorica conclusionem proponit, vrget, & omni argumentationum genere, a Causa, Effectu, Contrario, Simili, & reliquis eandem confirmat. Poetica verò, & Historica vno tantum argumentorum genere, nempe ab exemplo, vtuntur, eoque tantum persuadent, non ipsæ quidem conclusionem inferentes, sed eam a prudenti Lectore aut spectatore inferendam relinquentes. Summa huc redit, ex *triplici argumentandi fine tres in genere oriuntur Logicæ partes*: Prima *solummodo docet*, & hæc est *Logica Demonstrativa*. Secunda *tantum disserit vt inveniat verum*. Et hæc est *Dialectica*. Tertia solum *persuadet*: Et quia tres sunt persuadendi distincti modi, ideò *tres sunt huius persuasiuæ Logicæ partes*. Prima *proponit* id quod persuadet, & omni argumentorum genere illud confirmat, & hæc est *Rhetorica*; duæ aliæ, non proponunt id quod suadent, nec vllo argumento nisi exemplo ad suadendum vtuntur, vel *ficto & tum est Poetica*, vel *vero & tum est Historica facultas*.

Præter has omnes, sunt duæ aliæ instrumentales disciplinæ quæ inseruiunt præcipuè historicæ, non parum etiam Poeticæ. Eæ sunt *Chorographia* & *Chronographia*. Quis enim historiam vnquam rectè conscribat, nisi locorum, vrbium, regionum notitiam habuerit, vbi res gestæ sunt; aut nisi annos & tempora cognoverit, quo vnumquodque gestum sit? Quare Historico planè necessariæ sunt hæ duæ disciplinæ; Poetæ etiam, si aptè exempla sua confingere velit: nec enim quisquam (opinor) veterum, Homero, aut Virgilio in Geographia pares. Ita situs omnium vrbium regionum, montium, fluuiorum, accuratè callebant, vt planè mirum sit Homerum (quem cæcum fuisse aiunt) tenere ista potuisse. Nec debet Poeta in suo opere res diuersorum sæculorum, quasi simul contingentia narrare. In quo Virgilium, (principem omnium Poetarum) lapsum esse non indignor solum, sed molestè fero, ac doleo: Multis ille describit adventum Æneæ ad Didorem, eorum colloquia, ac amores: quàm vero hic fædè erravit, & Poeticæ leges violauit? Nam Ænæas 300. annis ante mortuus est, quam Cathaginem extruxit Dido. Etenim Ænæam infra octo post captam Troiam annos obijsse censent fere omnes: Troia capta annis 164. autem templum Salomonis conditum, vt præter alios, ex eo liquet, qui diligentissimè has periodos & tempora notauit et examinavit, Ios. Scal. lib. 5. de Emen. Temp. A templo condito ad Carthaginem a Didone Pigmalionis sorore extractam, anni sunt 143. Vt exactè, exque ipsis Tyriorum monumentis testatur Iosep. lib. 1. contra Appion: Ex quo perspicuum est & indubitatum, Ænæam 300. annis obijsse ante Carthaginem a Didone conditam. Vt non iniuria Didonem conquerentem de Marone, inducat Ausonius.

Chorographia. Chronographia.

Virgilij lapsus.

* *Nam Templum conditum anno mundi, 2934. Troia capta an. mundi, 1776. Is est ann. ante Chr. natum, 1180. Ioseph. Scalig.*

Talis

Talis eram, sed non qualem (Maro) mihi finxit, erat mens.
Vita nec incestis lata cupidinibus.
Namque nec Æneas vidit me Troius vnquam,
Nec Lybiam advenit classibus Iliacis.
Vos magis historicis (Lectores) credite de me,
Quam qui facta Deûm concubitusque canunt.

Elue hic, si potis es, hanc meo Poetæ. Magnam certe apud me, & merito, imbis gratiam. An duos forte fuisse *Pigmaliones*? duas item *Didones*? & ab vtraque eandem *Carthaginis vrbem* extructam dicemus? Ego non dixerim. Dicat ille qui potest, modò quæ dicat probare potest.

Simili, imò fædo magis, magisque periculoso lapsu in Geographia, erratum est ab authore lib. 2. Machab. qui cap. 9. v. 2. narrat Antiochum Epiphanem vrbem Persiæ, *nomine Persepolin, ingressum esse, ibique tentasse Sacrilegium committere, sed turba ieruentium ciuium impeditum, ac fugatum esse.* Vanissima verè somnia. Nec fugatus ibi Antiochus, nec templum illic spoliare tentauit, nec vero vrbem illam ingressus est: sed nec vrbs illa tunc vspiam, quam ille vel ingredi potuit, vel spoliare. Nam certum est vrbem Persepolin, (quondam totius Orientis Regiam ac Reginam, opibus, ac templi donarijs locupletissimam) ab Alexandro magno (140. annis [d] ante regnum Antiochi) non modo spoliatam fuisse centum viginti millibus talentorum, (id est, si ad nummos nostros reuoces 22500000. libris [e]) inde direptis: sed ita funditus eversam, excisamque fuisse, sicque, annis 200. post [f] Antiochi obitum remansisse, vt Q. Curtij ætate (floruit is [g] imperante Claudio) nec vola nec vestigium illius vrbis extaret, nec vbi sita fuisset nisi ex Araxis amne, qui non procul a mœnibus fluxerat, cognosci, aut inueniri potuit, vt testatur vir fide dignissimus, Q. Curt. lib. 5.

Pari aut peiori Geographiæ errore, idem author 2. lib. Machab. narrat, cap. 1. v. 16. Antiochum eundem Epiphanem, (agnoscit de eo agi Bellar. lib. 1. de verb. Dei cap. 15. et Perer. lib. 9. in Daniel. prope finem) in Perside, *inque Naueæ* (Dianam fuisse arbitror) *templo lapidibus obrutum occubuisse*: quem tamen eundem Antiochum. cap. 9. v. 3. et 28. narrat prope Ectabanam (Metropolis illa est Mediæ) miserrime languentem, et fœtore squalido ita sordentem, vt ex odore totus eius exercitus gravaretur, in montibus expirasse. Vbi historici huius mens? vbi memoria? An et in Perside moritur, et in Media? An et in Naueæ templo, et in montibus? an et lapidibus obrutus est, et ex morbo et languore obijt? Da cæmentum, aut gluten aliquod quo hæc cohæreant. Non inuenies. Sunt enim et hæc somnia, nec eluendi in Geographia lapsus. Nam Antiochus ille, neque vel in Persia, vel in Media, neque vel in templo, vel in montanis obijt, sed e Perside reuersus, Babilonem venit, ibique in lecto decumbens

[d] *Alexand. obijt an. ante Chr. 321. Antioch. Epiph. cœpit. ann. ante Chr. 174. Set. Calvis. Chr. Helvic.*

[e] *Talentum valet ex nostro nummo 187. li. 10. s. Ed. Breir.*

[f] *Antioch. obijt ann. ante Chr. 162. Calvis. & Helvic. Claudius imperare cœpit. ann. Chr. 43. Helv.*

[g] *Seth. Calvis.*

cumbens inter amicos expirauit; vt præter alios, testatur Ioseph. lib. 12. Antiq. Iudaic. cap. 13. et author primi libri Machab. cap. 6. Sic nimirum se res habet. Scripta omnia humana, homines sapiunt, id est, errores atque lapsus; ne vnquam se ancillæ audeant, contra Dominam attollere, aut se illi conferre, nedum æquiparare. Diuini calami hic honos est eique peculiaris, vt nec falli vnquam possit, nec fallere. Sed sisto. Hoc te obiter & in transcursu monendum, censui, vt scias, quam sit Poetis multoque magis Historicis, non vtilis solum sed plane necessaria Chorographiæ, itemque Chronographiæ cognitio. Eas nunc definiamus.

Chorographia quid. *Chorographia (seu mavis* Geographiam vocare) *est disciplina instrumentalis inseruiens Poeticæ, & præcipuè Historicæ facultati, qua cognoscitur verus situs omnium orbium, montium,* fluminum, regionum & locorum aliorum, tam terra marique, *tum respectu cœli,* tum *respectu aliorum locorum,* vt quis magis ad orientem aut Austrum situs sit, quis sub Zona torrida, temperata, vel frigida.

Chronographia Quid. *Chronographia est disciplina instrumentalis inseruiens Poeticæ & præcipuè historicæ facultati, qua cognoscitur certum tempus quo res quæque gesta sit quæ in historia narratur,* aut a Poeta fieri fingitur.

Hucusque de *scientijs instrumentalibus* dictum est, in quo numero, sicut hæ omnes quas dixi, reponendæ sunt, ita vt opinor, præter has nullæ aliæ. Sequitur *Scientia Principalis* quæ est *Scientia humana, quam propter seipsam expetimus non vt instrumentum ad alias disciplinas*: Ea duplex est, *Speculatiua*, & *Practica*.

Scientia principalis Quid.

Speculatiua Scientia Quid. *Speculatiua Scientia est Scientia humana principalis, in qua ea traduntur quorum est Speculatio tantum non actio, cuiusque finis est, vt res consideratas sciamus, non agamus*: Sic Angelos, cœlum, Elementa, animal, hominem, magnitudinem, contemplamur & scire volumus, agere verò ista neque possumus neque volumus. Hæc triplex est, *Metaphysica, Physica, Mathematica*.

Metaphysica quid. *Metaphysica, est Scientia Speculatiua, in qua traditur cognitio primo de Ente in genere.* Secundo *de Ente Infinito.* Tertio *de ente finito in genere.* Quarto *de Accidente.* Quinto *de substantia in Genere.* Sexto *de substantia incompleta.* Septimo *de Substantia completa in genere.* Octauo *de Spiritu.* Nono *de Angelo.* Decimo *de Anima rationali.* Hæc enim omnia, & hoc quo dixi ordine in Metaphysica traduntur, neque vlterius procedet Metaphysicus: de quibus omnibus in illa nostra ad Metaphysicam Introductione, egimus.

Physica quid. *Physica, est Scientia speculatiua, in qua traditur cognitio* primo *de corpore in communi,* secundo *de Cœlo*: tertio *de corpore caduco*: quarto *de Elemento*: quinto *de Corpore misto*, atque ita de omnibus speciebus misti. Et hæc scientia vocatur *Naturalis Philosophia*, quis de rebus naturalibus tractat. Ad hanc autem referenda est medicina: quæ humanum corpus considerat quidem, sed non aliter quàm faber ferrum

Medicina quid.

aut

aut ars, sicut materiam in qua operationes suæ artis perficiat. Nam revera medicina scientia non est, sed ars, *ars inquam efficiendi sanitatem in corpore humano.* Sed quia tota ferè ista ars a Philosophia naturali dependet eandemque præsupponit, tamque illustris est & digna professio, nolui eam antè, inter Artes, sed hic inter scientias collocare: vide Zab. lib. 2. de nat. Log. cap. 4. Eamque si speculationem solam consideres, Scientiam merito nuncupes, licet si praxim spectes, artis vocabulo gaudeat.

Mathematica, est scientia speculativa, in qua traditur cognitio de Quantitate. Ea duplex est, *Arithmetica & Geometria.* *Mathematica scientia quid.*

Arithmetica, est scientia Mathematica, in qua traditur Scientia de numeris & ratione numerandi. Huic subalternatur *Musica*, quæ *Numerum considerat sonorum & de eo demonstrationes facit*, atque hæc quia demonstrativa est, verè dicitur *scientialis musica*, quæ inter scientias merito locari & honorari debet. Est vero alia *musica quæ scientialis non est nec scientia*, quoniam in speculatione non consistit, Sed Ars verè est, quia tota versatur in apta vocum aut sonorum efformatione, neque vllam habet causarum cognitionem. Et quidem quicunque illam priorem, (Scientialem dico) calles, verè sciens & doctus censendus es. Sed qui hanc vocalem Musicam sine altera scientiali tenent, cur hos vt doctos, & scientes, doctorum insignibus honoremus non satis video. *Arithmetica quid.*

Geometria, est scientia speculativa, qua tradit scientiam de omni quantitate continua permanente, Linea, Superficie & Corpore. Huic subalternantur *Optica, Astronomia & Mechanica.* Nam Geometria lineam per se & sine sensili accidente considerat, *Optica lineam visualem: Astronomia longitudinem, latitudinem & crassitiem in corpore mobili nempe in cœlo* contemplatur, demonstrans quantitatem omnium siderum, distantiamque earundem. Dixi *Astronomiam* non *Astrologiam*, nam hæc quæ ex conuersione cœlorum syderumq; vel ex conjunctionibus aut oppositionibus eorundē eventus futuros prædicit, vanissima planè disciplina censenda est. Nullis etenim certis & indubitatis principijs constat: ne ipsa quidem experientia, cum ab exordio mundi, nunquam eadem cœli positio bis contigerit; nam sphæra summo proxima (quæ est cœlum stelliferum, seu Firmamentum) suum propium cursum ab occasu in ortum, (vt ex Ioh. Clario liquet, Comment. in cap. 1. Ioh. de Sacro bosco. pag. 56.) non nisi 49000. annorum spatio, aut paulò minore conficiat. Vt impossibile sit ex eadem cœli positione eundem eventum prædicere, cum eadem omninò positio cœli nunquam redierit aut redimra sit. Astronomia verò prædictiones istas vt faciles ac superstitiosas dimittens, in magnitudine ac motu cœlorum ac syderum dimetiendo, tota versatur, & ex principijs certissimis suas conclusiones colligit. Denique Geometria vel ea saltem pars eius que *Stereometria* vocatur *solida considerat ab-* *Geometria quid.*

saluè per seſe & ſint ſenſili qualitate aut accidente. Mechanica verò, (quæ ei ſubalternatur) conſiderat *eadem ſolida cum ponderoſitate*, docetque quomodo magna pondera de loco ad locum cum artificio moveantur aut vehantur. Quare Mechanicam ſtereometriæ ſubalternam iure ponit Ariſt. lib. 1. Demonſt. cap. 12. nu. 13.

Dub. Quæri merito hic poteſt, an cum Arithmetica & Geometria quantitatem ſolum in ſpecie conſiderent, non ſit etiam communis aliqua Mathematica Scientia quæ quantitatem in genere tractet, & de Quantitate propriis eius affectiones demonſtret?

Sol. Arbitror profectò omninò concedendum eſſe & ſtatuendum, communem eſſe aliquam Mathematicam. Nam & ſubiectum diuerſum eſt, tum ab Arithmeticæ, tum à Geometriæ ſubiecto, & affectiones quædam ſunt quantitatis quâ quantitas eſt, quæ de iſto ſubiecto demonſtrentur. Nam quod Numerus ſit diuiſibilis, & æqualis, aut inæqualis, Arithmeticus; quod item magnitudo, Geometra non demonſtrant ex ſe, cum diuiſibilitas, æqualitas, & inæqualitas, neque ſit affectio propria Numeri, neque Magnitudinis: Sed vterque cognoſcit hæc, per eam Mathematicam quæ vti ſque communis eſt. Quæque illas affectiones, de quantitate, in genere cui primariò inſunt, demonſtrat. Sed quia pauca ſunt quæ in iſta communi Mathematica tradi poſſunt, & quia ea ipſa ex particulari tum Numeri, tum Magnitudinis tractatione, non difficultèr cognoſcuntur, ideò communi illa ſcientia omiſſa, quaſi ex ſe ſatis nota, vel non multum neceſſaria, doctores Mathematicarum Scientiarum in ijs quæ magis obſcura ſunt operam ſuam omnem & laborem impendunt. Ea verò ſunt quæ ad Arithmeticam & Geometriam ſpectant.

Dub. Quæri etiam poteſt, cur in Mathematicis vna ſcientia dicatur *ſubalterna alteri*, & an in vllis alijs diſciplinis *ſcientiæ ſubalternæ* inueniantur?

Sol. Reſpondeo, in nullis omninò alijs; quod facile intelligetur, ſi cur vna ſcientia alteri *ſubalterna* ſit conſideremus. *Dicitur autem ſcientia vna alteri ſubalternari, non quando ſubiectum ſub alternatæ ſubijcitur diuiſe ſubiecto ſubalternantis*, vt ſpecies Generi, quo modo ſcientia de homine, ſubijcitur ſcientiæ de Animali, de corpore, de Subſtantia, de Ente. Cuius ratio eſt, quia nulla omnino concluſio in ſcientia de homine, probatur per principia Scientiæ de animali, de corpore, aut Subſtantia, nam talis concluſio per principia communia probaretur: ac concluſiones omnes ſcientiæ ſubalternatæ demonſtrantur per principia ſcientiæ illius cui eſt ſubalterna: vt docet Ariſt. lib. 1. Demonſt. cap. 10. nu. 13. et doctiſſimè idem declarat, ac probat Zab. lib. de trib. præcog. cap. 12. et 13. Quare magnoperè errant ac turpiter, qui dicunt (quod vulgo quidem aſſeritur) ſcientias omnes *Metaphyſicæ* ſubalternari. Nulla enim omninò concluſio ſcientialis alterius inferioris ſcientiæ, per principia Metaphyſicæ demonſtrari poteſt: vti ex

ante

ante dicta ratione liquet, et copiosè declarat Zab. locis citatis. Sed Scientiæ duæ dicuntur *subalternæ* vna alteri, *quando subalternans considerat subiectum aliquod absolutè, & sine sensili accidente; Subalternata verò eadem subiectum considerat, cum sensili aliqua qualitate*: vt Arithmetica Numerum absolutè, Musica numerum sonorum: Geometria, lineam absolutè, perspectiua verò, lineam visualem. Omnes enim conclusiones in Musica, per Arithmetica principia, & omnes in perspectiua per Geometrica demonstrantur, neque alio modo aut sciri aut demonstrari possunt. Quod ipsum tum Arist. tum ex eo Zab. solidè & eruditè ostendit locis citatis. Iam certum est, nullius scientiæ subiectum considerari posse duplici hoc modo, *absolutè* (inquam) & *cum sensili qualitate*, præter subiecta Scientiarum Mathematicarum; Quare in illis, & in illis solis, inuenitur illa *subalternatio*, ex qua Scientiæ propriè Subalternæ dicuntur.

Quæ & quot sint *Scientia Speculatiuæ*, nunc diximus: et has solas, (vt ante monui) Scientiæ nomine insignit Arist. Sequitur Scientia practica: *Ea est scientia humana, principalis qua tradit cognitionem eorum quæ vel agenda sunt, vel fugienda.* Hæc est triplex. *Ethica* siue *Moralis Philosophia, Oeconomica, & Politica.* *Practica Scientia quid.*

Ethica Philosophia, est Scientia practica, quæ docet quomodo quis se ipsum faciat bonum, aut quomodo fiat vir bonus. *Ethica quid.*

Oeconomica, est Scientia practica, qua docet quomodo quis faciat suam familiam bonam. *Oeconomica quid.*

Politica, est scientia practica, quæ docet quomodo quis faciat ciuitatem bonam, & ciues bonos. Nam *Moralis* quidem Philosophia instruit vnumquemque ex se recte agere, etiam nullo imperante aut cogente: Quare si omnes disciplinam *Moralem* rectè cognoscerent, eique auscultarent, ac iuxta illius normam vitas agerent, neque *Oeconomica*, neque *Politica* necessaria fuisset. Sed quoniam non viuitur in Platonis repub. sed in fæce Romuli, vbi multi crassa quadam et supina negligentia ignorant quid sit agendum: multi sciunt quidem rectè agere, sed nolunt, ideo a Deo institura est primò quidem *Oeconomica*, tum *Politica disciplina*, vt per illam paterfamilias, per hanc Princeps (siue vnus sine plures) alios omnes, prudentiâ sua, & authoritate in officio continerent, tum instruendo quæ facere debent, tum cogendo vt faciant, si sponte nolint. Atque vt in Morali vita quisque regitur sua propria prudentia, ita in familia & repub: omnes regantur non sua, sed patrisfamilias, et Principis prudentiâ. Et vt vir bonus est, qui suæ prudentiæ monitis auscultat, et facit quæ ipsa præscribit, ita bonus Oeconomicus est, qui patrisfamilias; bonus ciuis qui Principis prudentiæ, legibusque obtemperat, vel faciendo quæcunque præscribunt si iusta sint, vel ferendo quæcunque infligunt, si iniqua sint.

Politicæ subseruit *Iuris scientia*, quæ, est interpretatio legum, id est, *Iuris Scientia.*

eſt illius prudentiæ quâ Princeps rempub. regit. Nam cum initio, non aliæ leges eſſent, quam placita, & arbitria Principum, quia non poterant ciues quoties opus erat Regem adire, & conſulere, quid in cauſis faciendum eſſet; vt toti reipub. melius proſpiceretur, ſcriptæ ſunt leges, quæ ipſæ etiam placita Principum ſunt, ſed quò populus libentius obtemperaret, voluntati principis additus eſt conſenſus omnium ciuium. Harum legum vim ac mentem cum viri prudentes & *Iuris periti* explicant, quaſi illorum ore Princeps ipſe quæ ſua totiuſque populi mens in ea lege ferenda fuerit, explicat.

Theologia quid. Et hæ quidem omnes ſcientiæ quas dixi, Humanæ ſunt. Reſtat omnium præſtantiſſima, quæ eſt Diuina, & *Theologia* appellatur: quæ *tradit cognitionem ſupernaturalem de Deo, Deique operibus tum quoad creationem & gubernationem omnium rerum, tum quoad ſalutem Angelorum & hominum.* Atque hæc *Diuina* dicitur, quia ad eam eiuſque ſcientiam nullis vnquam naturæ viribus, nulla ingenii humani fœlicitate peruenire vnquam potuiſſemus, nec vllo modo, niſi eandem pro infinita ſua bonitate, vel voce prophetarum vel S. literis reuelaſſet Deus. Atque hæc eſt *Scientiarum Scientia*, aliarum omnium *Magiſtra* ac *Domina*, cui reliquæ omnes adrum ſolum parant, & vt pediſequæ inſeruiunt atque ancillantur.

Deſcripſi nunc Diſciplinas **omnes**, non alium in finem, quam vt **nouitijs** in ſtudio bonarum artium opem aliquam afferre poſſem: nec **nouorum** tantum, ſed & *ordinem* ipſum (vt mihi videbatur) Scientiarum propoſui. Earum ſynopſin hic ſubijcium vt eas vno intuitu perluſtrare poſſis.

Scientia


Synopsis scientiarum.
Scientia est vel
Humana, quæ est vel
Instrumentalis, & est vel
Grammatica
Logica quæ vel
Docet, et est demonstrativa.
Disserit, & est dialectica.
Suadet, idque vel
Omni argumentorum genere, & est Rhetorica.
Exemplo tũmodo vel
Fictis, & est poetica.
Veris, & est Historica; cui inseruiunt Chorographia & Chronographia.
Realis, & est vel
Speculativa eaque vel
Metaphysica.
Physica, ad quam refertur medicina tam pharmaceutrica, quam Chirurgica.
Mathematica, quæ est vel
Arithmetica, cui subalternatur Musica.
Geometria, cui subalternatur
Optica.
Astronomia.
Mechanica.
Practica eaque vel
Ethica.
Oeconomica.
Politica, ad quam refertur Iuris Scientia.
Divina, quæ est S. Theologia.

Siste verò pedem hic paulisper bone adolescens, & hinc vel uti ex specula circumspice, non dico studium aut curriculum, sed plane immensum illud pelagus Scientiarum, ac bonarum artium, quod ei percurrendum est, qui vult vir quadratus, & absolutè doctus aut esse, aut haberi. Quàm verè Hippocrates, *Ars longa, vita brevis?* Quàm verè Theophrastus apud Laertium: & Themistocles apud Hieronimum ad Nepot. querebantur? *Nos cum vivere & sapere incipimus, tunc morimur.* Nolis vero tu queri: cui fini id, aut bono? Sed quo brevius est hoc vitæ spatium, excita te magis, invigila nocte ac die, erige mentem, intende omnes nervos corporis simul atque animi, neque languescas unquam aut torpescas, donec ab istis quos signaui carceribus, ad ipsum calcem perveneris.

Cum vero ad istam metam & Encyclopædiam perveneris, vt vir *doctus* sis, alter labor superest isque multo maior, vt vir *bonus* sis. Peritum & doctum faciet te *virtus intellectualis*; Bonum facit non nisi *virtus Moralis.* Nam *artes omnes, omnem prudentiam, omnes quas commemorauimus scientias, ipsam etiam Theologiam habere quis & malus esse potest; virtutem autem moralem habere, & malus esse nemo potest.* Quare cum hactenus de *virtute intellectuali* dictum sit, addimus pauca de *Morali.*

Virtus moralis quid.

Virtus Moralis, est virtus acquisita, qua inclinat voluntatem tunc cui inest scienter, libenter, & constanter agere quod recta ratio seu prudentia prascribit, ideòque obseruare medium tum in actionibus vitæ, tum in affectionibus animi, & vitare duo vitia extrema, vnum in defectu, alterum in excessu. Sunt enim in omni virtute Morali tria obseruanda. Primum, *obiectum* circa quod versatur, quod est, vel *externum*, vt bellum, vel *internum* vt timor. Secundum, *modus* quo virtus operatur circa hæc obiecta: in vtrisque obseruat medium, idque voluntariò, cum scientia, simul & constantia. Ex quo iure Bonus appellatur, quia scienter, libenter & constanter agit quæ bona sunt. Tertium, *Extrema vitia* a quibus cauet, vt a Scylla atque Charybdi.

Quod ad species *virtutis moralis* attinet, scio multos curiosè, ne dicam superstitiosè eam dividere, & subdividere. Nos dichotomias istas non necessarias linquentes, dicimus esse *virtutes morales vndecim*, quas ordine ac breviter percurremus, easdem tum per *obiecta externa* simul & *interna*, tum per *opposita vitia* describentes.

Fortitudo.

1. *Fortitudo*, quæ *versatur in tolerantia eorum quæ molesta sunt, quæque naturaliter effugimus.* Talia autem vel *futura* sunt, vel *præsentia.* Si futura sint, fortitudo tum moderatur *passionem timoris*, nè aut minus quàm par est, ea mala timeamus, aut nimis: & fortitudini cum circa hæc futura versatur, opponitur in excessu *Audacia seu Temeritas*, cum quis mala impendentia non timet quantum oportet; in defectu *Timiditas*, cum quis ea timet plus quam oportet. Si mala *præsentia* sint, tum fortitudo moderatur passionem *doloris*, *ne plus, minusve quam oportet doleamus*, & hæc proprio nomine *patientia* aut *constantia* dici potest.

potest Cui in excessu opponitur *Impatientia*, cum plus æquo doleamus, in defectu *Indolentia*, cum quis quantum oportet non dolet. Est ergo *fortitudo virtus moralis quæ inclinat voluntatem eius cui inest, observare medium, in omnibus rebus adversis ac molestis, siue futuris, siue præsentibus, ne vnquam plus minusve quam oportet, vel timeamus adventantia, vel doleamus cum advenerint: quæque facit vitare tam audaciam, & timiditatem, quam impatientiam, & indolentiam.*

Secunda est *Temperantia*, quæ versatur circa voluptates corporis, gustus præsertim, & tactus, *inclinans voluntatem eius cui inest, observare medium in ijs, & moderans appetitum, ne illas vnquam aliter quam oportet appetamus, & vt duo extrema vitia vitemus; nempe Intemperantiam in excessu, & in defectu stuporem.* Est autem Temperantiæ hæc virtus triplex; *prima* versatur circa res *venereas*, & earum inordinatum vsum atque appetitum frænat; cui in excessu opponitur *libido, luxuria, lascivia*: in defectu, *stupor* in illis voluptatibus. Secunda versatur circa res *esculentas*, earum tam vsum quam appetitum inordinatum prohibens: cui in excessu opponitur *Gula sive Edacitas*, in defectu *stupor* in vsu ciborum. Tertia versatur circa res *poculentas*, frænans appetitum nequis plus minusque quam par est appetat: cui in excessu opponitur *Ebrietas*, in defectu *stupor* in vsu Potus. *Temperantia.*

Tertia est, *Liberalitas*, quæ *versatur circa pecunias & sumptus minores, inclinans eum cui inest, observare medium in dando & accipiendo, & moderans appetitum ne quis pecunias aut divitias plus minusve quam oportet appetat, vitetque duo extrema vitia, in excessu prodigalitatem, in defectu parsimoniam aut avaritiam.* *Liberalitas.*

Quarta est *Magnificentia*, quæ *versatur circa pecunias ac sumptus magnos, qua quis observat medium in eis sumptibus faciendis, vt nec plus minusve quam oportet impendat; vitetque duo vitia extrema, E quibus id quod in defectu ponitur sordidum, id quod in excessu ineptè profusum denominatur.* *Magnificentia.*

Quinta est *modestia*, quæ versatur circa *honores parvos, frænans appetitum eius cui inest, ne illos plus minusve quam oportet desideret*, sed medium in eis observet, *vitans duo extrema*, in excessu *ambitionem* aut superbiam, in defectu *abiectionem animi*, cum quis nimis vili se pēdat, nec appetat aut accipiat honores quibus dignus est. *Modestia.*

Sexta est *magnanimitas*, quæ ita se habet ad modestiam, vt magnificentia ad liberalitatem: versatur verò in *honoribus magnis, facitque eum cui inest observare medium in eorum appetitu*, & vitare duo extrema vitia, in excessu *Inflationem*, & *fastum*, in defectu *pusillanimitatem.* *Magnanimitas.*

Septima est *mānsuetudo* quæ versatur circa *iniurias & ea quæ iram cōmovent, frænans passionem Iræ, ne quis plus minusve quam oportet irascatur*, sed vitet duo extrema vitia, in excessu *Iracundiam & furorem*, in defectu *lentitudinem aut teporem* in bona causa quando irasci oportet. *Mansuetudo.*

Veritas. Octava est *veritas*, quæ versatur in manifestatione nostræ mentis aliis, vel verbo, vel scriptis. Hæc ita *moderatur appetitum eius cui inest*, *vt falsum nunquam, verum semper quando oportet enuncies*; & *vitat duo* vitia extrema, in excessu *mendacitatem*, cum quis enunciat id quod est falsum, aut plus dicit quam est verum: in defectu *Dissimulationem*, cum quis verum quod manifestare cum oportet, celat, & æquivocatione aliquâ, aut mentali reservatione tegit.

Affabilitas. Nona est *Affabilitas*, quæ versatur in congressu & sermocinatione cum aliis de rebus seriis, in quibus ita *frænat ac moderatur appetitum*, *vt cum ea qua oportet hominibus conversemur singulos alloquamur*, & vitemus duo vitia extrema, in excessu *Assentationem*, nè cum Gnathone dicamus, *Ait, aio, negat nego*: in defectu *morositatem*, quando quis cum Timone μισανθρώπῳ, congressus & colloquia hominum spernat aut repudiet.

Urbanitas. Decima est *Urbanitas*, quæ versatur in sermocinatione iocosa, in qua sic *appetitum irascibilem refrenat ac moderatur*, *vt is cui inest quando, & inter quos oportet, iocos liberales & facetias tum dare, tum ferre velit*, vitetque duo vitia extrema, in excessu *Scurrilitatem*, cum quis nimis ex iocis compositus est; in defectu *Rusticitatem*, quando quis odit facetias, quas non solum placidè ferre, sed amare debuisset.

Iustitia. Undecima est *Iustitia*, quæ versatur in omnibus (vt vocantur) fortunæ bonis, prout nostra sunt, aut aliena, in quibus sic *appetitum moderatur*, *vt neque plus sibi quam quod suum est accipiat*, *neque minus aliis quam quod ipsorum est*, *dari desiderent*, *sed medium observans suum cuique tribuit*, vitatque duo extrema, quæ utraque *Iniustitiæ* nomine notantur; illa quæ in excessu, *Iniustitia vt plus*, cum plus nobis, aliis minus quam æquum est: illa quæ in *Iniustitia vt minus*, cum (quod raro fit) minus nobis, aliis plus quam oportet, tribuitur. Iustitia duplex est *Commutativa & Distributiva*.

Iustitia commutativa. *Iustitia Commutativa*, *versatur in commutatione rerum*, *qua aliquid fit ex meo tuum*, aut contrà; tales sunt contractus omnes vendendi & emendi: In his omnibus Iustitia hæc ita *appetitum moderatur*, *vt neque nobis ipsis turpe aliquod lucrum*, *neque aliis damnum vllum afferre velimus*, *sed medium* (non rationis solum quod *Geometricum*, sed etiam rei quod *Arithmeticum* vocatur) *ita strictè observare*, *vt neque a nobis quidquam plus accipi*, *neque aliis minus dari quam iustitia & æquitas postulat desideremus*: atque huic iustitiæ opponitur in excessu *Iniustitia vt plus in rebus commutandis*, cum res vllas aut sine vllo, aut sine iusto pretio, nobis appetimus; ad quam *furta omnia*, *rapina*, *Sacrilegia*, *fraudes in emendo* spectant: in defectu *Iniustitia vt minus*, quando (quod raro fit) minus nobis, alteri plus quam oportet in commutando dari volumus.

Iustitia distributiva. *Iustitia distributiva*, *versatur in distributione rerum præmiorum aut pœnarum*, *qua cuique debentur*, in quibus Iustitia hæc ita *appetitum moderatur*, *vt cum in quo ineſt*, *neque amore*, *neque odio*, *neque timore*, *neque*

neque cupiditate abripi ſinat ab eo quod inſtum eſt, ſed medium obſervans, pro cuiuſque meritis, quod cuique debetur tribuat. Huius Iuſtitiæ diſtributivæ duæ ſunt partes, aut ſi mavis dicere, munera. *Prius eſt in honoribus & præmiis quæ aliis debentur tribuendis*: atque hæc Iuſtitiæ pars latiſſimè patet per omnem vitam, ſicut multa ſunt & diverſa genera præmiorum quæ diverſis debentur: vt *Principi* debetur fidelitas, obedientia, protectio; *Iniuſtitia* verò quæ his opponitur eſt Rebellio, inobedientia, omnes iniuriæ Principi factæ: Sic *parentibus* debetur cultus & obſervantia, quæ pietas erga parentes vocatur. Cui opponitur contemptus omnis parentum, quo inofficioſus in illos quis dicitur. *Dominis* debetur ſeruitus & ſeruilis obedientia, cui opponitur ſeruilis inobedientia. *Benefactoribus* a quibus beneficia recepimus, debetur honor ille, qui pro proportione beneficiorum iuſte tribuendus eſt, qui dicitur *gratitudo*; cui opponitur vitium *ingrati animi*, quo quis ingratus eſt in eos a quibus beneficia perceperit, vitium tam fœdum, vt Ethnicus iure dixerit, *Ingratum qui dicit omnia dixiſſe videtur*. Denique quibuſcunque aut cuicunque hominum generi honor vllus, aut præmium debetur, id tribuere libenter & conſtanter quibus debetur, docet & inclinat Iuſtitia hæc diſtributiva, ſicut è contrario *Iniuſtitia diſtributiva* facit, vt eoſdem honores ac præmia recte factorum cui debeantur non tribuamus. Altera pars Iuſtitiæ diſtributivæ verſatur in *erogandis pœnis*, per quam, pro ratione delicti, & delinquentis, Iuſta pœna infligitur, nec maior nec minor quàm ratio recta, & iuſtitia poſtulat: neque vt eam infligamus, vel ira, vel odium aut invidia, vel cupiditas impellit; neque vt non infligamus, vel miſerecordia, vel timor vel amor detinet. Huic in excellu, opponitur *crudelitas aut ſæuitia*, in defectu, *mollities animi aut ſtulta indulgentia*.

Dubitari hic poteſt de *Continentia*, an non illa ſit inter virtutes mo- *Dub.*
rales, & de *Incontinentia*, an non ea inter vitia moralia reponi ac cenſeri debeat.

Reſpondeo, *Continentiam non eſſe virtutem, ſed diſpoſitionem ad virtu-* *Sol.*
tem; & incontinentiam non eſſe vitium, ſed diſpoſitionem ad vitium mo-
rale. Quod manifeſtius erit, ſi diſcrimen inter continentiam ac virtutem moralem recte intelligamus. *Continentia dicitur, cum quis re-* *Continentia & virtus quomodo differant.*
frenat ac continet ſe ab allicientibus illicitis, ſed cum luſta quadam inter ra-
tionem & appetitum, in qua tamen pugna, victoriam tandem reportat re-
cta ratio. Virtus autem eſt habitus, ſecundùm quem qui agit, illima voluntas ac appetitus ita libenter obtemperat rectæ rationi, *vt ſine vlla luſta faciat quod recta ratio præſcribit.* In *Continente*, ratio, & appetitus ſeu paſſiones animi, adhuc in acie ſunt & dimicant inter ſe, dubiuſque vtri victoria pendet: in eo qui virtute prædius eſt, pugna exitum habet, & appetitus paſſionibus animi quas ſecum adduxerat, victus, & ſub iugum miſſus eſt, vt iam reluctari non audeant. Idem de *Incontinente dicendum & vitioſo*. Vterque agit quod malum eſt, ſed in *in-*

continente ratio diu obluctatur, & cohibet appetitum, licet tandem victa cedat; in *vitioso* ratio iam ante cessit & subiugata est, neque nunc reluctatur, sed appetitus regnat & triumphum agit sine vlla lucta aut resistentia rationis. In *incontinente* ratio etsi debiliot sit appetitu, cæca tamen non est, sed videt quid faciendum sit: in *vitioso* non voluntas solum sed ipsa ratio illius ita occæcata est & depravata passionum caligine, vt non videat quid sit rectum, sed iudicet malum ipsum bonum esse appetendum, & faciendum. Ex quo liquet paucos admodum esse qui vere *studiosi*, aut *vitiosi*, id est, qui habitu vel *virtutis* vel *vitij* imbuti sunt. Nam in plurimis adhuc est lucta & bellum inter appetitum & rationem, quod quamdiu durat in aliquo, *Continens* solum is est, aut *Incontinens*; nondum habitum virtutis aut vitij assequutus est. Hæc in Medea intueri licet: *Video meliora, proboque, deteriora sequor.* Ecce in Medea ratio adhuc certabat cum appetitu, & ratio meliora suasit, atque ea verè meliora esse, vidit & agnovit Medea aliquamdiu: Sed tandem victa est ratio, & attendit solum ijs hortamentis quæ appetitus & passiones suggerebant, quæ etsi deteriora revera erant, tamen tum cum ratio victa erat, ipsa ratio iudicabat ea esse meliora, ideoque illa sequebatur Medea. Certissimum enim Axioma est, *voluntatem semper sequi vltimum iudicium rationis, neque posse quenquam aliquid velle facere, priusquam ratio tale tulerit de eo iudicium esse illud esse faciendum.* Etsi ergo pugna durante, ratio iudicabat ea quæ non fecit Medea, esse facienda; quia tamen illud non erat vltimum rationis iudicium, ideo illud non sequuta est Medea: Quia verò pugnâ finita, ratio se ad nutum appetitus accommodavit, & tum iudicavit illa quæ passiones suggerebant esse facienda, & esse (omnibus consideratis) meliora, ideo iudicium hoc (quod erat vltimum rationis iudicium) sequitur Medea, & ait *Deteriora sequor*, deteriora nempe, *iudicio rationis nondum victa*; nam ea quæ tum iudicabat deteriora, iam victa ratio, & auscultans solum appetitui, iudicat vltimo suo iudicio *esse meliora & esse facienda*, ideoque facit. Maxima autem pars hominum, in hoc, Medeæ similes sunt, & quod ipsi in vno, idem in omni virtutum & vitiorum genere, viu venit, vt in actionibus fortitudinis, temperantiæ, iustitiæ & similibus, ex *continentia* aut *incontinentia* agant homines, non ex *habitu ipso virtutis, vel vitij*. Pauci enim ad eam perfectionem perveniunt, vt sine omni lucta appetitus recte agant: Pauci tam proiecti sunt ad improbitatem, vt malum eligant faciantque sine vlla resistentia, aut increpatione rationis. Quare in omni virtutis specie, continentia, dispositio solum est ad virtutem, non ipse habitus virtutis. Quod idem de Incontinentia & vitio dicendum.

Dub. Dubitari vlterius potest, an non *Heroica virtus* sit distincta virtus moralis; aut si sit, cur eam inter reliquas non recensuit Arist. sed separatim de ea agat, lib. 7. Eth. ca. 7.

Sol. Respondeo, cum. ab Aquinate 1. 2. q. 68. art. 1. vt distinctam virtutem

virtutem a reliquis cenſeri, ſed illud mihi non videtur verum. Nam nullam *affectionem* animi moderatur hæc Heroica virtus, diſtinctam ab illis circa quas aliæ virtutes verſantur, neque ullum *obiectum externum* diſtinctum ab illis habet. Sed hoc manifeſtius fiet, ſi quid ſit intelligamus. Eſt *autem Heroica virtus*, vt Ariſt. loco citato docet, *Excellentia quædam, aut eminentia virtutis qua quis quaſi ſupra hominum conditionem, in Deorum (vt Ethnici* loquebantur) *conſortium elevatur.* Iam *Eminentia* illa in tribus poſita eſt. Primo, cum quis non vulgari aliqua, ſed *præclariſſima virtute* morali præditus ſit, tali nimirum qua maxima atque præſtantiſſima beneficia in Genus humanum conferuntur, quales ſunt magnificentia, magnanimitas, & ſi quæ ſimiles. Quia enim hæ virtutes eminent ſupra reliquas, & micant velut inter ignes luna minores, ideo tales virtutes *Heroicas*, & eas qui illis præſtabant, *Heroas* dixerunt. Secundo, Eminentia iſta in *cumulo virtutum inter alium* poſita eſt; vnus temperantia, alter liberalitate, alius iuſtitia præditus eſt. Sed cum quis plurimis virtutibus ſplendeſceret, cum ſupra vulgarem hominum ſortem velut in deorum conſortio locabant & *Heroa* dixere, ab ἔρως, vt Plato ait, quod amorem ſignificat; vel quia putabant tales plus cæteris a Dijs amari, vel quia tantus virtutum ſplendor amorem omnium ad ſe raperet & alliceret. Nam quod *virtutes omnes ita connexas & concatenatas dicunt, vt qui vnam habet, omnes illum habere neceſſe ſit*, verum certè non eſt, niſi ita intelligatur, vt habeat omnes *quoad potentiam proximam*, & quoad *radicem*, quia habet prudentiam quæ eſt omnium directrix: quo ſenſu illud dixiſſe videtur Ariſt. lib. 6 Eth. ca 13. Sed quod *alia* ſemper connectantur, aut quod is qui vnam habet, omnes alias *actu* habeat, non eſt veritati aut rationi conſentaneum. Tertio eminentia illa, ex perſonarum qui virtute præditi erant dignitate oriebatur. Nam etſi virtus in quocunque ſit, eum illuſtrem faciat, tum tamen ſplendor eius illuſtrior eſt, quando generis nobilitati coniuncta eſt. Atque hinc eſt vt vix vlli *Heroes* ab antiquis dicantur, qui non illuſtri ſtemmate & genere nobiles eſſent, quos idcircò fabulabantur a Iove natos, & ſanguine deorum cretos. Quando igitur hæc multiplex eminentia virtutis in aliquo elucebat, vt & *Generis ſplendore*, & *virtutum cumulo*, & *aliqua ex præſtantiſſimis virtutibus* ornaretur, ad ſignificandum ſummam talis viri dignitatem, cum *Heroem*, & eius virtutem, *Heroicam virtutem* appellabant; etſi eiuſdem omninò ſpeciei eſſet cum alijs virtutibus moralibus, neque natura ac eſſentia ab illis differret. Sicut etiam è contrario viros deſpicatiſſimos, qui omni vitiorum & flagitiorum genere inſignes erant, *Beſtias*, & ipſorum nequitiam *Beſtialitatem*, & *ferinatem* vocabant, quaſi tales, exuta humana omni natura, in feras & beſtias degeneraſſent, cum tamen eorum vitia eiuſdem planè ſpeciei eſſent cum alijs vitiis moralibus.

Heroica virtus an ſe diſtincta ab alijs.

Quando ex virtute morali quis dicatur bonus.

Atque hæc ſatis multa de virtute morali, quæ vt dixi facit virum bonum:

bonum; sed bonum *tantum moraliter*, sic vt agat quod *est bonum quoad substantiam operis, & illas solum circumstantias quæ ordinant hominem ad assequendam felicitatem eam quam naturaliter vel scire vel appetere potest.* Et tales quidem erant virtutes omnes Ethnicorum, Temperantia Socratis, Iustitia Aristidis, Fortitudo Scipionis, hæ atque similes virtutes Ethnicos faciebant *bonos moraliter*; quam solam bonitatem Philosophi intelligebant. Etsi verò quis omni *virtute morali* præditus esset, nisi idem *virtutibus Theologicis* imbutus sit, *bonus Christianus* esse nunquam poterit, id est, non *bonus Theologicè*, non ex *bonitate, qua Deo gratum facit & acceptum, quæque ordinat hominem tanquæ ultimum ad bonum & fœlicitatem supernaturalem.* Hinc est, quod ipsæ virtutes morales prout in Ethnicis erant, & quando separantur a virtutibus Theologicis, sint nihil aliud, quam vmbræ virtutum, non veræ virtutes nec faciant habentem simpliciter & *vere bonum*, sed solum *bonum moraliter*, & apud philosophos, non Theologice, nec apud Deum. Vere Aug. lib. 14. de Trinit. ca. 1. *Virtutes ipsæ quibus in hac vita prudenter, fortiter, temperanter, & iuste viuitur, nisi ad finem referantur, vitæ virtutes non sunt.* Præclare Prosp. lib. 1. de vocat. Gent. ca 7. *Sine cultu Dei, quod virtus esse videtur, peccatum est; nec placere vllus Deo, sine Deo potest, qui verò Deo non placet, cui nisi sibi, & Diabolo placet?* Fusè & eleganter docet hoc Lact. lib. 5 Instit. ca. 19. 16. & seq. Et, lib. 6. ca. 9. de Ethnicis agens, sit, *Omnis doctrina & virtus eorum sine Capite est, quia Deum nescunt, qui est virtutis ac doctrinæ caput; Quare non est dubium quin omnes eorum virtutes, quas habere aut videri se putant, in illa mortifera via reperiuntur, quæ est tota tenebrarum.* Sed reprimo me; satis sit monuisse, quid sibi id velit, quod dixi, & sæpe in Ethicis dicendum est, *Ex virtute morali bonus fieri.* Si autem *verè bonus* quis esse velit, id non virtute vlla acquisita, (de qua huc vsque dictum est) neque intellectuali neque morali, sed *solum ex virtute Infusa* habendum est.

Virtus Infusa quid.

Virtus Infusa est virtus quæ nullo studio, labore, aut industria humana acquiri potest, sed immediatè a Deo, quibus & quando vult, infunditur, quæque ordinat hominem tanquæ vltimum omnes, ad finem supernaturalem, & ad illud bonum obtinendum quod naturaliter neque scire neque appetere poterat. Hæc est, quam Aqu. 2. Secundæ q. 1. & seq. & alij, *virtutem Theologicam* nominant, quia de hac virtute nihil omninò in Philosophia, & scriptis ethnicorum Philosophorum, sed solum in SS. Theologia agitur. Hæc triplex est: *Fides, Spes, Charitas.*

Fides quid.

Fides est virtus Infusa, qua Deo tanquæ verbo quomodocunque revelato, sive publicè in S. literis, sive priuatim in cordibus credentium, sine vlla hæsitatione fidem habemus, quæque certi sumus id falsum esse non posse. Nam impossibile est vt quæ Deus revelat falsa sint, is enim nec fallere potest nec falli. Huic opponitur tum *Infidelitas*, qua quis verbum Dei totaliter negat, nec vnquam ei fidem habet: tum *Hæresis*, qua quis partem aliquam divini verbi, vel *explicitè* vel *implicitè* pertinaciter negat: tum *Apostasia*, qua quis ab agnita semel veritate totaliter recedit, vt Apo-

stata

stata Iulianus.

Spes *est virtus infusa, qua propter verbum Dei & illius promissa revelata, & cordibus obsignata, quibus iùdubitatam fidem adhibemus, certo confidimus nos Deo vt summo bono æternum in fruituros & vt promissa illius præstet cum patientia expectamus.* Huic opponitur, tũ *Præsumptio*, cum quis sine iusta causa sperat: tum *Desperatio*, cum iusta causa subest cur sperare non debeat. *Spes quid.*

Charitas est virtus infusa, qua alios omnes qui diligendi sunt, propter Deum, Deum autem propter seipsum diligimus, inque signum dilectionis, & mandatis illius libenter obtemperemus, & ei coniungi ardenter desideramus. Nam Charitas Dei, id est, Deus in quantum diligitur, est & fons seu *causa efficiens* quæ movet nos ad bene operandum, & finis seu *causa finalis* propter quem bene operamur. Huic opponuntur *Odium Dei*, aut *Proximi*, *Contentio*, *Schisma*. *Charitas quid.*

Hæ sunt virtutes infusæ, de quibus qui plura scire desiderat, consulat Theologos. Vnum est quod hic paucis observandum videtur. Virtutes *ha infusæ, vt dixi, ordinant actiones eius cui insunt, tam quoad initium & finem, quam quoad modum operandi.* Quandocunque igitur virtutes morales (de quibus ante egimus) his infusis coniunguntur, tunc ex vmbris virtutum, fiunt *veræ virtutes*, ex *mortiferis salutiferæ*: ex *Philosophicis* aut *Ethnicis*, *Theologicæ*, & *Christianæ*. Tunc enim incipit vir fortis, temperans & iustus agere non solum bonum, sed *bene*, id est, facere non solum quoad substantiam operis, & morales circumstantias id quod est faciendum, sed facere *ex eo fonte, in eum finem, eoque modo quo* faciendum est, nempe ex *dilectione Dei*, in *gloriam & honorem Dei*, vt tandem *Deo, vt summo bono in æternum* perfruatur. *Quomodo virtus moralis fiat Theologica.*

Atque hæc de omnibus speciebus Habitus. Prolixiùs multo quam Seriei huius necessitas exigebat. Sed ideo tam multus fui, vt obscuris aliquot quæstionibus, quarum intelligentia summè necessaria est, quæque a paucis, & obscuriùs, tractantur; lucem aliquam, si possem in hoc transcursu prædicamentorum, afferrem. Nunc integram Synopsin Habituum adiiciam.


Synopsis Habitus.
Habitus vel est
Corporis:
Sint vsu rationis, vt in infantibus
Animi, isque vel
Cum vsu rationis, et iste habitus est vel
Bonus, et dicitur virtus quæ vel est
Acquisita, et est duplex,
Intellectualis quæ est vel
Ars, Prudentia.
Cognitio veri in disciplinis, ea est vel
Principiorum, et dicitur Intellectus.
Conclusionum, et dicitur Scientia large accepta. Cuius Synopsin vide supra.
Moralis, cuius species sunt
Fortitudo.
Temperantia.
Iustitia, et reliquæ octo de quibus ante egimus.
Infusa, quæ est vel
Fides.
Spes.
Charitas.
Malus et dicitur vitium.

Secunda

Secunda Qualitatis species est *Naturalis potentia & Impotentia*, de qua duo videnda sunt, *primo quid sit naturalis potentia, & Impotentia*, & quomodo ab alijs omnibus qualitatibus differat. Secundo *qua species eius sit.*

Naturalis potentia, est qualitas insensibilis, & innata, fluens ab essentia subiecti cui inest, vel immediatè, vel mediatè, per quam sit potens ad aliquid vel faciendum vel patiendum. Sic risibilitas est Potentia fluens ab anima rationali, qua homo est aptus ad ridendum. Sic Sensus in Animali, potentia vegetandi, & nutriendi, in viuente. *Naturalis potentia quid.*

Hinc tria consequuntur. Primo *omnem naturalem potentiam esse proprium quarto modo, seu propriam affectionem eius cui primario & mediate inest.* Nam quia fluit ab essentia, neque accidens commune esse potest subiecti illius, neque ipsa essentia. Quid igitur aliud esse potest quam proprium? *Omnis naturalis potentia est proprium quarto modo.*

Secundo, *Omnis substantia quæ directè in praedicamento ponitur, habet vnam pluresue potentias naturales.* Cum enim vnaquæque talis substantia essentiam habeat, vel *simplicem* vt summum Genus, vel *compositam* vt omnes illius species, certè illa essentia facit subiectum aptum ac potens, vel ad agendum, vel ad patiendum. Talis autem omnis potentia cum a natura fluat, naturalis est. Fortasse etiam aliqua accidentia tales potentias habent, vt Quantitas potentiam habet vt diuidi possit, inque infinitum diuidi, Linea vt diuidi possit secundum longitudinem. Certum est autem omnem speciem non habere tale proprium quod sit potentia Naturalis: nam tum ipsarum *potentiarum naturalium* aliæ essent potentiæ, & illarum item aliæ, & sic in infinitum, quod fieri nullo modo potest. *Omnis substantia completa habet aliquam potentiam naturalem.*

Tertio, *Vnius subiecti aut speciei possunt esse & verè sunt multæ potentiæ naturales*, vt in homine potentia ridendi, flendi, intelligendi per receptas phantasmata, Scientias & artes discendi, virtutes assequendi, & fælicitatem. *Potentiæ naturales plures eiusdem subiecti.*

Quid sit Naturalis *potentia* videmus. Differt autem ab omni qualitate tertiæ & quartæ speciei, quia illæ sunt *sensibiles*, hæc *insensibilis*; ab Habitu vero, quia hæc *innata* est sic vt naturam ipsam & essentiam subiecti necessario insequatur, habitus verò *ad vsum aliunde*, subiecto iam in essentia constituto, & vel labore acquiritur, vel diuinitus infunditur. *Potentia* verò naturalis ab *Impotentia* differt, sicut Habitus, a dispositione, non *natura* ac essentia, (nam tum facerent duas Qualitatis species distinctas,) sed *accidentaliter* solum; nam quando potentia hæc quæ fluit a natura subiecti, coniungitur cum facilitate operandi, & actus illius potentiæ producendi, tum dicitur *Potentia*: quando coniungitur cum difficultate aut debilitate operandi, tum dicitur *Impotentia*. Etenim Impotentiæ nomen non hic sumitur *negatiuè*, pro omnimoda negatione aut priuatione potentiæ, quomodo lapis dici potest impotens videre, quia repugnat naturæ lapidis vt possit videre; sed *positivè* pro potentia debili ac infirma ad operandum, *Differentia inter potentiam et alias qualitates.*

dum, quo sensu illi quos Græci [illegible] vocant, Latini teste Gellio, Lusciosos, dicuntur impotentes ad videndum, quia videre quidem possunt, sed non e longinquo, non nisi debiliter.

Dub. Sed dubitari & merito potest an possit esse vlla impotentia naturalis, nam cuius omnis potentia naturalis sit proprium quarto modo, & ab essentia speciei fluat, propria autem omnia æqualiter subiectis suis conveniant, sequitur non posse esse potentiam maiorem in hoc quam in alio, sed omnes æqualiter potentiam illam habere: & ratio evidens est, quia vbi causa æqualis est, ibidem etiam effectus erit æqualis. Essentia autem speciei omnibus indiuiduis æqualiter inest, quare etiam potentia fluens ab illa essentia inerit omnibus æqualiter. Præterea de visu, auditu, & olfactu, nulli dubium est, quin sint potentiæ naturales: at ista non fluunt ab essentia specierum, quia tum impossibile esset hos sensus separari a subiectis; at separantur in cæcis, in surdis, in ijs qui olfactu priuati sunt. Quare videtur illud non esse verum, quod omnes naturales potentiæ consequantur essentiam subiecti aut ab illa fluant.

Sol. Respondent nonnulli, duplicem esse Potentiam naturalem, vnam *remotam*, quæ sequitur naturam speciei, & hæc omnibus æqualiter atque inseparabiliter inest; alteram *propinquam*, quæ sequitur constitutionem & aptam dispositionem individui, & hæc inæqualiter & separabiliter inest; & de hac potentia intelligenda esse exempla in argumento allato. Cæterum non videtur mihi hæc propinqua potentia *naturalis* esse; nam si sit, cur a subiecti natura separatur? Quare ego dicerem potius, esse vnicam tantum non duas potentias naturales respectu vnius obiecti. Ista autem vna potentia dupliciter consideratur, Primo *in se, & vt insequitur naturam subiecti*, atque hoc modo inest omnibus, & eis æqualiter ac inseparabiliter inest, sicut essentia ipsa a qua fluit, omnibus æqualiter ac inseparabiliter convenit. Secundo consideratur *prout recipitur in individuum aptum aut ineptum, bene, aut male dispositum ad operandum & exercendum actus illius potentiæ; & ex diversa dispositione individui oritur facilitas*, vel difficultas operandi per illam potentiam. Nam cum potentia videndi (capiatur hoc vt exemplum, cæterorum enim par est ratio) quæ fluit ab anima sensitiua, & est in omni animali, coniungitur organis bene dispositis, aut oculis lyncei, oritur tum facilitas videndi, quæ simplici nomine *Potentia* dicitur, sed significantius, *valida ac robusta potentia* dici posset. Cum verò eadem illa potentia videndi, coniungitur subiecto quod vel oculos non habet, vel habet quidem sed malè dispositos, vel propter humorum abundantiam, & intemperiem, vel propter tunicarum crassitiem vt in Lusciosis, tunc oritur difficultas videndi, quæ *Impotentia* dicitur, sed rectius *potentia debilis ac infirma* dici posset. Licet ergo potentia omnis naturalis prout fluit a natura subiecti æqualiter omnibus insit, & inseparabiliter; tamen prout recipitur in subiecto diuerso modo et inæqualiter disposito, nec æqualiter inest, nec insepa-

inſeparabiliter. Quia licet potentia ipſa in ſe ſeparari non poteſt, tamen *potentia cum facilitate operandi*, itemque *Potentia cum difficultate operandi* ſeparari poteſt. Si verò fieri poſſet vt individuorum omnium æqualis eſſet diſpoſitio, ſine dubio æqualiter omnibus omni modo ineſſet potentia naturalis. Nam ſi anima ſenſitiua & potentia videndi quæ eſt in talpa coniungeretur oculis Lyncei, certè tam acutè cerneret talpa, quam Lynceus; & hoc indicat Ariſt. lib. 1. de Anim. cap. 4. Si ſenex acciperet oculum iuvenis, videret vt iuvenis; et ſi anima ſenſitiua ac potentia videndi quæ eſt in Lynceo, non haberet meliora organa videndi quam talpa, tam cæcus eſſet Lynceus quam eſt nunc talpa. Summa eſt: Potentia naturalis vt *in ſe conſideratur* & fluit a natura ſubiecti, eſt ſecunda ſpecies Qualitatis, & *communi nomen* tam potentiæ validæ quàm debilis: vt coniungitur aptis organis ad operandum, ſic eſt *Potentia valida*, quæ Impotentiæ opponitur; vt coniungitur organis male diſpoſitis, ſic eſt *Potentia debilis* quæ impotentia vocatur: Duo autem hæc, Potentia valida, et debilis, ſic accepta, nec fluunt ab eſſentia ſubiecti, nec faciunt ſecundam qualitatis ſpeciem, ſed ambo ſunt accidentia communia, inſequentia diſpoſitionem organorum, & differunt non aliter quam accidentaliter, nempe facilitate ac difficultate, validitate ac debilitate operandi.

Sequitur nunc *ſeries* potentiæ naturalis: quæ nullo pacto commodius explicari poteſt quàm incipiendo a ſubſtantia quæ eſt ſummum genus, perque omnia intermedia genera ad imas omnes ſpecies deſcendendo, quæ ac quot ſint cuiuſque earum, potentiæ naturales ab ipſorum eſſentia fluentes, ordine recenſere, Opus ſpiſſum, & immenſi laboris. Summam enim ferè complectitur Metaphyſicæ, & totius naturalis Philoſophiæ, vt nihil de alijs ſcientijs dicam. Et nos quidem magna ex parte hoc ipſum, (quomodocunque) præſtitimus in illa cuius ante memini Introductione ad Phyſicum. Hic ſatis erit, Si vnam aut alteram potentiam, iſtorum non quidem omnium, ſed multorum tamen indicem, non tam vt Seriem ipſam deſcribam, quam vt exemplar quo pacto accuratè deſcribi debeat (quod a nullis quantum ſcio obſeruatum eſt) proponam.

Series Potentiæ Naturalis.

Potentiæ naturales iſtæ ſunt.

Subſtantia, poſſe ſubſtare accidentibus, poſſe loco contineri, poſſe moveri & quieſcere.

Spiritus, poſſe intelligere ſine phantaſmate recepto a ſenſu.

Angeli, poſſe angelicè ſubſiſtere, ita vt corpus informare non poſſit.

Animæ rationalis, poſſe vniri corpori vt illius forma informans.

Corporis, poſſe locum implere, poſſe loco circunſcribi.

Cæli, poſſe qualitati omni corrumpenti reſiſtere, vt nihil inde patiatur.

Elementi, poſſe vno tantum ſimplici ac recto motu ex ſe moveri.

Ignis, poſſe ex ſeſe calefacere ſimul & ſiccare.

Aeris, poſſe ex ſeſe calefacere ſimul & humectare.

Aquæ, posse ex sese frigefacere simul & humectare.

Terræ, posse ex sese frigefacere simul & siccare.

Mistí, posse moveri ad motum elementi prædominantis.

Imperfectè mistí, posse citò evanescere propter imperfectam mistionem.

Perfectè mistí, posse putrefieri.

Metallorum vires, vt Auri, Æris, &c. a Philosophis petendæ sunt.

Lapidum, posse vires suas (a Philosophis ac Medicis descriptas) exercere, vt in Adamante non posse lima vel malleo frangi, non igne incalescere: In Magnete quod ferrum ad se trahat, in Asbesto quod semel accensus non extinguatur, & infinita similia.

Animati corporis, posse nutriri, augeri, diminui, iuuenescere, senescere, mori.

Plantæ, posse vegetari & nutriri sine sensu.

Arborum vires, tam apertæ, quam occultæ a Philosophis traditæ, vt vitis quod Brassicam odit, fugiatque: Palmæ quod ponderibus resistat, & contra nitatur: Cedri quod nec tineam nec cariem sentiat, & infinita huius generis.

Herbarum vires: illæ a Philosophis ac Medicis declaratæ, vt quod Tussilago fumo suo pulmonibus medeatur: quod Panacea morbis omnibus medeatur: quod Absynthium bilem detrahat, & infinita illis similia.

Animalis, posse sentire, posse imaginari, posse memoria res tenere, posse vigilare, posse dormire, posse per species a sensu receptas appetere, fugere, amare, odisse, & similia; Huc spectant sensus omnes tam externi, vt visus, auditus, olfactus, gustus, et tactus; quam interni vt Sensus communis, phantasia, memoria.

Bruti, posse sensu tantum, non ratione res cognoscere, et huc spectant proprietates omnium piscium, omnium Avium, omnium quadrupedum, omnium reptilium, de quibus Philosophorum libri consulendi.

Hominis, posse ratiocinari, per phantasmata recepta, posse discere scientias omnes et artes, posse eadem docere, posse voluptatem mentis capere, posse cidere, posse rolorem mentis capere, posse fieri, et similia.

Atque hæc de secunda specie Qualitatis.

Sequitur tertia, quæ est *Qualitas passibilis & passio*, de qua videndum primo *quid sit*, secundo *qua cum series*.

Passibilis Qualitas quid.

Passibilis qualitas est qualitas sensibilis, vel vt proprium obiectum alicuius sensus externi, vel vt imago ac species eius. In eo quod *sensibilis* dicitur, distinguitur a prima et secunda specie, nam illæ sunt qualitates *insensibiles*: in eo quod dicitur *Sensibilis vt obiectum proprium*, distinguitur a Forma et figura, nam et illæ qualitates sensibiles sunt, sed vt communia obiecta sensuum diuersorum: nam figuram rei et visu, et tactu cognoscimus; at illæ solum qualitates in hac tertia specie ponun-

ponuntur, *quæ sunt obiecta propria sensuum*, quæ vno tantum externo sensu cognosci possunt, vt color visu, sonus auditu; postremò in definitione additur, quod non modò obiectum ipsum proprium, est patibilis qualitas, sed etiam *illius species seu imago*. Nam illa etiam afficit sensum, & quidem immediatè; obiectum autem ipsum non nisi mediatè, mediante nimirum ipsius specie. Quare etiam ipsæ species externorum obiectorum, obiecta sensuum dici possunt, sed *secundaria, non primaria*. Ita qualitas patibilis ab omni qualitate aliarum specierum distinguitur.

Differt autem a Passione, sicut habitus a dispositione, *firmitate nimirum inhærentiæ*. Nam rubedo si stabilis sit & firmiter radicata in subiecto, patibilis qualitas dicitur. Si vero facile amoveatur, vt in verecundante fieri solet, non *patibilis qualitas* sed *passio* dicitur.

At Arist. hoc cap. nu. 13. *negat subiectum ex passione dici quale*: ex quo sequitur eam non esse omnino qualitatem. *Dub.*

Respondeo, Arist. negare passionem esse qualitatem, aut denominare subiectum quale, *eo modo quo patibilis qualitas* denominat, id est, permanenter & firmiter; sed quod nullo modo sit qualitas, aut quod ne debiliter quidem denominet subiectum quale, non dicit Arist. *Sol.*

At Passio est distinctum prædicamentum & summum Genus, non ergo potest esse Species qualitatis. *Dub.*

Passio sumitur quadruplicitèr,

1. *Pro quovis communi accidente*; quia enim ex cuiusvis receptione, subiectum aliquam alterationem aut mutationem patitur, ideo vnumquodque *passio dici* potest, vt rectè docet Thom. Aquin. pag. 1. quæst. 79. art. 2. Et sic est æquivoca vox, & in nullo prædicamento vno. Sic non hic sumitur.
2. *Pro quovis accidente proprio alicuius rei*, quæ propria passio eius dici solet, quia per illam subiectum apeum est pati aliquam peculiarem alterationem: sic Risibile est propria passio hominis, Sensibile animalis. Sic passio potest esse in secunda specie, nam omnes naturales potentiæ sunt propriæ passiones; etiam in omnibus fere prædicamentis reductiue est. *Sol.*
3. Pro *effectu actionis*, & sic est distinctum prædicamentum.
4. Pro *qualitate quæ passionem infert sensui, vt illius proprium obiectum*, & hoc solo sensu hic sumitur, neque est in vllo alio prædicamento, vel specie, quam in hac sola.

Hinc iam liquet, non ſolum quid ſit patibilis qualitas & paſſio, ſed etiam cur ita vocentur. Non enim dicuntur *patibiles*, quia faciunt ſubiecta in quibus ſunt pati, vel quia ipſæ patiantur, ſed quia ſenſui inferre paſſionem aptæ ſunt.

Dub. Sed quid dicendum erit tum de ſpeciebus intelligibilibus, nam illæ cum ſolum ſint in mente, ſenſui non inferunt paſſionem, & tamen has non minus quam ſenſibilium obiectorum ſpecies, qualitates eſſe conſtat, & patibiles etiam qualitates, quia in nullo alio genere, nec in alia ſpecie Qualitatis quam in hac tertia reponi poſſunt.

Sol. Dico reponi in tertia hac ſpecie: et eſſe aptas inferre paſſionem ſenſui, licet non *in ſe*, tamen *in ſua origine & cauſa*, a qua productæ ſunt & natæ: omnis enim intellectiua cognitio oritur ex ſenſitiua. Sufficit autem vt aliquid dicatur patibilis qualitas, ſi vel *in ſe*, vel in *ſua origine paſſionem ſenſui* inferat.

Sequitur ſeries harum qualitatum patibilium. Et quia omnis patibilis qualitas eſt obiectum proprium alicuius ſenſus externi, ideo iuxta numerum quinque ſenſuum diuidi debet patibilis qualitas.

Omnis

Omnis *patibilis qualitas* est vel obiectum proprium

- *Visus*, & tum dicitur *qualitas visibilis*, quæ est triplex,
  - *Lux* quæ est splendor in corpore lucido & illuminato.
  - *Lumen* quod est splendor in corpore illuminato, & revera species lucis vt recte docet Zab.
  - *Color* qui est qualitas visibilis orta ex mistione lucidi & opaci, isque est vel
    - *Extremus* vt *albedo* & *nigredo*.
    - *Medius* vt *viriditas*, *rubedo*, *fuscedo*, &c.

  Stricte patibilis qualitatis.
- *Auditus*, & dicitur *Sonus*, qui est duplex,
  - *Fragor* qui fit ex collisione quorumvis duorum corporum, vt ex supplosione pedum.
  - *Vox*, quæ profertur ex ore animantis certis loquendi instrumentis, lingua, palato, & similibus.
- *Olfactus* & dicitur *Odor*, qui est vel
  - *Fragrans*.
  - *Fœtens*.
- *Gustus* & dicitur *Sapor*, qui vel est
  - *Dulcis*.
  - *Amarus*.
- *Tactus* & dicitur *tangibilis qualitas*, quæ est vel
  - *Prima*, quæ ex alia tangibili qualitate non oritur, tales sunt 4. *Calor*, *Frigus*, *Humiditas*, *Siccitas*.
  - *Aprimis orta*, vt sunt *durities*, *mollities*, & *temperatura* omnium corporum mistorum, lapidum, metallorum, plantarum, brutorum, hominum.

Dub. Dubitari hic merito videtur, an non affectiones illæ animi quæ *passiones & perturbationes* vocantur, inter patibiles qualitates, & in hac tertia specie reponendæ sint. Non reponi ex definitione ante posita liquet, quia *ex se non inferunt passionem vlli sensui*, neque sunt *obiecta propria vllius sensus externi*. Reponendas vero hac in classe testatur Arist. qui hoc cap. nu. 14. ita inquit, *similiter etiam in anima patibiles qualitates & passiones dicuntur*, & pro exemplis ponit amentiam & iram.

Sol. Respondeo, passiones istas animi, vt ego quidem arbitror, neque patibiles qualitates sunt, neque omninò qualitates. Ad Arist. vero dico, eum crassa Minerua, et minus accuratè ista hic tractare, & ideo posuisse ista pro exemplis patibilium qualitatum. Atque hoc ex eo conijcere licet, quia Amentia revera non est patibilis qualitas, sed *Impotentia vtendi ratione*, propter intemperiem aliquam cerebri; vel est *potentia debilis & infirma*, ratione vtendi, ideoque non ad hanc tertiam, sed ad secundam speciem qualitatis verè pertinet. Ira autem cuius meminit Arist. videtur esse inclinatio quædam naturalis ad irascendum, non propriè ipsa passio animi quæ *Iracundia* vocatur. Aut dici potest, hunc esse sensum verborum Arist. quod illi colores, calores aut similes qualitates sensibiles, quæ oriuntur ex perturbationibus animi, non minus inter qualitates patibiles, & passiones censendæ sunt, quam eædem qualitates cum ab alijs causis oriantur, nempe a corporum ipsorum temperatura: Sed si ab aliqua perturbatione firmiter inhærente proveniant, tum vocantur *patibiles qualitates*, vt pallor ex assiduo timore: si vero a passione aliqua subitanea, & facile mobili nascantur, vt verecundia aut timore dedecoris, tum *passiones* dicendæ sunt.

Perturbationes animi sunt actiones non qualitates. Sed quare non sunt istæ perturbationes patibiles qualitates? Duplex ratio afferri potest: prior sumitur ex illa definitione atque essentia qualitatis patibilis quam ante tradidi, quæ est, *inferre ex sese passionem sensui alicui vt illius proprium obiectum*, quod non facere istas perturbationes certum est. Quin & hoc insinuat ipse Arist. Nam nu. 10. ait, ac probat, dulcedinem, calorem ac frigus *esse patibiles qualitates, quia sensui passionem inferre apta sunt*. Quare si qualitas patibilis esset Genus perturbationum animi, certè vna atque eâdem ratione, dicerentur illæ patibiles qualitates, qua calor & frigus dicuntur, nempe quia inferunt sensui passionem: aliter patibilis qualitas (quæ Genus earum supponitur) non prædicabitur vniuocè de omnibus suis speciebus. Altera ratio est, quia si quis diligenter perpendat naturas harum perturbationum, inveniet eas revera nihil aliud esse quam *Actiones quasdam immanentes animæ sensitiuæ*, quas actiones sequitur commotio quædam Spirituum ac humorum in corpore, & ita quædam passio corporis. Nam ira est in sua essentia *ipsa actio animi qua appetimus vindictam*, id est, appetitio vindictæ: Amor ipsa *appetitio & actio desiderandi obiectum illud quod vt iucundum apprehenditur*: Odium, ipsa

ipsa aversatio obiecti quod ingratum ac molestum putatur. Ex quo fit vt nulla talis passio vel perturbatio in dormiente sit, dum dormit, aut in eo qui est animo ita sedato ac tranquillo, vt nihil vel appetat, vel fugiat. Et quidem omnes hæ affectiones ita se habent ad potentias istas naturales ex quibus proveniunt, sicut sensatio, ad potentiam naturalem sentiendi; aut intellectio, ad potentiam intelligendi. Nam sensatio est *actio ipsa proveniens a potentia sentiendi, qua iudicamus & decernimus* colorem huius esse album non nigrum, aut sonum acutum non gravem: aut saporem suavem, non amarum. Eodem plane modo, a potentia naturali appetendi, quæ *Appetitus* dicitur, quæque est in omni animali, oritur *Appetitio*, id est, *actio animi qua cupimus* & appetimus obiectum iucundum; ex naturali potentia timendi, oritur *timor* seu *actio illa qua timemur*: vel ne obiectum desideratum non assequamur, vel vt non desideratum assequamur, similiter in reliquis. Quare sicut *Sensus ipse*, id est potentia naturalis sentiendi, & *Intellectus*, id est naturalis potentia intelligendi, sunt qualitates secundæ speciei, sed *sensatio*, & *intellectio*, actiones sunt non qualitates; itidem plane potentiæ naturales appetendi, iratscendi, timendi & similes, vere *qualitates* sunt in secunda specie repositæ, sed *Appetitus* vel potius *Appetitio*, *ira*, *timor*, sunt actiones non qualitates. Atque hoc docet non obscure Arist. in cap. de Actione, vbi inter actiones recenset *Lætari*, ac *Dolere*, quæ eadem sunt cum lætitia seu gaudio, ac dolore, quæ sunt affectiones animi.

Quia vero vt dixi, has animi actiones seu perturbationes semper sequitur spirituum ac humorum concitatio, vt ex *ira* commoveantur primò spiritus in cerebro, illi concitati commovent spiritus in corde, & eorum commotionem sequitur fervor & ebullitio sanguinis circa cor: itidem ex *amore & vehementi desiderio* obiecti iucundi comoventur spiritus primò in cerebro, tum in corde, vnde existit ille æstus & ignis quo ardent amantes: Hinc fit vt istæ affectiones animi, licet *in se ac sua essentia* sint actiones, tamen *passiones animi* dicantur, non quia vel ipsæ passiones sint, vel inferant passionem sensui, sed vel quia ipsæ ex *passionibus & obiectis* sensuum oriuntur, vel quia ex ipsis, *passio quædam sensibilis oritur in corpore*, & sensibus: atque ita passiones dicuntur non *formaliter* quidem, sed vel *effectivè & causaliter*, quia procreant & efficiunt semper qualitates eiusmodi quæ propriè patibiles sunt, aut passiones, & sensui passionem inferre possunt: vel *originaliter* quia ex talibus oriuntur. Præterea quia omnes istæ actiones animi versantur circa illa obiecta sensuum, quæ animali naturaliter qua animal est, iucunda sunt aut molesta, ideoque naturaliter ea vel appetimus vel fugimus, quæ ratio tamen sæpe docet non appetenda esse aut non fugienda; hinc oritur intestinum illud bellum & lucta in homine, inter *appetitum*, & *rationem*, & quia appetitus sæpissime avocat & abstrahit hominem ab eo quod recta ratio suadet appetendum non esse, ideo affectiones istæ *Perturbationes animi* in homine dicuntur,

cantur, quia perturbant non iudicium ſolum ſed operationes rectæ rationis.

Dixi quid mihi de *Perturbationibus* animi videatur: quia tamen a multis ad hanc ſpeciem Qualitatis referuntur, & earum cognitio ad omnes fere Philoſophiæ, imo totius vitæ partes maximè neceſſaria eſt, ideo hic pauca quæ ad earum intelligentiam maxime conducunt, adijcium.

Paſſio animi quid.

Paſſio ſeu perturbatio animi, eſt Affectio immanis animæ, qua oritur ex apprehenſione obiecti alicuius, vel vt delectabilis ſibi, vel vt moleſti, ſecundum quam animal hoc vel illo modo affici dicitur, & agere, tam circa adquirendum & euitandum, quam circa fruitionem & amiſſionem illius obiecti. Nam fons & cauſa omnium perturbationum, eſt apprehenſio obiecti, non quovis modo, ſed vt eſt *delectabile*, vel *moleſtum*. Sic autem apprehendere obiectum non poteſt in animali, vel ſenſus externus, vel ſenſus ille qui communis dicitur, ſed ſola Phantaſia; illa ſola apprehendit obiectum non nudè quidem & vt rem vere exiſtentem, ſed ſub ratione *boni aut mali*, id eſt, *delectabilis aut moleſti*. Atque hoc iudicium phantaſia exereet non modò præſente externo obiecto, ſed etiam eodem abſente. Species enim obiectorum ſemel receptas, phantaſia memoriæ commendat, in eaque reponit, & quaſi in quodam libello inſcribit. Illas ſpecies ſic inſcriptas in memoria, Phantaſia quando & quoties vult inuetur, ac quaſi legit, ac relegit pro libito; ex quo fit, vt phantaſia apprehendat & videat in illo ſuo libro, hoc aut illud obiectum etiam cum abſens eſt, iucundum ſibi aut fuiſſe, aut fore, itidem etiam moleſtum. Obiecto ſic per phantaſiam apprehenſo, incipit tum appetendi facultas ſuas partes agere, & pro diverſa apprehenſione obiecti, vel amare illud vel odiſſe, vel proſequi, vel fugere ac declinare. Atque hinc oritur diverſitas illa affectionum animi, quibus quotidie agitamur.

Paſſiones animi novem.

Sunt autem in vniuerſum *Affectiones animi* novem, *voluptas* & *Dolor*, *Amor* & *Odium*, *Spes* & *Deſperatio*, *Timor* & *Confidentia*, atque *Ira*; quæ omnes tam in obiecto delectabili, quàm in moleſto cerni poſſunt,

Obiectum

Obiectum delectabile consideratur 4. modis.

- *Ante fruitionem sed in prosequutione*, & tum apprehenditur
  - *Vel vt tale quod possumus assequi*, & hinc oritur *Spes*: possumus autem illud assequi
    - *Vel non sine magna difficultate*, & hinc oritur *Timor*.
    - Vel *facili*, & hinc oritur *Confidentia*; vel *non sine resistentia aliorum* qui *remoram nobis & impedimentum obijciunt ne assequamur*, & tum oritur *Ira*.
  - *Vel vt tale quod non possumus vllo modo assequi*, & hinc oritur *tristitia cuiuncula desperationi*.
- *Ante fruitionem simul & prosequutionem*, & hinc oritur *Amor* seu desiderium eo fruendi.
  - In *fruitione*, & *tum* oritur *voluptas* & *gaudium* quod quietat appetitum.
  - In *amissione*, & tum oritur *dolor* seu *tristitia*.

Simile omnino de obiecto *molesto* dicendum est. Nam si consideretur antequam vel eveniat, vel nos fugiamus ipsum ac vitemus, tunc oritur *odium* seu *aversatio* illius, ac *detestatio*. Si dum fugiamus & ipsum nondum acciderit, videatur nobis tale quòd nullo modo effugere ac vitare possimus, tunc oritur *tristitia cuiuncula desperationi*. Sin videatur tale vt vitare possimus, oritur *Spes effugiendi*: quod si videatur tale vt non possit sine magna difficultate vitari, oritur *Timor ne viretur*? Si tale vt vitari posse videatur, tunc oritur *Confidentia*: Sitale, quod alii nos impediunt effugere, oritur *Ira*. Si consideretur cum evenerit, inde oritur *Dolor* seu *tristitia*: Si cum vitetur, tum inde oritur *Gaudium*, *Letitia* ac *voluptas*.

Si quis autem *Misericordiam* & *Invidiam* istis adiungendas obijciat, *Dub.* dicendum est, illas quidem esse passiones animi, sed non distinctas a *Sol.* nominatis, nam ambæ sub *tristitia*, aut *dolore* continentur. Etenim *misericordia est dolor ac tristitia de alienis malis aut miseriis, quum quis dolet alteri male esse*: *Invidia autem est tristitia aut dolor de alienis bonis, tum quis dolet quod alteri bene sit*. Idem de *Amicitia* dicendum, nam hanc etiam sicut misericordiam ac Invidiam, inter affectus animi enumerat Arist. 2. Eth. ca. 5 Vt enim illæ ad dolorem, ita Amicitia ad *amorem* pertinet, est enim nihil aliud quam *mutuus amor aut benevolentia ex virtute proficiscens, si vera sit*; *alioquè verò si vulgaris*.

Sed videntur *voluptas* ipsa & *dolor* non esse affectiones; nam Arist. describit affectus animi eos esse, *quos voluptas aut dolor sequi-* *Dub.*

untur.

tur & comitatur, tum 2. Eth. cap. 5. tum lib. 2. Ethic. ad Eudem: iam voluptas & dolor sese non sequuntur, atque hæc ratio movit Peccolom. Grad. 1. cap. 11. vt penitus expungeret hæc duo ex numero affectionum.

sol. Responsio non est difficilis: voluptas aut dolor sequitur omnes passiones, *quæ præcedunt vel adeptionem & amissionem obiecti desiderati*, vel *accessum & evitationem obiecti molesti*, puta amorem, odium, Spem, iram & reliquas; & hoc voluit Arist. Sed eas quæ respiciunt obiectum vt *adeptum* si desideretur, vel vitatum, si fugiatur, eas inquam voluptas aut dolor non sequitur; nam affectiones illæ sunt ipsa voluptas & dolor. Loquitur etiam Arist. de voluptate & dolore, sensitivo, quorum alterum, semper est affectionum (eo quo dixi sensu) comes, & quicquid alterum eorum *per sese* sequitur, id est, affectus animi; nam voluptas, quæ virtutis actiones & ipsam virtutem insequitur, non est corporea & sensitiva, sed voluptas animæ rationalis & mentis. Quare Arist. lib. 2. Eth. ad Eudem: vtramque particulam a nobis additam expressit, dicens, *& in vni versum affectus voco quæ per se voluptas tristitiave sensitiva sequitur.* Ecce, *per se & sensitiva.*

Definitiones affectionum animi. Ex his quæ dicta sunt, facile est quemvis affectum definire. *Amor*, est, *Actio immanens, vel actio animi qua obiectum delectabile cupimus tum adipisci, tum adepto frui: Odium est* actio immanens, vel affectio animi, qua aversamur & declinare cupimus obiectum molestum. *Timor* est actio immanens, vel affectio animi, qua metuimus ne vel obiectum quod desideramus & persequimur, non assequamur, vel obiectum quod declinare cupimus, assequamur. *Ira est* immanens actio, vel affectio animi, qua appetimus vlcisci iniuriam oblatam nobis ab eo qui impedit, vel ne obiectum desideratum assequamur, vel ne obiectum quod aversamur, declinemus. *Voluptas* est actio immanens vel affectio animi qua lætamur & gaudemus quod obiectum amatum & desideratum adepti sumus, eoque fruamur. *Dolor* est actio immanens, vel affectio animi, qua tristamur, vel quod obiectum desideratum adipisci ac frui non possumus, vel quod molesto obiecto premimur nec illud vitare possumus; & ita in alijs.

Passiones animi communes vtrique Corpori. Omnium autem passionum animi *communis effectus est* quod Spiritum, primò, in cerebro, tum in corde & alijs partibus corporis commoveant. Hoc in amore, & ira, antea declaratum est. Idem in timore, tristitia atque dolore cerni potest. Nam sicut nos ipsi cum timemus, ita spiritus nostri quantum valent, refugiunt id malum quod vt impendens apprehenditur, & ideò a cerebro in cor, velut in arcem corporis, & fontem vitæ se recipiunt: quod idem fit in *dolore* cum malum advenerit; tum enim phantasia apprehendens id vt inimicum, efficit vt Spiritus quantum possunt refugiant, atque ex hac fuga Spirituum ad cor, evenit sæpissimè vt cor aggravetur, & Spiritus vitales Cordis ita opprimantur & suffocentur, vt ad alias corporis partes vitam transfundere nequeant, ideoque interitus inde sequitur.

Contrari-

Contrarium fit in *Gaudio, Voluptate, & Lætitia*: ſicut nos ipſi, ita ſpiritus omnes vitales, obiectum deſideratum avidè recipere geſtiunt; ideo è corde in exteras omnes partes præſertim in cerebrum ſe diffundunt, velut in occurſum procedentes, aut prorumpentes in amplexum obiecti. Ex hac ſubita eruptione ſpirituum è corde, evenit non raro vt arcè vitæ deſerta, mors præſentanea inſequatur, & ſubita; nam ſtatim, momento vno, ipſam arcem corporis mors occupat, non vt in obſidione fit, extimas primo, tum interiores partes. Idem in reliquis paſſionibus declarari poſſet. Sed hæc Exempli cauſa ſatis multa. Ex hac etiam commotione ſpirituum, contingunt colores varij, & aliæ qualitates in corpore, vt ex timore & invidia *pallor*, ex ira *rubor*, ex triſtitia & dolore *langvor*, ex lætitia & Gaudio *vegetum* ſit corpus: Quare vt illa nutritioni & ſanitati corporis inimica, ſic hæc ad vtrumque magnum momentum habet.

Dices, ſi hæc effecta omnes paſſiones conſequantur, quid dicendum erit de paſſionibus illis Amoris, odij, iræ, voluptatis & doloris, quæ ſunt in Angelis, & Animabus ſeparatis. Certum eſt enim in illis paſſiones has non poſſe tales corporeos effectus producere, cum corpora non habeant. *Dub.*

Reſpondeo, ea quæ hactenus de illis paſſionibus dicta ſunt, de ſolis illis accipienda eſſe quæ in Animalibus reperiuntur, brutis vel hominibus. Hæ autem Actiones Amoris, odij, iræ, voluptatis, doloris, & ſimiles quæ in animalibus omnibus *paſſiones*, in hominibus *Perturbationes* dicuntur, vt ſunt in Angelis & Spiritibus, nec *paſſiones* ſunt, nec *perturbationes*, ſed in illis ſine paſſione omni, multo magis ſine commotione corporea, inveniuntur. Nam illis amor, Gaudium, & ſimilia, ſunt nihil aliud quam *actiones immanentes quæ ex perceptione obiecti delectabilis vel moleſti oriuntur*; atq; hæc eſt eſſentia harum affectionum; Efficere autem commotionem in corpore, aut perturbare rationem, aut oriri ex ſenſitiva perceptione obiecti, iſta accidentalia ſunt, & extrinſeca; ideo iſta omnia ab amore, odio, gaudio & triſtitia Angelorum reipſa ſeparantur, quæ omnia in animalium affectionibus coniunguntur. *Sol.*

Poſtremo loco de his paſſionibus obſervandum, eas *ex ſeſe nec bonas nec malas, ſed ſolum ex accidente, prout quis eis vtitur bene aut male*. nam ſi in his medium obſervetur, bonæ ſunt; ſi ad nimium aut parum declinetur, in vitio ſunt: eas autem frænare, eſt virtutis opus: vt cum per amorem ad quodvis delectabile incitemur, efficit virtus, vt non amemus aut appetamus quidquam delectabile, niſi quod oportet, & quomodo oportet; Et cum per appetitum, naturaliter fugiamus omnia moleſta, ijsque triſtemur, facit virtus, vt libenti animo multa moleſta, perpeſſu aſpera, et ſi neceſſe ſit, ipſum mortem toleremus. Idem in alijs omnibus animi paſſionibus dicendum eſt. Sed de his ſatis multa, hoc præſertim loco, in quo ſi ſtrictè atque accuratè agendū eſſet, de paſſionibus iſtis animi nihil dictum oportuiſſet. *Paſſiones animas eſſe nec malas, ſed ſolum ex accidente, bonas nec malas.*

Supereſt quarta & vltima ſpecies Qualitatis, quæ eſt *Forma ac Figura*, de qua duo itidem videnda ſunt, primo *quid ſit* hæc Species, ſecundo *quæ illius Series*.

Nomen *Formæ*, non hic ſumitur pro *forma ſubſtantiali*, quæ dat eſſe corpori, ſed pro *externa forma & delineatione* Corporis. Ea verò ſic accepta eſt eſſentiâ eadem cum figura, & vtraque ita definiri poteſt. *Forma ſeu Figura eſt qualitas ſenſibilis, per ſe, qua magnitudo alicuius corporis terminatur.* Nam magnitudo ipſa quantitas eſt, non qualitas: Sed externa delineatio, figuratio, & terminatio magnitudinis, ea eſt quæ qualitas eſt: talis eſt externa illa & inter omnia corpora pulcherrima delineatio & proportio membrorum in homine: huius Generis eſt externa proportio & figura domus, cathedræ, & ſimilium. Nam externa illa proportio & terminatio magnitudinis, *in rebus artificialibus figura*, in rebus *naturalibus forma* vocatur, neque aliter differunt inter ſe *forma* ac *figura*.

Forma & figura quid.

Ex his liquet, quomodo hæc quarta ſpecies qualitatis diſtinguatur ab omnibus aliis. A prima & ſecunda differt, quod qualitates quæ in illis reponuntur ſunt *inſenſibiles*, quæ in hac quarta claſſe omnes ſunt *ſenſibiles*. A tertia Specie differt quod qualitates quæ ibi ponuntur, ſunt ſenſibiles non ſolum *per ſe, ſed etiam primario, atque ab vnico ſenſu externo*. Quæ vero in hac quarta ſpecie collocantur, *ſenſibiles quidem ſunt per ſe, ſed nec primario nec ab vnico ſenſu*: nam Magnitudo & Figura ſunt communia obiecta ſenſuum, vt docet Ariſt. lib. ſecundo de Anim. ca. 6. i deoque a pluribus ſenſibus percipi poſſunt, vt figura ex viſu & tactu. Quæ omnia facilius percipientur, ſi hæc diſtinctio diligenter obſervetur.

Quomodo forma & figura differant ab aliis.

Aliquid ſentitur tripliciter:

- *Per ſe & primo, quod ſuam ſpeciem imprimit in ſenſum*, idque *primo*, vt color, ſonus; & hæc ſunt ſolum propria obiecta ſenſuum, & in tertia ſpecie Qualitatis.
- *Per ſe ſed non primo*, quod *ſpeciem ſuam imprimit in ſenſum ſed ſolum ſecundario, & cum aliis*; talia ſunt obiecta communia ſenſuum. Motus, Quies, Figura, Magnitudo: per ſe ſenſibilia ſunt, vt docet Ariſt. ſecundo de Anim. ca. 6. ideo ſuam ſpeciem imprimunt, ſed nunquam ſola, nec primo imprimunt; nam magnitudo non poteſt videri niſi cum colore, aut lumine, quæ prius afficiant ſenſum.
- *Per accidens & nec per ſe nec primo*, quod *ſpeciem ſuam non omnino imprimit in ſenſum, ſed ſolum ſentitur per ſua accidentia, quorum ſpecies ſenſus imprimuntur.* Sic ſubſtantia.

Dub. Dices, figuras non eſſe per ſe, imo nec omnino ſenſibiles, nam certum

tum est Mathematicum considerare figuras, & de ijs demonstrationes conficere, vt de Triangulo. Mathematicus autem abstrahit quantitatem à sensibili omni qualitate, vt docet Arist. tum alibi sæpe, tum 11. Metaphys. ca. 3. vbi ait, *Mathematicus tollendo omnia sensibilia, ita speculatur.*

Respondeo, Arist. loqui de sensibilibus per se primo, & ab omni tali sensibili vere abstrahit Mathematicus. Nam quod ab omni sensibili simpliciter abstrahat, ab eo inquam, quod per se & secundario sentitur, impossibile plane est, cum magnitudo ipsa et figura quas contemplatur, sint eo modo sensibilia. Sed vtrum illa magnitudo aut figura quam speculatur, sit mobilis, aut immobilis, alba vel nigra, calida vel frigida, rara vel densa, gravis vel levis, dura vel mollis, nihil omninò ad Mathematicum spectat. Ab his igitur per se primo sensibilibus, non simpliciter ab omnibus sensibilibus abstrahit. *Sol.*

Sequitur nunc Series figurarum: Sunt autem figuræ prope infinitæ, quæ ad tria capita reduci possunt. Primum est *figura rerum naturalium*, sic Cœli et elementorum figura rotunda est: Mixtorum quam multiplex sit, quis numerare potest? Alia est figura Cometæ, alia nubis, alia pluviæ; alia metallorum, alia lapidum, alia reptilium, alia hominis. Secundum est *figura rerum artificialium*, sic alia est figura domus, alia navis, alia mensæ, alia Cathedræ, alia Ensis, alia vomeris, alia bombardæ, et ita percurrendo omnia quæcunque arte fiunt. Tertium *est figura rerum Mathematicarum*, quò spectant figura Triangularis, Quadrangularis, Sexangularis, et ita in infinitum. *Species Figuræ.*

Atque hæc de Qualitate, illiusque omnibus speciebus dicta sint.

Cap. XIIII.

De Actione.

Sequuntur sex posteriora prædicamẽta, quæ sunt minus principalia; tum quia ex reliquis dependent, et ex substantia cum vno ex tribus prædicamentis accidentium oriuntur; tum quia cognitio horum magna ex parte ex præcedentibus peti debet. Ideo Arist. in his brevior est, vti et nos etiam futuri sumus.

Primam horum, est *Actionis prædicamentum*, de quo tria declaranda sunt. Primo *quænam Actio sit summum Genus*, et quomodo describatur. Secundo *quæ illius proprietates*. Tertio *qua ratione*. Vt primum explicetur, obseruanda est illa distinctio, quam ponit Arist. 9. Metaph. cap. 9.

Actio Transiens & Immanens.

Actio est duplex,

Transiens, quando ab agente, in patiens aliquid transit, aut producitur in eo, vt cum aqua calefit, calor producitur in aqua per actionem ignis.

Immanens, quando ab agente, nihil transit in vllum patiens, nec in eo producitur, sed tota operatio manet in ipso agente; vt cum quis intelligit aliquid, actio ipsa intelligendi totaliter manet in ipso agente, non transit in vllum aliud patiens.

Actio in Genere est Summum Genus.

Sunt nonnulli qui in Actionis prædicamento solas Actiones transeuntes ponant, sed illi longissimè a vero absunt. Certum est enim, Actionem immanentem *Ens esse & in aliquo prædicamento reponi*: in nullo verò alio nisi in Actione collocari potest. Præterea, cum Actio verè prædicetur de *Immanente*, non minus quam de *Transeunte*, cur illam excludamus, non hanc? imo cum de vtrisque *univoce* dicatur Actio, cumque sit idem univocus conceptus *Actionis* in vtraque, cur non vtriusque Genus verum & vnivocum esse fateamur? Pro certo igitur tenetur, *Actionem in Genere, quæ vtramque tam immanentem quam transeuntem complectitur, genus esse summum huius prædicamenti.*

Actio non est relatum secundum esse.

Atque hinc consequitur, verum id esse quod alibi diximus, *Actionem quæ est summum Genus, non esse relatum secundum esse*, sed solum secundam dici. Si enim relatum esset in sua natura & essentia, certe neque esset neque intelligi posset vlla Actio, sine passione: At in Actione immanente passio nulla est, nec vllum patiens. Quid enim patitur, in actione videndi, aut intelligendi? Qua de re rectissimè scripsit Aquin. part. 1. quæst. 23. art. 2. *Dicendum est, inquit, quod Actiones in exteriorem materiam transeuntes, inferunt extra passionem, vt Calefactio, & secatio, non autem actiones in agente manentes, vt sunt intelligere & velle.*

Actio quid.

Describi potest Actio, quæ est summum Genus, in hunc modum. *Actio, est accidens absolutum, subiectiuè in agente inhærens, perquod subiectum formaliter dicitur agere, quocunque modo, vel actione immanente, vel transeunte.* In qua descriptione 4. particulæ notandæ sunt, quibus Actio ab omni alio ente secernitur. Prima est, quod sit *accidens absolutum*, non igitur relatum secundum esse, nam nullum tale est absolutum. Secunda quod *inhæret in agente*: Nullum enim accidens potest denominare illud subiectum cui non inhæret; quum igitur actio denominet subiectum agens, erit subiectiue in ipso agente. Quando autem Arist. lib. 3. de Anim. cap. 2. ait *Actionem & passionem*

non non esse in agente, sed in eo quod patitur, Actionem sumit pro ipso *effectu actionis*, & vt ipse se exponit, pro *agentis motu ipsaque operatione*, non propriè, pro eo accidente, ex quo agentes dicimur. Tertia quod per *Actionem subiectum dicatur formaliter esse agens vel agere*. Etenim per *substantialem formam* etiam aliquid dicitur agere, vt homo per animam sensitiuam sentit, et ignis, per suam formam calefacit: Etiam per *artem* aliquis dicitur agere, vt architectus per artem ædificandi, domum extruit. Etiam per *instrumenta* aliquid agit, vt per calorem ignis calefacit, per ferrum ligna diuidit opifex, per oculos homo videt; tamen ex nullo horum dicitur agens *formaliter* esse agens, sed solum per *actionem ipsam*. Ista igitur sic distinguuntur. Aliquid agit *originaliter* per formam: *Habitualiter* per artem, *Instrumentaliter* per organa, *Formaliter* per Actionem. Quarta est, quod agens actionem dicitur agere, *vel immanentem vel transeuntem*; ita Actio quæ est summum Genus vtramque Actionem comprehendit, tam *immanentem* quam *transeuntem*.

Ex his consequitur vitiosum esse illam Actionis definitionem, quam Poretanus tradit, quem vulgus interpretum sequitur. *Actio est secundum quam in id quod subijcitur agere dicimur*. Etenim hæc definitio soli transeunti conuenit, non immanenti, cum in immanente nullum sit patiens, nec quod subijciatur, vt ille loquitur, actioni agentis. Sed neque transeunti conuenit, nisi candide accipias illud, *Secundum quam*. Nam & secundum formam, & secundum habitum, aut artem, & secundum instrumentum agere dicimur in patiens; addenda igitur est vox illa expressa a nobis *Formaliter*, quomodo secundum actionem solum agere dicimur.

Proprietates Actionis sequuntur. Duas ponit Arist. prior est, *Actioni aliquid est contrarium*, vt calefactio frigefactioni. Hoc autem conuenit neque omni Actioni, non enim visioni; neque soli actioni, nam etiam qualitati. Quare communitas est verius quam proprietas. Vtque intelligamus quænam actiones contrarium habeant, & quæ non, tenenda est hæc regula. Cum omnis actio proueniat vel a forma vel ab aliqua naturali potentia subiecti, vel ab alia qualitate illius subiecti, si illud vnde actio proueniat habeat contrarium, etiam ipsa actio alicui contrariatur; vt Calefactio ex calore prouenit, ideo ei frigefactio contraria est, sicut calori frigus contrariatur. Sin illud vnde actio prouenit, non habeat contrarium, neque actio ipsa vlli contrariatur. *Proprietates Actionis.*

Secunda est. *Actio suscipit magis & minus*. Et hæc quoque communitas est non proprietas, nam neque omni actioni conuenit, neque soli: & explicanda est vt prior, quòd nulla actio per se suscipit magis aut minus, sed per accidens, gratiâ nimirum illius vnde oritur.

Series Actionum, non potest commodius explicari quam iuxta ordinem potentiarum naturalium quæ fluunt ab essentia specierum substantiæ. Specierum inquam, non summi Generis, nam eius essentiam sequitur potius potentia patiendi quam agendi. Et quod vulgo dicitur,

citur, *Actiones insequi formas*, id generaliter verum est, sumendo *formam* non *stricte* pro forma Physica, sed *largius* vt comprehendit differentias spirituum quæ formis correspondent; nam ab illis vt a formis Physicis actiones proveniunt. Actiones autem aliquando proveniunt a formis *immediatè*, vt cum Spiritus intelligit: aliquando *mediante potentia naturali*, vt cum animal videt aut sentit, mediante potentia videndi aut sentiendi: aliquando *mediante non solum potentia naturali, sed alia qualitate*, vt cum ignis calefacit, mediante calore, cum homo ædificat mediante arte. Semper vero a forma (largè accepta) vel immediate vel mediate proveniunt actiones: Quare iuxta ordinem specierum Substantiæ, commodissimè describi potest actionum Series. Nos exemplar solum hic (vt fecimus in Serie potentiarum naturalium) proponemus, exactam verò & accuratam seriem, alijs describendam relinquimus. Actiones igitur sunt:

Series Actionis.

Spiritus, intelligere sine phantasmate recepto a sensu.
Corporis implere locum, circumscribere aliud corpus.
Cœli, illustrare sua luce orbem inferiorem, inque eum influere.
Elementi, agere in suum contrarium, &, si potest, corrumpere.
Ignis, calefacere simul et siccare.
Aeris, humectare simul & calefacere.
Aquæ, frigefacere simul & humectare.
Terræ, frigefacere simul & siccare.
Meteorum, cito evanescere propter imperfectam mistionem.
Metallorum ac lapidum actiones sunt, illarũ virium exercitia quæ naturaliter illis tribuuntur, vt in Magnete attrahere ferrum, in Carbunculo lucere medijs tenebris, in Electro venena si infundantur, detegere.
Viventis, vivere, (nam ipsa vita Actio immanens est, vt docet Arist. lib. 9. Metap. cap. 9.) cibum attrahere, digerere, concoquere.
Plantarum tot actiones sunt quot a diversis viribus Plantarum procedunt: aliæ calefaciunt vt Absynthium, Malua; aliæ refrigerant vt cicuta, Solanum; alia humectant vt Intubum, lactuca. Alia siccant vt fœniculum, Anethum & similia.
Animal is sentire quovis sensu, videre, audire, gustare, imaginari, appetere, avertari, amare, odisse, irasci, timere, gaudere, tristari.
Brutorum diversæ sunt pro diversis speciebus, piscis nat, avis volat, serpens repit, bos mugit, leo rugit, canis latrat, equus hinnit, & sic in reliquis.
Hominis intelligere per phantasmata recepta a sensibus, ratiocinari, discere ac docere artes, ridere, flere, agere secundum virtutes tam morales quam intellectuales, beatè viuere atque fælicem esse. Atque hic de Actione finem facelem loquendi, nisi vnum aut alterum dubium videretur explicandum.

Dub.

Primum est de eo, quod posuimus Sensationem inter Actiones: iam *Sensum esse passionem* vulgo asseritur, et atio astipulari videtur, quia

quia sensatio fit per receptionem specierum sensibilium in organa.

Respondeo, duo sunt in visu et omni Sensatione. Vnum est *recepti*o *speciei* in organum seu Sensorium, alterum est, *iudicium de hac specie recepta*. Prius quidem est passio, nam organum recipiendo speciem, pati non est dubium: Sed in hoc non est sita sensatio; nam fieri potest vt quis apertis oculis recipiat speciem alicuius obiecti, qui tamen non videat illud obiectum, quia animo alijs rebus vehementius intento, Sensus non iudicat nec discernit quidquam de illa specie vtrum obiectum album sit aut nigrum. *In iudicio autem, & in hoc alia differendi ac iudicandi hoc* esse album non nigrum, *posita est Sensatio*, vt perspicue docet Arist. 2. Demonst. cap. vlt. vbi vocat *sensum, vim Iudicatiuam*: & ideo Sensatio est veré actio immanens. Docet hoc Aquin. part. 1. quæst. 18. art. 3. & 1. Secundæ, quæst. 3. art. 2. *Est*, inquit, *duplex actio, vna quæ transit in exteriorem materiam vt calefacere, secare, alia quæ manet in agente, vt intelligere, sentire, velle.* Quid clarius? Sentire, i. Sensationem asserit esse actionem, eamque immanentem. Quin & Arist. 9. Metaph. cap. 9. hoc idem expresse docet, *Quorum*, inquit, *non est aliud opus præter actionem, in ipsismet actio est, vt vbi in videre, Speculatio in Speculante, & vita in anima.* Sic ille. Ne quis nuperum existimet quod Sensatio inter actiones hic recenseatur. Est enim reverà *formaliter Actio, originaliter solum & antecedenter passio*, quia receptio Speciei, quæ est passio, sensationem antecedit. *Sol.* *Sensatio est Actio.*

Secundo dubitari potest de Intellectione, quam nos inter actiones numeravimus, cum tamen Arist. lib. 2. de Ami. cap. 4. docet *Intelligere esse quoddam pati*, ideoque intellectio potius inter passiones censenda est. *Dub.*

Dicendum hic idem quod modò de Sensu, Intellectionem esse *formaliter* actionem, id quod ex Arist. 9. Metaph. et Aquinate probatum est; *originaliter* verò tantum seu *antecedenter* Passionem, quia oritur ex passione nempe receptione Specierum intelligibilium in mentem. Etenim non satis est ad intellectionem, recipere talem speciem, sed requiritur vt mens de illa Specie iudicium ferat, in quo actu iudicandi posita est essentia ipsa intellectionis. Quod vt clarius explicetur, dico ad Intellectionem sicut ad visionem requiri quatuor: primum est *obiectum* vt Color: Secundum, *lumen* vt conditio requisita ad obiectum vt actu moveat visum. Tertium *receptio speciei obiecti* (sic illaminati) in organum videndi. Quartum *Iudicatio de obiecto* per illam speciem recepto, quod tale sit, puta albedo, & in hoc quarto ponitur ipsa essentia visionis. Idem fit in Intellectione; primo requiritur *obiectum intelligibile* quod moveat intellectum, et hoc est phantasma seu species recepta in phantasiam: quamvis autem illa species sit tantum rei particularis prout a phantasia aut sensu apprehenditur, quia nullus sensus potest vniuersalia percipere, tamen in eo particulari latent vniuersalia, quæ sunt essentiæ & quidditates rerum singularium; & omnia hæc tam singularia quam vniuersalia in illis latentia, ex ese *Sol.* *Intellectio est Actio.*

apta sunt movere intellectum, ideo vere intelligibilia sunt & motiva intellectus. Secundo requiritur *lumen quoddam* vt conditio necessaria, quo phantasmata illa quæ adhuc solum sunt motiva in potentia, actu moveant intellectum, cum ad illa convertitur: & hoc lumen vocatur ab Arist. *Intellectus agens*, & lumini ab eodem aptissimè comparatur, lib. 3. de Anim. ca. 5. quia sicut lumen colores qui erant potentia visibiles & motivi visus, actu visibiles facit & actu movere visum, ita intellectus agens facit phantasmata recepta in sensus, quæ erant solum potentiâ intelligibilia, & motiva intellectus, actu intelligibilia, & ita conspicua, vt actu moveant intellectum. Et sicut colores omnes per lumen videntur, ipsum autem lumen, per seipsum solum videtur, & non per aliud; itidem per intellectum agentem, alia omnia intelliguntur, ipse vero ille intellectus agens, non per aliud quod magis est ipso conspicuum, sed per sese solum intelligitur, quoties intelligitur. Iam si quæratur quid sit hic *intellectus agens*, Philosophi de hac re consulendi sunt. Ego vt paucis hoc obiter annotem, non dubito esse *lumen illud primum, summum & æternum, cum ipsum qui se lucem vocat, quique illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Neque aliud intellexit ipse Arist. Nam vt alia omittam, lib. 3. de Anim. ca. 5 dicit Intellectum esse quoad *substantiam, actum seu operationem*, & *nihil aliud esse quam id quod est*, id est, nihil præter suam puram ac simplicem essentiam, ideoque esse *expertem passionis*, semper *intelligentem*, & solum esse *immortalem ac perpetuum*. Certum est autem, nihil esse præter *Deum opti. max.* de quo ista verè dici possunt: ille solus est sua operatio, alijs omnibus operationes accidunt, & essentiæ ipsorum superadduntur. Ille solus est id quod est, & nihil præterea, quia accidentia in eo nulla sunt aut esse possunt, ideoque semper intelligit, cum sit sua ipsius intellectio; ille solus impassibilis, quia solus accidentis quod illi inferatur, capax non est; ille solus immortalis ac perpetuus, quia solus talis vt non possit mori aut non esse, cum sit ipsum esse; alia omnia talia sunt vt non repugnet ipsis non esse, & vere de omnibus dici potest, non fuisse: quod autem deinceps perpetuo sint, imo quod omnino sint, ab eo solo habent qui ex se est. *Intellectus igitur agens non est aliud quam Deus*, iuxta Arist. Atque hoc non Zabar. solùm docuit, quanquam illustrauit magnoperè: tenuere hanc sententiam multi, ijque Doctores Canonici, vt testatur Caiet. com. in part. 1. q. 79. art. 4. Et quanquam Aquinas contrarium asserat, ratio tamen illa, quam vt obiectionem ponit, tum Qu. citata, tum in Quæst. disp. de Spirit. Creat. art. 10. tam evidens est, vt non facile dissolvi possit. Sed hæc satis multa, ad declarandum tum quod sit lumen necessarium ad intelligendum, tum quidnam illud *lumen sit*. Tertio requiritur, vt *Phantasmata sic illuminata moveant intellectum*, et imprimant in eo species intelligibiles: nam recipit quidem intellectus in se species, licet forte easdem non reservet (magis quam oculus species visibiles) sed easdem, quando et quoties libitum est, a Phantasia imprimi sinit, et

Intellectus Agens quid.

vel

vel in phantasia, vel in memoria, eas intueatur. Quarto requiritur *diiudicatio de his speciebus receptis*, vbi intellectus pronunciat hanc esse hominis, illam equi essentiam aut quidditatem; aut discurrendo colligit vnum ex alio, vt hoc esse animal, quia est homo. Etsi autem quidditates omnes, & essentiæ in phantasmate sic, vt diximus, ab intellectu agente illuminato videri possint ab intellectu cuiusvis, tamen intellectus cuiusvis non videt omnes illas quidditates, imo fortassis nullas, aut perpaucas earum; non propter defectum luminis, sed vel quia mens non convertit se ad illarum contemplationem: vel convertit quidem se, sed contenta est illas quidditates confuso modo intueri, non curans eadem distincte in phantasmate illo videre: haud secus ac siquis claudat oculos, vel cum intuetur obiectum aliquod visibile, contentus est illud confuso modo apprehendere, nec sollicitus est exiles quasvis partes, lineas aut lineamenta illius obiecti intueri, etiam si in clarissima luce posita, sic vt videre possit. Evenit etiam non raro vt intellectus videat illas essentias aut quidditates in phantasmate relucentes, sed eadem esse huius aut illius indiuidui aut speciei quidditates, non videat; non propter luminis defectum, sed quia intellectus hanc esse huius aut illius rei, puta leonis, equi, mixti aut corporis quidditatem ignoret: haud secus ac infans, etsi recipiat in oculum speciem leonis, equi, albedinis aut nigredinis, non iudicat tamen hoc esse leonem, illud equum, hoc albedinem, illud nigredinem, non quia lumen deest, sed quia quid sit illud quod vocatur leo, equus, albedo aut nigredo, nescit. Tanta est inter Intellectionem ac visionem, inter colores & phantasmata, inter lumen & Intellectum agentem affinitas & similitudo. Atque hinc iam facile perspicitur, quod vt visio, ita Intellectio, etsi *originaliter & respectu receptionis specierum* sibi impressarum sit passio, quo sensu Arist. dixit *intelligere esse quoddam pati*, tamen *formaliter & respectu iudicij* de specie recepta (in quo solo proprie loquendo cõsistit intellectio) est revera *Actio*, Actio, inquam, *immanens animi*, ex cuius frequenti iteratione oriuntur habitus mentis, id est, facilitas quædam in mente videndi in illo Phantasmate has distinctas quidditates, & ex ijs alia, discurrendo, colligendi.

Tertio dubitari potest, de eo quod Beatitudinem siue fælicitatem inter Actiones censeamus, sicut & Arist. 1. Eth. cap. 7. definit eam, esse *Actionem animi secundum virtutem*. Merito inquam hic dubitatur, nam si actio sit genus fælicitatis, certe cum non ineat alicui actio secundum virtutem, neque inerit fælicitas, quia sublata essentia ac Genere tollitur species: at quoties quis dormit aut cessat ab actionibus, non tum agit secundum virtutem, quare actio secundum virtutem non tum ei ineat; amittitur ego fælicitas quoties quis somnum capit, aut vacans rebus agendis: & ita maxime instabile bonum erit fælicitas, quam esse constantissimam certum est. *Dub.*

Respondeo, *Beatitudinem vere Actionem esse*, & eius essentiam in actione positam: Sed *Aristotelica Felicitas* neque est *Actio* secundum *Sol.*

Fælicitas an sit Actio.

essentiam, neque *vera felicitas*. Vmbram solum ille vidit fælicitatis, rem ipsam nec vidit, nec per somnium quidem cogitauit. Dicamus primo de Aristotelica. Posset fortè ad argumentum responderi, ipsam dormitionem, & vacationem a rebus serijs, esse actionem secundum virtutem, quia prudentia ac recta ratio dormiendum esse temporibus opportunis, & vacandum a rebus agendis præscribit. Et hoc opinor sensit Aquin. prima secundæ, quæst. 3. art. 2. ad quartum, vbi ait, *Fælicem, ipsam cessationem* (puta cum dormit aut vacat omninò) *ad operationem secundum virtutem ordinare*. Sed ego aliter respondendum puto. Fælicitatem nimirum Aristotelicam, *non esse inxta essentiam, Actionem, aut operationem secundum virtutem*. Cur igitur actionem esse dicit? imo definit? Dico, non esse istam veram ac genuinam definitionem, sed solum descriptionem; & explicari in ea quæ ad fælicitatem requiruntur, non quæ sit eius essentia. Addo etiam fælicitatem eam quam Arist. intellexit, non posse vere ac proprie definiri. Etenim ea non est Ens vnum & simplex, sed ens solùm per aggregationem, tale nimirum quod sit cumulus bonorum diuersi generis, *animi, corporis, ac fortunæ*, quorum vllum si desit, fælix ex Arist. mente dici non potest. Nam fælix virtutes morales aut omnino omnes, aut omnes quæ ipsius statui ac conditioni congruunt, habere debet. Neque habitus solùm virtutum inesse oportet, sed actiones etiam, sic vt quandocunque occasio ei detur secundum vllam virtutem operandi, exerceat illum habitum, agatque quod tunc est agendum: quod aperte significat Arist. lib. 1. Eth. cap. 5. vbi dicit, *tum qui virtutem habet, posse dormire* (i. non agere cum oportet,) *qui autem talis est, fælix non est dicendus*. Adsint etiam necesse est tum corporis, tum fortunæ bona, vt instrumenta sine quibus agere non potest secundum virtutem. Quomodo enim liberaliter agat sine diuitijs? Quomodo fælix erit, si aduersa fortuna & summa inopia laboret, aut si in Phalaridis tauro positus sit? Certe eum qui talem, fælicem vocat, Arist. cap. citato, ait paradoxa tueri. Est igitur Aristotelica fælicitas *Ens, non vnum, sed multiplex*, & *vnum solum per aggregationem* ex diuersis generibus bonorum constitutum. Iam ens per aggregationem, neque in vllo prædicamento poni, neque definiri potest, cum non sit vnum illius Genus sed multiplex, vt virtutis habitus, Sanitatis potentia naturalis, Actionis secundum virtutem Actio, diuitiarum substantia. Hanc ego arbitror vere esse sententiam Aristotelis, tam de fælicitate actiua, quam contemplatiua, ita vt siquis agat secundum virtutem moralem in vita perfecta, (i. abundanti bonorum cumulo) is sit fælix, fælicitate morali; sin secundum virtutem contemplatiuam agat in tali vita, tum fælix est fælicitate contemplatiua: Qui vero secundum vtramque operatur, vtroque modo fælix est. Nihil enim in hac mortali vita optabilius cogitari potest, quam operari secundum vtramque virtutem, tum speculando omnia quæ vera sunt, tum agendo omnia quæ bona sunt.

Sed

Sed loquendo de vera fœlicitate, longe secus se res habet. Ea enim in hac vita obtineri non potest, quod etiam ratio ipsa manifeste persuadet. Etenim voluntas humana non est huius aut illius boni, sed boni omnis: nec vnquam appetitus ac voluntas satiari aut quietari potest, donec obiecto tali, in quo sit omne bonum perfruatur. Nam si vllum bonum desit, adhuc appetet illud, nec vnquam quiesceret, donec eo fruatur. Quare nec diuitiæ, nec honor, nec voluptas, vel corporis vel animi, nec virtus, nec vllum omnino bonum, imo nec omnia simul, quæ in hac vita mortali contingere homini possunt, summum bonum aut fœlicitas censeri debent. Nam vt quis hisce omnibus fruatur, manet tamen desiderium maioris boni quam sunt hæc omnia, nempe æternitatis, & æternæ fruitionis bonorum, sic vt priuari sua delectatione & gaudio nunquam possit. Iam nullum omnino bonum æternum est, nisi solus Deus, qui est fons omnis boni; quare mens nunquam beata est aut esse potest, donec Deo fruatur: Quamprimum autem eo fruitur, beatissima est, nec quidquam amplius velle, appetere, aut desiderare potest. Ille enim non tam bonus est, quam ipsa bonitas: nec tam beatus, quam ipsa beatitudo, nec tam æternus, quam ipsa æternitas; in eoque sunt omnia omnino bona, idque multo perfectiori ac eminentiori modo, quam in re vlla alia vel esse possunt vel cogitari; Quia quæcunque bona in alijs vllis rebus sunt, finita sunt, & finito modo insunt; illius autem bonitas infinita est, & modo infinito inest. Cum igitur *Deus summum bonum sit*, certe *fruitio Dei, est fruitio summi boni & omnis boni, ideoque beatitudo*; nam fruitio omnis boni Beatitudo vere & proprie est. Fruitio autem Dei in duobus consistit, in *cognitione* eius, & in *dilectione*, quarum ambarum individuus comes, & inseparabile adiunctum, est *gaudium, delectatio*, ac *voluptas* animi summa ac syncera. Nam quanto magis cognoscimus Deum qui bonus est, tanto magis diligimus eum, quia bonus est: Quanto verò magis eum diligimus, tanto maiori gaudio et delectatione afficimur cum fruimur eo. Quoniam igitur in hac mortali vita Deum cognoscimus solum in vmbra, ex parte, & imperfecte, ideo nisi imperfecte & ex parte eum diligimus: & quia ex parte solum, & imperfectè tum cognoscimus, tum diligimus, ideo ex parte solum & imperfecte deo fruimur, ac beati sumus; omnisq; beatitudo quæ in hac vita contingere cuiquam potest, *imperfecta solum est, inchoata, & partialis*. Sed in futura vita, videbimus & cognoscemus Deum clarissimè & perfectissimè, omnemque illius bonitatem facie ad faciem intuebimur: Et quia perfecte eum *cognoscemus*, perfecte eum amabimus, quia summe bonus est; Et amabimus ipsum propter sese solum, quia *ipsa bonitas* ille est; & quia perpetuo & perfectissime tum videndo tum diligendo fruemur hoc bono, ideo perpetua & plenissima *delectatione* (cui nihil omnino deerit,) perfruemur. Ita vera Beatitudo in *plena visione & dilectione Dei consistit, quam necessariò & inseparabiliter comitatur plenissima & omnibus*

numeris perfectissima delectatio ac gaudium. Hæc autem omnia *visio* seu *cognitio* Dei, *dilectio* seu amor Dei, *delectatio* seu *gaudium* in fruendo Deo, tam quoad cognitionem, quam quoad dilectionem, actiones sunt; sed actiones, non quales Arist. somniauit, secundum virtutem vllam moralem aut intellectualem, sed *actiones immanentes & æternum permansuras*, quæ sine omni interruptione erunt æternæ animorum beatorum actiones. Verùm de his Theologi consulendi: Mihi animus fuit hæc pauca ex eorum sacratissimis (cum bona ipsorum venia) fontibus delibasse. Ac de prædicamento Actionis hæc dicta sint. Nam quæ de *affectionibus* animi, quæ *passiones & perturbationes* vocantur, dicenda videbantur, ea in cap. de Qualitate, & tertia illius specie declarata sunt.

Cap. XV.

De Passione.

ACtionis Prædicamentum sequitur *Passio*; de qua itidem nobis explicanda; *quid sit*, quæ *sint* proprietates, quæ *species*. Nam de acceptionibus variis huius vocis, satis dictum est in cap. de Qual. cum de patibili qualitate & *Passione* ageremus.

Passio quid.

Passio, est accidens absolutum, quod est effectus actionis, ex quo subiectum pati dicitur vel esse patiens, vt ex calefactione passius, aqua calefieri dicitur, ex motu, subiectum moueri. Nam vt est calefactio *actiua* qua ignis agit & calefacit, ita est calefactio *passiua* qua aqua patitur & calefit; & vt est *Motio* & actio mouentis, qua motor mouet, ita est *motus* & passio qua mobile mouetur.

Hinc sex sunt obseruanda. Primum est, *Nullam esse passionem sine actione precedente vel comitante*; nam effectus sine causa esse non potest, passio autem est effectus actionis.

Actio et Passio non sunt relata secundum esse.

Secundum est, *Actionem & passionem non posse inter relata secundum esse recenseri*; nam cum vnum sit causa alterius, vnum semper est naturâ prius altero, tempore autem sæpe simul sunt. Relata vero secundum esse, non solum tempore sed naturâ sunt simul.

Actio et Passio non sunt idem naturâ.

Tertium, *Actio & Passio non sunt nec esse possunt vnum re, id est, natura atque essentia*, nam nihil est seipso prius naturâ; at actio est naturâ prior Passione. Quod si alicubi videatur Arist. dicere eadem esse, vt cum ait 3. de Anim. cap. 2. *Actionem, passionem, & motum esse in patiente, non in agente*, id vel intelligendum est de Actione & Passione prout sumuntur pro *effectu actionis & Passionis*; vel dicendum est, eadem esse non *natura atque essentia*, sed *subiecto*, quia sæpissime sunt in eodem subiecto, nam in omni motu naturali & *motio actiua*, & *motus*, qui

qui est passio, in eodem subiecto sunt, quia in eodem corpore est & principium movens, quæ est forma, & id quod movetur, nempe corpus ipsum, vel compositum quod motione illa movetur.

Actio quo modo & passio.

Quartum, cum dicitur *passionem esse effectum alterius, illud de immediato & proximo effectu, non de remoto & mediato intelligendum est.* Ignis calefacit aquam, & agit in eamper istam actionem ignis, causatur et efficitur calor in aqua; sed efficitur mediate, mediante nimirum passione aquæ, quæ dicitur calefactio passiva. Effectus proximus actionis seu calefactionis activæ, est ipsa calefactio passiva per quam recipitur in aquam calor, & hic effectus proximus, est *passio*; Effectus verò remotus est calor, qui non est passio, sed qualitas quæ per actionem quidem producitur sed remote, per passionem verò immediatè et proximè.

dato sit causa passionis.

Sūma est: *Motum & omnes illius species in hac serie & prædicamento ponendum esse.* Id hinc liquet, quia sicut movere est Agere, ita moveri est pati, ideoque sicut motio est Actio, ita motus est Passio. Præterea, cum Motus accidens sit, proculdubio in aliquo accidentium prædicamento locandus est, cum Ens omne ad aliquam classem pertineat. In nullo autem alio ponitur aut poni potest Motus nisi in passione, nam neque quantitas est, neque relatio, neque qualitas. Si quis dicat Motum in nullo prædicamento *per se & directe* reponi, sed *relative* solum, reduci autem ad illud prædicamentum in quo eius terminus sunt, vt motus ad quantitatem, in quantitate reductiuè ponitur; Motus ad qualitatem, in qualitate; Motus ad Vbi, in prædicamento vbi: Hoc non satisfacit argumento allato. Nam Motus vere vnivocum est, & vnivoce ac secundum vnum & eundem vnivocum conceptum ac rationem de omni Motu prædicatur, omnes enim species motus in essentia motus conveniunt; quare necesse est ipsum motum in genere, esse verum & vnivocum omnium motuum genus, ideoque directè in aliquo prædicamento locari, nam omnia genera & species eis subiectæ directe in prædicamento ponuntur. Quare cum Motus in nullo alio directè poni possit, fatendum est, Motum esse *directe in hac serie*, vt veram speciem passionis, verumque Genus suarum omnium specierum. Atque hoc non obscure indicat Arist. qui cap. de passione, recenset inter passiones huius prædicamenti, caleberi & frigefieri: quæ duo motus esse, & propriè dictas alterationes, nemo nescit. Quare etsi motus respectu terminorum suorum, dici possit ad alia prædicamenta reduci, aut pertinere, tamen respectu suæ naturæ ac essentiæ in nullo alio quam in hoc passionis reponi potest.

Receptio formæ abſolutæ eſt passio.

Sextum est. *Omnis receptio nouæ formæ quæ per alterius alterius in subiectum introducitur, ea Passio, & ad hanc seriem spectat.* Receptio autem huiusmodi sit cum introducitur forma aliqua vel *substantialis*, vt in Generatione, in qua tam materia prima, quam corpus recipit novam formam; ideoque tam ipsa, quam corpus (non autem id quod

generatur,) pati dicitur : vel *quantitatis*, vt in augmentatione ac diminutione; vel *qualitatis* vt in alteratione; vel *vbi*, vt in motu locali, & siqua sint similia. Relationes autem non recipiuntur in subiectum per actionem aliquam in ipsum, sed aliis mode vt antea cap. de Relatis diximus. Huc spectat quod habet Aquin. Part. 1. q. 79. art. 2. *Pati*, inquit, *tripliciter dicitur*. Primo, *Propriissimè, quando aliquid removetur ab aliquo quod ei secundum naturam aut naturalem inclinationem convenit* : *Sic* patitur aqua cum calefit, homo cum ægrotat. Secundo, *minus propriè, cum aliquid removetur a subiecto, sive sit ei secundum naturam conveniens, sive non* : Sic pati dicitur homo cum sanatur, aqua cum frigefit. Tertio, *communiter aliquid pati dicitur ex hoc solo, quòd recipit illud actu, ad quod prius erat solum in potentia, absque hoc quod aliquid abijciatur*. Sic intellectus dicitur pati recipiendo species. Quod idem fere repetit 1. secundæ, q. 22. art. 1. vbi docet *communiter illud dici pati, quodcunque aliquam formam* (puta absolutam) *in se recipit, quo facto omnè recipere est Pati, sive subiectum recipiat, id quo perficiatur, sive illud quo corrumpatur, & hoc modo Aerem dicit pati, cum illuminatur a Sole*. Hæc si observentur, facilius multo, quæ, & quam multa Entia in hoc prædicamento reponenda sunt, intelligetur.

Passionis proprietates.

Proprietates Passionis duas ponit Arist. easdemque quæ Actioni tribuuntur. Primam quod *aliquid sit passioni contrarium*, vt calefactio passiva, frigefactioni passivæ. Secundam quod *Passio suscipiat magis ac minus*, vt vna aqua calefit magis quam alia. Ambæ autem hæ proprietates ita explicandæ sunt vt in Actione; Sunt enim verius cõmunitates quã proprietates, quia neque omni conveniunt, neq; soli passioni.

Series posset variis modis tradi, sicut variæ sunt passionis distinctiones, vel sic: aliæ passiones sint *perfectivæ*, vt sanum fieri; aliæ *corruptivæ*, vt cum aqua calefit: vel sic, aliæ dicantur passiones *corporales* quibus corpora, aliæ *spirituales* quibus spiritus patiuntur. Vel sic, aliæ passiones sint per *receptionem Substantiæ*, vt Generatio; aliæ per *receptionem vel quantitatis*, vt Augmentatio; vel *qualitatis*, vt *alteratio*; vel *loci*, vt motus localis. Sed mihi nullo modo tam commode explicari posse videtur hec Series, quam percurrendo genera ac species substantiarum omnium, quæ singulis passiones conveniant declarare. Exemplar solum hic ponemus, nam prolixior & accurata huius & aliorum omnium series quærenda est in tractatione eorum quæ ad Metaphysicam & Physicam pertinent.

Series Passionis.

Passiones igitur hæ sunt:

Substantia in genere, recipere accidentia quibus subsistat, moveri vel violento, vel naturali motu : moveri vel in loco definitivo vel circumscriptivo.

Spiritus, moveri in loco definitivo tantùm, illuminari, aut recipere obiecti speciem per quam intelligat.

Corpora in Genere, dividi secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem, moveri in loco circumscriptivo.

Cæli,

Cœli, moveri circulariter constanti motu & immutabili.

Corporis corruptibilis, recipere qualitates corrumpentes, ijsdemque alterari.

Elementi, moveri vnico simplici ac recto motu per sese & primario.

Ignis & Aeris, frigefieri.

Aquæ & terræ, calefieri.

Corporis mixti in Genere, moveri ad motum elementi prædominantis.

Metallorum pati ab iis qualitatibus quæ ipsis contrariæ sunt.

Mixti perfecti, putrefieri aut pati dissolutionem temperaturæ per actionem contrariarum qualitatum.

Lapidum ac Metallorum, tundi, secari, frangi, & similia.

Viventis in Genere moveri motu accretionis ac diminutionis.

Plantarum, arborum dico & herbarum, pati à contrariis qualitatibus, quibus vis earum retundatur & temperetur.

Animalis, recipere obiecta sensuum omnium tam externorum quam internorum, moveri motu progressivo, alterari ex passionibus iræ, odii & similium.

Brutorum, pati a contrariis qualitatibus iis quæ ipsis insunt, & ab eisdem ad corruptionem perduci.

Hominis recipere obiecta intelligibilia a phantasia impressa.

Quoniam autem *Motum* ad hoc prædicamentum spectare declarauí, necessarium arbitror, de Motu nonnulla hic annexere, quia illius cognitio, & valde obscura est, ac difficultatibus plurimis implicita, & tamen plane *ad omnem Philosophiæ partem* adprime *necessaria*. Agamus verò primum de motu *in genere*, tum de ciùs *speciebus*. *Motum* in genere sic definire licet.

Motus est mutatio, vel instantanea, vel successiva, qua subiectum recedit a termino a quo, & accedit ad terminum ad quem. Tria igitur sunt in omni motu, quæ si recte teneas, non erit cur a *Motu* metuas: *Subiectum* cui inest; *Termini duo*, *A quo* & *ad quem*, & ab hoc motus semper nomen suum capit; & *mensura* seu duratio motus. *Motus quid.*

Hic vero memineris Motum a nobis *largo sensu* sumi, prout comprehendit omnem mutationem, siue instantanea sit, siue successiva: & sic complectitur tam mutationem illam quæ est ad *Substantiam*, quam illas quæ sunt ad *Quantitatem*, *Qualitatem*, & *Vbi*. Atque hoc eodem largo sensu Motus nomen accipit Arist. in postprædicamentis, cap. de Motu. Quod si stricte accipias, continet solum motus successivos; Nos hic *largo sensu* accipimus.

Species motus sequuntur. Ex sex sunt, quarum duæ sunt *instantaneæ*, nempe *Generatio*, & *Corruptio*, quæ sunt ad Substantiam, aut à substantia: quatuor reliquæ sunt *successiuæ*, quarum duæ sunt ad quantitatem, *Augmentatio* ac *Diminutio*; vna ad qualitatem, *Alteratio*; & vna ad vbi, nempe *motus localis*. Sex esse Motus large accepti species, & non plures, docet Arist. lib. 3. Phys. cap. 1. *Id*, inquit, *quod mutatur, aut in*

sub-

substantia, aut in qualitate, aut in quantitate, aut in vbi semper mutatur: & iterum ibidem, ac clarius, *Quare neque motus, neque mutatio cuiusquam praeter ea quae diximus, erit*; & in Postpraedicamentis cap. de Motu, vbi sic ait, *Motus species sunt sex*, & eas quas dixi enumerat.

Dub. At Arist. 3. Phys. cap. 1. diserte ait *Tot esse species motus sunt mutationis, quot sunt species Entis.* Iam cum sint decem distinctae species entis, vt ex denario praedicamentorum numero liquet, erunt etiam decem species motus large accepti, siue mutationis.

Sol. Respondeo, verba illa Arist. sic accipienda esse, tot sunt species motus, quo tsunt species Entis, *ad quas est motus*. Nam motus a *Termino* suis nomen accipit. Quare licet sint simpliciter plures species Entis, quam Substantia, quantitas, qualitas, & vbi, tamen quia ad haec sola, & non ad reliqua terminantur motus, idcirco ad alia praeter haec non dicitur esse motus. Quòd si dicas ex relationibus, actionibus, passionibus, quando, situ, & habitu, mutationes fieri in subiectis, & subiecta per ista mutari, vt cum quis ex non patre, fit pater: ex otioso agens; ex non patiente, patiens; ex non ocreato, ocreatus; ideoque

Rep.

Sol. & istas mutationes seu motus large nuncupandas esse: Respondeo, ex istis omnibus quidem subiecta mutari quando insint, sed neque motus, neque mutatio ad vllum eorum terminatur, nec est ad illud vt ad terminum mutationis. Sed quaedam eorum consequuntur ex motu, vt ex *generatione passiua* consequitur filiatio; ex *alteratione* facta per albedinem consequitur similitudo ad alia omnia alba, dissimilitudo ad omnia nigra; Sic ex inductione *quantitatis* vllius oritur situs: ex motu locali, quo induuntur ocreae, consequitur ocreatum esse; ex generatione, seu productione vllius rei, consequitur eius quando. Alia non consequuntur quidem motum, sed praecedunt, & causant motum, vt *actio*; nam cum motus sit passio, ab actione causari eum necesse est; quare si ad ipsam actionem esset motus, ita vt motus terminaretur ad actionem, tum ante istam actionem esset passio, nempe motus quo introducitur ista actio; & quia istam passionem alia actio praecedit, & illa actio motum priorem terminabit, & sic in infinitum; atque ita nec esset vlla actio, vel passio, vel motus. Qua eadem ratione demonstratur passionem non posse esse terminum motus: nam si ad hunc motum puta D. esset prior motus, puta C. itidem esset ad motum C. prior alius motus, puta B. & ad B. adhuc prior alius, puta A. et ita in infinitum. Has aut alias similes rationes, ex quibus probatur ad *Relationem*, *Actionem*, *passionem & reliqua* motum non esse, videre potes apud Arist. lib. 5. Physic. cap. 2. Ex quibus omnibus concludo, necessario concedendum esse quod Arist. statuit, Motum seu mutationem non esse ad vllum praedicamentum nisi vel ad Substantiam, vel ad quantitatem, vel ad qualitatem vel ad vbi: atque ita sex esse Motus seu mutationis species, neque plures neque pauciores. Eas nunc paucis percurramus, & primo agamus de In-

fan-

stantaneis: Quæ sunt Generatio, & Corruptio.

Generatio, est mutatio, per quam materia prima & Corpus in communi, mutantur in instanti mutantur à non esse substantiali, ad esse substantiale, id est, à privatione huius formæ introducendæ, ad habendum illam formam. *Generatio in instanti quid.*

Corruptio, est mutatio, per quam materia prima, & Corpus in communi, mutatur ab esse substantiali ad non esse substantiale, id est, ab habendo hanc formam quæ iam inest, ad privationem, seu carentiam illius formæ. *Corruptio quid.*

Vides hic in vtrisque, illa tria, quæ obseruanda dixi in omni Motu. *Subiectum* in vtrisque remotissimum est materia prima, propinquum (si non proximum) est corpus in communi. Nam Subiectum in omni mutatione, est id quod mutatur; id autem mutatur, quod remanet sub vtroque termino illius mutationis, sic vt prius subijcitur termino à quo, post termino ad quem. Iam certum est quod tam materia prima, quam Corpus illud in communi, (cum sint æterna) maneant sub vtroque termino illarum mutationum: Hæc igitur vtraque iam generationis quam corruptionis subiecta sunt; sed Corpus propinquum (& fortasse proximum) materia prima remotum. Et hoc liquido docet Arist. lib. 1. de Gen. & Cor. cap. 4. vbi sit ait, *Materia tum maxime, tum proprie, eius generis*, (scilicet generationis, & corruptionis) *subiectum habetur, vt vtrum & interdum ferre possit.* *Subiectum Generationis & Corruptionis.*

Atque hinc liquido perspicias verum discrimen inter *Creationem* & *Generationem*; nam in omni generatione est semper præexistens Corpus, & materia, ex qua tanquam ex parte essentiali genitum fit, quæque carebat forma introducenda, & in quam, per generationem introducitur. At in Creatione nihil omnino neque corpus, neque materia vlla prima præexistit ex qua id creatur, vel fieri aut fieri potest; nulla omnino qui vel caruit, forma in creaturam introducenda, vel in quam forma per creationem introducitur, sed quod creatur, ex nihilo fit. Et quando Deus in principio mundum creauit, eodem instanti quo formas introduxit in materiam, creauit ipsam materiam in quam introductæ sunt. *Discrimen inter Generationem & Creationem.*

Terminus a quo, in Generatione est *priuatio* siu absentia formæ introducendæ, seu *non esse* compositi generandi. *Terminus ad quem*, est ipsa forma introducta, vel compositum, quod tum generatur; vtrumuis recte dicas. Itidem *Terminus a quo* in corruptione, est forma quæ inerat in composito, vel compositum ipsum quod tum corrumpitur, (vtrumuis recte dicas) & *Terminus ad quem*, est *priuatio* vel carentia illius formæ, seu non esse illius compositi. Vt quando ex aere corrupto, generatur aqua, corruptionis terminus a quo, est *aer*, vel forma aeris; terminus ad quem est *Non esse aeris*, vel priuatio formæ aeris. Terminus autem a quo illius generationis, est, *non esse aquæ*, vel priuatio formæ aquæ; terminus ad quem est *aqua* vel forma aquæ. Docet hoc clare Arist. lib. 5. Phys. cap. 1. vbi ait, *Generationis, item-* *Termini Generationis & Corruptionis.*

que corruptionis terminus esse contradictorie, scilicet esse & non esse: & iterum vbi ait, *Ea mutatio quæ per contradictionem est à non subiecto, ad subiectum, est generatio: Ea vero, quæ ad non subiectum est, a subiecto, corruptio est.* Quamvis ergo vulgo & vere dicatur (quo etiam loquendi genere vtitur Arist. lib. 1. de gener. & corr. ca. 4. *aquam ex aere generari*, tamen in illa, & similibus loquutionibus, illud *Ex*, non notat terminum a quo generatio incipit, sed notat solum illud corpus quod immediate in materia geniti præexistebat. Aerem enim non posse esse terminum generationis a quo, liquet, quia est terminus a quo corruptionis connectæ; & impossibile est, vt idem sit terminus generationis aquæ, & corruptionis aeris; deinde aer & aqua non sunt termini Contradictorij; at termini duo generationis, debent esse Contradictorij, vt sæpe & verissime docet Arist.

Mensura Generationis & Corruptionis.

Mensura, seu duratio vtriusque harum mutationum, est *Instans*, non *tempus*. Docet hoc Arist. 6. Phys. ca. 5. & ratione etiam solida ac evidenti probat. Nam cum aqua generatur ex aere, & forma aquæ non introducatur in instanti, tum nondum adhuc est aqua; at necesse est tum cum incipit generari aquam esse, quia generatio erat a non esse ad esse, & inter non esse ac esse (cum contradictoria sint) nullum potest esse medium. Quare in eo instanti quo corpus corruptum desinit esse aer, est aqua. Itidem quamprimum aer incipit corrumpi, est non aer, quia corruptio est, ab esse ad non esse.

Hoc etiam vlterius observandum; generationem et corruptionem non solum fieri in Instanti, sed quoties ex vno corrupto aliud generatur, vt ex aere aqua; ambæ istæ mutationes tam generatio quam corruptio, *sunt in vno eodemque instanti*. In diversis enim Instantibus fieri non possunt; vtrum enim in duobus proximis & immediatis Instantibus, an mediatis, & remotis? In proximis fieri dici nullo modo potest: quia certissimum est, *Instantes non esse instanti immediatum*, sicut nec est punctum puncto, sed vt ait Arist. 6. Phys. ca. 1. *inter omnia duo puncta est linea, & inter omnia duo instantia est tempus.* In mediatis dici etiam non potest, nam tum sequeretur, esse aliquod tempus, in quo, in illo corpore simplici nec ineset forma vel aeris vel aquæ; atque ita existeret corpus aliquod simplex & elementare, quod nec esset ignis, nec aer, nec aqua, nec terra: quod quia est impossibile, agnoscendum est, non modo aerem in instanti corrumpi, & aquam in instanti generari, sed etiam aquam generari ex aere, *in illo ipso instanti* quo aer corrumpitur, non in alio vllo, neque mediato, neque immediato, atque hoc pro certo & indubitato tenendum est.

Dub.

Dubitare hic primo poteris de subiecto harum Mutationum. Nam subiectum debet denominari ab eo accidente quod ei inest. Iam certum est nec materiam, nec Corpus dici, vel generari, vel corrumpi; nam illa vtraque æterna sunt, & manent tam in genito quam in corrupto. Quæ autem generantur & corrumpuntur sunt composita, tam ex materia, & corpore, quam ex forma, vt ignis, viuens homo, canis; quare

quare Composita hæc specialia videntur esse subiecta harum mutationum, non autem vel materia prima, vel Corpus.

Respondeo iuxta illum vulgarem distinctionem, quam tamen non vndiquaque probo, nisi commode intelligatur. Subiectum est duplex, *Denominationis tantum*, & *Inhæsionis simul ac denominationis*. Composita ista specialia, vt ignis, vivens & similia, dici possunt subiecta Denominationis tantum, generationis & corruptionis, quia illa solum per hæc denominativa (generatum & corruptum) denominantur; sed ista sunt denominativa *non quoad rem*, sed *quoad vocem tantum* a generatione, & corruptione. Talia vero composita specialia, nec sunt nec esse aut dici possunt *Subiecta Inhæsionis* istarum mutationum, quia istis compositis corruptio non inhæret; nam quando corrumpuntur, tum non sunt, sed interierunt, & sunt non entia. Non ens vero subiectum inhæsionis vllius, dici non potest. Et quia non sunt corruptionis subiecta inhæsionis, ideo neque sunt generationis. Idem enim est vtrique subiectum inhæsionis. Sed verum subiectum inhæsionis tam generationis quam corruptionis, est vt dixi, materia prima, & corpus in communi; hæc enim sola in generatione & corruptione mutantur, vt ex Arist. declaravi. Sunt etiam hæc vere *subiecta Denominationis*, harum mutationum, si apta Denominativa accipiantur. Nam *denominativum re*, licet *non voce*, a generatione est hoc, *sic mutari, vt iam receperit hanc formam quam ante non habuit*; & a corruptione est hoc, *non habere iam in se hanc formam quam ante habuit*: & per hæc denominativa, a generatione & corruptione denominantur Materia prima & Corpus in communi, non autem composita illa specialia quæ generantur, & corrumpuntur. *Sol.*

Dubitare te secundò facit id, quod vulgo dicitur, quodque ab Arist. discere asseritur, lib. 1. de gen. et cor. ca. 3. *Generatio vnius est corruptio alterius, & contra*; nulla enim species de sua contradivisa specie dici potest; cum igitur de generatione corruptio, et de corruptione generatio dicatur, species diversæ motus aut mutationis esse non possunt. *Dub.*

Respondeo, illud dictum non esse *formaliter* accipiendum, neque vt prædicationem *formalem*, sed solum vt prædicationem *per concomitantiam*, quo solo sensu vera est, et nullo alio: idemque sonat, ac si dicis generationem vnius concomitari corruptionem alterius et contra; quomodo dici potest, elationem vnius scalæ, esse depressionem alterius; et occasum solis apud nos esse ortum eius apud Antipodas. Sed nec sic quidem ne per concomitantiam vera est generaliter, nisi commode intelligas. In quammultis evenit vt vnum generetur, et nihil tamen iam tum, aut immediate ante corrumpatur? vel vt vnum corrumpatur, et nihil tamen iam tum generetur? Cum generatur homo ex animali, forma animalis (quæ est anima sensitiva) non corrumpitur aduentu animæ rationalis, sed perficitur: sic cum ex viuente, generatur animal, forma viuentis (quæ est anima vegetatiua, non cor- *Sol.*

corrumpitur viuens, puta, planta, brutum aut homo, non generatur aliquod nouum mistum, nec vlla noua forma introducitur, sed corpus illud mixtum, puta Caro, ossa, & similia, quod per aduentum animæ vegetantis factum erat viuens, & per aduentum animæ rationalis factum erat homo, ad interitum vegetativæ, & separationem rationalis, desinit esse homo, & viuens; spoliatur tantum his formis, quibus ante vestitum erat & ornatum; vtque homo spoliatus vestibus, atque armillis, nudus quidem remanet, sed manet tamen idem homo qui ante fuerat, nec indiget vllo nouo ornatu vt fiat homo; itidem in mixto corpore (quod vita velut veste ornatum est) non accedit vlla noua forma qua fiat, aut dicatur inanimatum mixtum, satis ad hoc est, vt anima spoletur. Priuationem vtraque hæc notant, & carentiam, illud animatum, hoc vestitum, sed positionem nouæ formæ non important. Sic igitur intellige illud ab Arist. loco citato vniuersaliter enunciatum dogma, *Omnis generatio vnius est corruptio alterius, & contra*; est scilicet vel *immediate*; vt quum ex aere generatur aqua, vel *mediate* vt in antedictis exemplis: nam licet tum cum generatur homo ex animali, vel animal ex viuente, nihil immediate corrumpatur, tamen cum viuens generabatur, corrumpebatur semen; & licet cum animal corrumpitur, nihil tum immediate generetur, tamen cum carnes & ossa (quæ viuentis primo fuerunt, postea cadaueris) cum illa inquam, corrumpuntur, generantur ex eis vermes aut alia (prout contigerit) corpora.

Dub. Tertio dubites de *mensura* earum mutationum, an ea instans sit, vt ante posui, & an in *eodem instanti* quo vnum corrumpitur, aliud generetur, videtur enim impossibile, vt in illo eodem instanti quo aer corrumpitur, aqua ex eo generetur, nam tum essent in illo simplici corpore duæ oppositæ formæ: nam cum aer corrumpitur, tum est; quod enim non est non potest corrumpi; quare cum aer sit in eo instanti quo corrumpitur, sequitur etiam formam aeris tunc esse in illo corpore. Idem dico de forma aquæ: nam quando aqua generatur, tum illius forma existit, alacer aqua generatur antequam sua forma esset: quare in illo ipso instanti in quo corrumpitur aer, & aqua ex eo generatur, sequitur in illo vno simplici corpore, esse & formam aquæ, & formam aeris, ex quo rursus sequitur illud vnum, idemque numero corpus esse tam aquam quam aerem.

Sol. Respondeo, hoc nullo modo sequi. Nam illud quod pro fundamento sumitur falsum est, nempe vel aerem, vel formam aeris tunc esse, quando aer corrumpitur; neutrum tunc existit, sed vtraque interierunt. Et quando obijcitur, illud quod non est, non posse corrumpi, dico, illud quod non est antequam corrumpitur, non posse corrumpi, sed illud quod ante quidem fuerat, tum vero cum corrumpitur non est, illud potest vere dici corrumpi, imo aliter dici non potest. Nam vt alibi monui, Substantiæ omnes, item omnes substantiales formæ quæ oriuntur, & intereunt, incipiũt *per primum sui esse*, sic vt de eis tum dicas,

dicas, iam sunt, nec ante hoc instans fuerunt; desinunt vero non per vltimum sui esse, sic vt dicas iam sunt, & postea non erunt, sed *per primum sui non esse*, sic vt de illis tum dicas, iam non sunt, & immediate ante hoc instans fuerunt. Sed de mutationibus Instantaneis hæc satis multa.

Sequitur nunc *Mutatio successiva*, quæ *proprie Motus* vocatur, & quoties deinceps sine additione motum nominabo, hunc successivum, & non alium volo. Posset autem Motus facile ac breviter definiri, *Motus est mutatio successiva, ad quantitatem, qualitatem, aut vbi.* Sed quia mihi magnopere in votis est Aristotelis, si possum, lucem afferre, videamus, an illum motus definitionem quam ipse tradit, quæque infinitos interpretes torsit, illustrare possimus. Sic ille motum definit. 3. Physic. 1. Motus est actus entis in potentia, quatenus est in potentia; quod paulo post repetens ait, *Motus est actus eius quod est potentia, cum actu est.* Sensus hic est, mobile seu subiectum, cui inest motus, partim habet actu illam formam, ad quam fit motus, partim habet eandem in potentia: nam habet eam *inchoative* seu inchoatam, non habet *perfecte* seu complete inductam: respectu inchoatæ formæ, motus dicitur esse *actus*, & subiectum dicitur esse in *actu* quoad illam formam; respectu formæ nondum completæ, sed adhuc complendæ, motus dicitur esse *potentia*, & subiectum esse *in potentia* quoad illam formam; & vtraque hæc in motu plane necessaria sunt. Nam si mobile non haberet actu formam, ne inchoatam quidem, nodum est in motu; si haberet formam complete, tum non est in potentia ad illam formam, ideo motus ad eam iam finitus est; quandiu ergo motus est, subiectum, & habet actu formam quoad inchoationem, & habet eandem in potentia quoad complementum. Motus enim quandiu existit, est semper *in fieri*, nunquam autem *in facto*.

Motus proprie dictus quid.

Liquet nunc in hac Arist. definitione, & *subiectum* motus declarari, nempe *ipsum mobile*, quod manet vnum idemque sub vtroque termino; & *terminum motus*, *ad quem*, nempe formam introductam in mobile, & *mensuram*, seu durationem motus, quod fit cum successione, non in instanti. Nam si forma illa in instanti (quod est indivisibile) per motum introduceretur, non posset subiectum esse, & in actu respectu illius formæ, & in potentia: ideo pars vna, præterito tempore introducta est, & pars altera, futuro tempore introducenda est. Atque hoc Arist. expresse docet lib. 6. Phys. cap. 4. *Omnis*, inquit, *motus est in tempore* & lib. 3. cap. 1. vbi ait, *motum esse continuum*, & iterum lib. 6. cap. 3. vbi ait, *Nihil in ipso nunc, seu instanti movetur.* In quo, motum proprie dictum differre vides, a motibus illis large sic appellatis, *Generatione & corruptione*, de quibus ante dictum est, quamuis etiam aliis nullis modis differant. Nam id quod mouetur proprie, manet idem sub vtroque termino motus, sed id quod generatur & corrumpitur, non manet sub vtroque termino: & id quod mouetur, antequam mouetur est; id quod generatur, non est antequam gene-

ratur, quod intellexit Arist. lib. 5. Phys. cap. 1. vbi ait *Impossibile esse vt generatio sit motus* (proprie dictus) *quia id quod iam est generatur*

Dictum est hactenus de *Motu in genere*, sequuntur nunc species motus. Ex quatuor sunt, vt ante monui, duæ ad quantitatem, *Augmentatio* nempe & *Diminutio*; vna ad qualitatem, *Alteratio*; vna ad *vbi* nempe *motus localis*. Hoc differte tradit Arist. 5. Phys. cap. 2. vbi sic ait, *Restat in quantitate, qualitate & vbi, solummodo motum esse.*

Dub. At non videtur vel ad quantitatem aut vbi, esse vllus motus; nam Arist. 5. Phys. cap. 2. ex eo probat *motum non esse ad Substantiam, quia substantiæ nihil est contrarium*: quæ ratio si valet, sequitur, neque ad quantitatem, neque ad vbi, posse esse motum, quia nihil illis est contrarium.

Sol. Respondeo, Arist. 5. Phys. cap. 2. sumere *contrarium*, pro eo quod *non est Contradictorium*, non autem pro eo quod *aduersæ* alicui opponitur. Nam termini generationis & corruptionis sunt contradictorij, *Esse* scilicet, & *non esse*, & ita vnus eorum est semper *non ens*: at in motum proprie dictum, ambo termini debent esse *entia* & positiui termini, quorum vnum positiue opponitur alteri, licet non aduersentur inter se. Iam licet in quantitate & vbi, termini non aduersentur, (nam aduersæ oppositæ in quantitate & vbi nullæ sunt) tamen ambo sunt vere *entia & positiua*, & inter se opponuntur, licet non aduersæ. Sufficit autem ad Motum, si termini sint positiui & *oppositi*, licet non sint aduersi; nam ab albedine ad rubedinem, aut a viriditate ad rubedinem, est vere motus, & tamen nullum eorum aduersatur alteri, sed vere opponitur. At termini in generatione & corruptione non opponuntur, vt termini positiui, sed vnus eorum semper est *non ens*, et ideo ad Substantiam negat Arist. esse motum, quia semper in motu requiritur vt ambo termini motus sint positiui. Restat nunc vt singulas species motus breuiter percurramus.

Augmentatio quid. *Augmentatio, est motus, qua subiectum seu id quod augetur, mutatur successiue a minori quantitate ad maiorem.*

Diminutio quid. *Diminutio, est motus, qua subiectum seu id quod diminuitur, mutatur successiue a maiori quantitate in minorem.*

Est autem tam augmentatio, quam diminutio duplex: Augmentatio *improprie dicta*, quæ est quando alicui subiecto maior quantitas sic additur, vt id quod additur, continuetur illi toti, cui fit additio, licet non recipiatur intus in singulas illius partes; vt cum aquæ additur alia aqua. Diminutio *improprie dicta* est quando pars aliqua quæ continua erat toti, tollitur a toto, licet a singulis ipsius partibus non detrahatur, vt cum aquæ demas tertiam illius aut quartam partem.

Tres conditiones in Augmentatione proprie dicta. Augmentatio vero & Diminutio *proprie dicta* inuenitur tantummodo in viuentibus, & ad agmentationem tres hæ conditiones necessario requiruntur. Prima, vt viuens fiat maius propter alimentum intrinsecus receptum, & conuersum in substantiam aliti. Secunda vt

non

non modo totum fiat maius, sed etiam singulæ ipsius partes tam similares, (vt caro & ossa) quam dissimulares (vt caput, manus, & pedes) nam singulis partibus fit additio alimenti, primo concocti in stomacho, et ibi mutati in chylum; tum in iecore conuersi in sanguinem; postremo a iecore per venas dilati in singula membra, et ibi per poros recepti in minutissimas quasque partes, ac tum carni ac ossibus assimulari, agglutinati, et continuati. Tertia vt id quod augetur maneat idem numero quod fuerat; nam animal per totam vitam manet idem numero, habetque eandem animam numero tam vegetantem, quam sententem, licet particulæ quamplurimæ materiæ, quotidie et sensim defluant, et cum materia, partes etiam quædam animæ tam vegetantis quam sentientis, quia illæ cum materiæ immersæ sunt, vnà cum materia defluunt; sed manent quædam principales partes materiæ per totam vitam, vt Cor et ossa, et eadem numero anima tam vegetatiua, quam sensitiua, quæ in nouas partes materiæ a corde extenditur. Hæc paucis, et obscurius hic significaui, fusius enim de his agere ad Physiologiam spectat. Tres vero illæ augmentationis propriæ dictæ conditiones expresse ab Arist. traduntur. lib. de Gen. et Cor. cap. 5.

Dubia tam multa hic de Augmentatione occurrunt, eaque tam difficilia, vt Pomponatius, qui duos integros libros de Augmentatione conscripsit, in quibus diligentissime de Accretione disseruit, palam confessus sit, neminem mortalium esse, qui possit asserere in huius rei intelligentia sibi esse satisfactum. Ego vnicum hic proponam, quo vt opinor, bene intellecto, in reliquis labor facilior multo futurus est. Illud mensuram respicit, et durationem, in qua Augmentatio fieri solet. Certum est, non modo in Augmentatione, sed in omni etiam nutritione, quantitatem maiorem addi rei alitæ, et auctæ; nam cum alimentum, quod quantum est, assimulatum agglutinatur, et continuatur siue nutrito, siue aucto, necesse est augmentationem tum fieri, fit enim Corpus alitum et auctum maius quam fuerat, antequam alimentum illud agglutinatum erat. Iam certum est nutritionem non fieri vel prius vel posterius quam alimentum fiat pars aliti; pars non est, nec esse potest illius, priusquam forma aliti, scilicet anima vegetans, informet alimentum susceptum, tunc enim incipit id quod ante alimentum fuerat, esse viuum, et pars viuentis. At forma viuentis introducitur in alimentum in instanti, quia omnis generatio fit in instanti et quando alimentum assimulatur, et agglutinatur viuenti, tum generatur pars noua viuentis, quæ ex alimento corrupto fit viuens. At quamprimum alimentum suscipit formam aliti, additur noua quantitas, et corpus alitum fit maius quam ante fuerat, tunc enim noua quantitas ei additur, et continuatur; quare augmentationem fieri in instanti necesse est, et ita motus hic non erit successiuus, sed Instantaneus. *Dub.*

Erit hic locus, vbi ingenia sua exerceant, qui in his studijs operam *Sol.*

et oleum impendunt; quid mihi videtur paucis indicabo. Augmentatio in viuente accipitur vel proprie vel improprie. Proprie viuens augetur quando Corpus alitum recipit maiorem quantitatem quam fuit deperdita, vt fit in adolescente, ideoque is creicit donec ad perfectam staturam perueniat. Improprie viuens augeri dicitur quando alitum recipit maiorem quantitatem quam habuerat ante alimenti agglutinationem, licet non maiorem quam habuerat antequam perdiderat illam quantitatem quæ per nutritionem restituitur. Iam extra dubium est, augmentationem illam qua corpus pueri aut adolescentis quod augetur quotidie, fit maius, donec ad perfectam staturam & magnitudinem perueniat, fieri in tempore & successiue: nam postquam alimentum conuersum est in tale Corpus aliti, extenditur Corpus in longum ac latum, idque fit, postquam alimentum factum est pars alitij; tunc enim calor naturalis resoluit paulatim Corpus, & poris implet, atque ita extendit Corpus, vna parte aliam trudente, ex quo fit vt corpus tum longius fiat, tum crassius in pueris & iuuenibus: atque istam augmentationem in tempore, & successiue fieri non dubitamus. Sed cum Corpus nutritur solummodo non autem augetur, vt fit in viro ac sene, & vt fit etiam in pueris ac iuuenibus ante istam quæ agglutinationem alimenti sequitur auctionem, tum inquam est additio nouæ quantitatis alito, quæ etsi non faciat alitum maius quam fuerat ante deperditionem materiæ quæ defluxit, vere tamen facit maius quam fuerat ante nutrimentum hoc additum, & agglutinatum fuit; ideo hæc etiam vere augmentatio viuentis dicenda est, licet non sic vulgo vocetur, quia augeri Corpus vulgo tum solum dicimus, quando maius aut longius fit quam vnquam fuerat: et quia hæc additio, agglutinatio, & continuatio alimenti fit per accessum animæ in id quod prius fuerat alimentum, sed corrupta tam forma alimenti, fit pars corporis, & informatur forma aliti, ideoque est vere generatio nouæ partis aliti; & quia forma non accedit alicui, neque quidquam informat nisi in instanti, sicut nulla generatio nec vllius est nisi instantanea, ideo ego plane sentio, quantitatem istam addi in instanti, & augmentationem illam fieri in instanti, sicut solide in obiectione probatur. Ad dubitationem autem ita dico, quantitatem tale esse, vt ex sese non nisi tempore & successiue addatur, ideoque omnem omnino augmentationem tam eam quæ proprie viuentis augmentatio dicitur, quam eam quæ fit in omni nutritione, *ex se* successiuam esse, & in tempore fieri profiteor. Sed *per concomitantiam generis*, cui individuo nexu nutritio semper coniuncta est, fit additio nouæ ac maioris quantitatis (quæ vere est augmentatio) in instanti. Breuiter in hunc modum, Augmentatio (vt omnis alius motus) *ex se* fit, in tempore & successiue, sed *ex accidenti*, & propter concomitantiam generationis, augmentatio hæc quæ nutritioni semper connuncta est, (quod idem fortè in alijs motibus fieri solet) fit in instanti.

Et sicut eadem de diminutione dubitatio fieri potest, ita eadem solutio

lutio adhiberi debet. Nam certum est viuens non diminui nisi cum Corporis aliquæ partes, & cum eis quantitas, defluant: Corpus autem nullam partem amittit, nisi quando anima viuentis vel recedit vel interit; at anima nec recedit nec interit nisi in instanti; nunquam igitur diminuitur Corpus nisi in instanti; diminutio autem fit in instanti proper *Concomitantiam Corruptionis*, sed *ex se*, vt omnis alius motus, fit in tempore.

Hoc est quod mihi post multam lectionem, post longam ac seriam meditationem occurrebat, quo dubitationi propositæ satisfaceret, & credo certe satisfactum esse. Ipse in hoc vt maxime probabili lubens acquiesco: te lector, si quid rectius nouisti hac in re, obnixe rogo, vt impartias; & sine quæso, te hic exorem.

Motus ad Qualitatem vocatur *Alteratio*, ea sic definitur. *Alteratio, quid est motus, quo subiectum successiue mutatur ab vna qualitate in alteram.* Vt ab albo in nigrum. Vides hic & subiectum huius motus, & duos terminos & mensuram. Etsi autem per acquisitionem cuiusuis qualitatis, siue habitus sit, siue figura, subiectum dici potest alterari *in largo sensu*, tamen *proprie dicta alteratio* solum est inter sensibiles qualitates, & præcipue inter eas quæ sunt actiuæ ac passiuæ, vt sunt Calor, frigus, humidum & siccum. Hoc indicat Arist. 7. Phys. c. 3. vbi *negat alterationem* (puta proprie acceptã) *esse vel in figuris vel in habitibus animi.* *Alteratio quid.*

Vltima species motus est ad vbi, & vocatur *motus localis*, is sic definitur: *Latio est motus quo subiectum aliquod mutatur successiue ab vno loco ad alium.* Vt a loco sursum, ad locum deorsum. Subiectum huius motus est vel Corpus vel spiritus; vtrumque enim localiter mouetur. Terminus a quo, est locus ille siue definitiuus, siue circumscriptiuus qui deseritur a mobili: Terminus ad quem, est ille qui acquiritur a mobili; mensura vero omnis motus localis est tempus, & hoc Arist. expresse docet lib. 6. Phys. cap. 3. vbi ait, *nihil in ipso nunc moueri*, & iterum, *fieri non potest vt quidquam in ipso nunc moueatur.* Et sicut negat quidquam posse moueri, itidem *negat* ibidem *quidquam posse quiescere in Instanti.* Nam quiescere illud dicitur quod non mouetur quando est aptum moueri; nihil autem aptum est moueri in instanti, nihil igitur in instanti quiescit. Verum quidem est, quod in instanti res cessat a motu, & non mouetur; sed quiescere plus requirit, quam negationem motus, nempe aptitudinem tum mouendi, quando quiescit. *Latio quid.*

Ex eo quod dixi, mensuram omnis motus esse tempus, duo consequuntur. Primum est, *omnem motum localem esse continuum*, nam aliter non posset successiue fieri aut in tempore. Quare longissime a vero aberrat Tho. Aquin. qui dixit part. 1. Quæst. 53. Art. 2. et art. 3. Et post eum Pet de Aquila. in 2. sent. dist. 2. quæst. 3. et alij, *Angelo motum posse esse non continuum*; & *Angelum posse moueri in tempore non continuo.* Certissimum est enim neque vllum tempus, neque

vllum horum posse esse discretum, vtraque continua sunt.

Secundum est, non modo nullum Corpus, sed *ne Angelus quidem posse moueri in instanti*, sicut aliquos opinatos esse testatur Aqui. quæst. eadem. art. 3. Docet hoc & probat liquido Bonauent. in lib. 1. sent. dist. 37. nu. 58. 59. etiam & ratio idem confirmat. Nam si Angelus Londino Romam in instanti moueretur, esset in illo vno instanti, et Romæ et in omnibus illis locis, quæ media sunt inter Romam, et Londinum; nam si priùs sit in vllo medio loco, quam in extremo, tum esset prius et posterius in instanti, quod fingi non potest: vt autem simul sit in pluribus locis, est penitus impossibile, cum Angelus sit ex natura sua, sicut omnia entia finita, *definitiue in loco*; quod autem loco definitur, ita est hic vt simul alibi esse non possit. Quod si quis dicat, Angelum posse moueri ab vno extremo ad aliud extremum, nec tamen moueri aut transire per medium (quod ipsum sensit Aqui. part. 1. qu. 53. ar. 2. et post eum Petr. de Aquila loc. cit. alijque) tam futile est vt ne cogitatione quidem comprehendi possit, & vt vere ait Bonauent. loc. cit. q. 2. nu. 54. *ratio hæc non capit vt possibile.* quare & ipse reijcit eam sententiam, qua angelum moueri sine medio asseritur. Sed Aquinas in hoc multisque alijs ingenio suo nimium indulget.

Dub. Dubitari merito potest de Cœlo, nam moueri orbes cœlestes certum est, nec tamen vnquam deserunt locum, aut superficiem illam concauam continentis in quo sunt: denique suprema sphæra iuxta Arist. mouetur, & tamen non est in vllo loco, nec ergo recedere potest à termino a quo, nec accedere ad terminum ad quem. *Sol.* Respondeo, cœlestes sphæras cum mouentur localiter, non deserere vnquam *totaliter* loca sua in quibus sunt, sed deserunt hanc aut illam partem loci & superficiei concauæ in qua continentur. Satis est autem ad motum localem, si mobile relinquat locum in quo fuit, *vel totaliter* vel *secundum partem.* Ad illud de summo cœlo, dico, id quod vere est summum cœlum, quodque a Theologis Empyreum vocatur, non omnino moueri, licet mobile sit; sed etsi actu moueretur, vt summum cœlum Arist. putauit esse primum mobile, solutio non est difficilis iuxta illam Damasceni distinctionem, quam ponit lib. 2. de fide, cap. 17. nam etsi non sit in loco circumscriptiuo *corporali*, est tamen in loco circumscriptiuo *intelligibili*: sic vt intelligere possis corpus circumscribens ipsum atque ambiens, & satis est ad motum illius localem, si moueatur a termino & ad terminum loci *intelligibilis*, licet non *Corporalis*.

Atque hæc satis multa de *Motu*, quæ in Tyronum gratiam huc intexenda censui, vt sicut in alijs obscuris Philosophiæ partibus, ita in hac de Motu lucem aliquam si possem afferrem. Certe enim spinosa multa in Motu; cuius tractationem tam arduam ac difficilem opinabantur maiores nostri, vt me adolescente, M^r. Phil. Randallus, gran-

grandæuus tum senex, sed nec supra modum neque pro ætate doctus, valde destomachari solitus sit, si quem fortè qui candidatus non esset, vel nominare Motum in scholis audisset.

Hæc de Passionis Prædicamento dicta sint.

Cap. XVI.

De Vbi.

SEquitur Vbi, de quo itidem tria explicanda, *quid sit*, quæ *eius proprietates*, *quæ species*.

Vbi est accidens absolutum, ortum ex applicatione locati ad locum, per quod respondetur ad quæstionem factam per Vbi, aut per quam res dicitur esse alicubi, vt Vbi docuit Aristoteles? In Lyceo, celeberrimo Gymnasio iuxta Athenas, vbi inambulantes disputabant: vnde Peripatetici dicti. Cic. lib. 1. Acad. Vbi Plato? In Academia, loco nemoroso mille passus ab Athenis distante. *Vbi quid.*

Hinc obserua: Primo *Vbi non esse relatum secundum esse.* Nam si haberet Correlatum, illud proculdubio æquè esset summum Genus atque est ipsum Vbi, quia nec superius esset, nec inferius quam Vbi. Atque ita essent plura prædicamenta quam decem. Præterea nullum Correlatum videtur esse aliud eius quam locatum. At id subiectum est *Vbi*, non correlatum, quare ad id non magis refertur *Vbi* quam pater ad hominem. *Vbi non est relatum secundum esse.*

Secundo *Vbi, non est locus, nec idem naturâ cum loco*: Nam Vbi oritur ex loco: & locus est quantitas, nempe superficies, ideoque sub genere alio positus; at *Vbi* sub alio genere (cum sit summum Genus) poni non potest. *Vbi non est locus.*

Tertio *Omne ens finitum habet suum Vbi, & alicubi esse dicitur*, Omne inquam, tam substantia, quæ *per se* habet *Vbi*, quam Accidens quod *per accidens* & gratiâ Substantiæ habet *Vbi*: & Substantia tam incorporea, qualis est Spiritus, quam Corporea qualis est Corpus, suum habet *Vbi*. De vtroque enim quæri potest Vbi sit: de vtroque vere responderi potest, esse in hoc vel illo loco: id vero est esse in *Vbi*. Atque hinc perspicuum est, vitiosam esse illam Gil. Porretani descriptionem, cum definit *Vbi*, esse *circumscriptionem corporis locati a circumscriptione loci prædicti*. Nam illa descriptio convenit tantummodo *Vbi* Corporum, non Spirituum: nec omnium etiam Corporum *Vbi* convenit, non enim summo cœlo. At certum est *Vbi* tam spiritibus, & summo cœlo, quam alijs corporibus competere. *Omne Ens finitum est in Loco.*

Vt hoc plenius intelligatur, obseruandum est tria hæc inter se differre,

ferre, esse *in loco definitive*: *esse definitive tantum non circumscriptive*, & *esse definitive ac circumscriptive*. *Definitive simpliciter & communiter illud dicitur esse in loco quod loco determinatur & definitur, id est, quod ita est in hoc loco, vt simul extra hunc non sit vspiam, vel non sit in vllo alio loco.* Nam egregiè profectò Sophistam agit Bellar. lib. 3. de Sac. Euch. cap. 4. § Altero, quando vt persuadeat, Corpus vnum non solum posse esse simul in pluribus locis, sed etiam *definitivè* posse esse in illis simul, ait, *Definitive esse in loco, requirere nihil aliud, quam ita esse in aliquo loco, vt in illo toto sit, et non in maiori.* Manca enim est haec descriptio. Cum *definitive esse in loco*, sit loco illo in quo ineſt finiri; non autem finitur aut definitur, si totum extra hunc locum sit, aut in alio loco simul. Docet hoc Magister, qui lib. 1. Sent. distinct. 37. lit. I. dicit, Spiritum ideo esse in loco *definitive, quoniam cum alicubi sit praesens, totus alibi non inuenitur.* Docet idem Aquin. qui part. 1. quæst. 52. art. 2. ait, *Angelum esse definitive in loco, quia ita est in vno loco, vt non sit in alio.* Docet hoc Caiet. com. in illam quæst. art. 1. vbi sic ait. *Praesentia rei existentis in loco est duplex, circumscriptiua & diffinitiua. Diffinitiua importat tantùm limitationem seu determinationem ad locum, id est, ita esse hic quod non sit alibi.*

Esse definitive quid.

Esse in loco definitive tantum quid.

Definitive tantum & non circumscriptive esse in loco, est definiri loco in quo est, ita vt totum alibi non sit, non tamen circumscribi superficie locantis. Vt si spiritus sit in hac domo, non circumscribitur superficie domus, sed ita finitur isto spacio, vt nusquam alibi sit, quandiu totus est in hac domo.

Esse in loco circumscriptiuè quid.

Circumscriptive simul ac definitive illud dicitur esse in loco, quod ita finitur loco in quo existit, vt simul etiam superficies eius contigua sit superficiei corporis locantis. Sic homo est in aere, piscis in aqua, sphæra inferior in superiori.

His declaratis facile intelligitur, Primo quod *quicquid est in loco vllo, illud est definitive in loco.* Nam si non definiatur vllo loco, certe nec est in loco vllo. Quæ pro certissimo habendum est, Deum qui nullo loco definitur, nec definiri potest, non esse vllo modo propriè in loco. Excedit enim illius essentia omnem locum: & quamuis verum sit, eum esse vbique, & in omni loco, non tamen est vbique vt comprehensus seu contentus in loco, sed vt comprehendens & continens omnem locum. Secundo, *quod quicquid est circumscriptive in loco, illud etiam est definitive in illo loco, sed non contra.* Nam Spiritus est definitiue in loco, non autem circumscriptiue, quia quod circumscribitur habet superficiem exteriorem contiguam, & circumambientem suam superficiem. Spiritus autem superficiem nullam habet, ideoque circumambiri non potest. Quicquid verò circumscribitur loco, ita continetur & definitur in eo loco, vt simul alibi nec sit, nec esse possit. Tertio, Quod esse *in loco Definitiuè, est quasi Genus ad esse in loco Definitive tantum, & esse in loco Definitive simul ac circumscriptive.*

Deus nullo modo est in loco.

Quod si quæratur quonam pacto Substantiæ sint in loco aut *Vbi*, etsi

etiã hoc ad Metaphysicos & Physicos spectet, non ad Logicos, paucis tamen id significabo. *Substantiæ in genere conuenit esse per se in loco definitiue seu definiri loco.* Atque hoc plane fluit a natura atque essentia *definitiue in loco* substantiæ quæ est summum Genus: nam quia eius natura finita est, *in omni*. & non in infinitum extensa, ideo loco finitur & terminatur.

Spiritui omni qua spiritus est conuenit, esse in loco definitiue tantum, sic *Spiritus est in* vt nec circumscribatur, nec circumscribi loco possit: ratio aperta est, *loco definitiue* quia non habet superficiem quæ possit ambiri ab alia superficie sibi *tantum*. contigua. Et *ita esse in loco*, fluit a natura & essentia Spiritus.

Non possum quin te hic admoneam lector, illius vere infamis libri, quem de *descensu Christi ad inferos*, conscripsit Rob. Parkerus. Is vt sacrosanctum illum fidei nostræ articulum conuellat, Christique animam non fuisse localiter in inferno vueti posset, negat animas separatas itemque angelos, vel moueri localiter, vel agere, vel pati, quidquam, vel omnino in loco vero ac reali vllo esse.

Dic primum de loco: *Locus*, inquit, *animarum, nisi metaphysicus & intelligibilis, nullus est.* lib. 2. nu. 60. Sed quis aut qualis ille locus? an verus, realis, & proprie dictus locus? Non. *Angelos*, inquit, *& animas in loco proprie non esse, contendimus. Cum locus proprius corporum sit, & modus existendi in loco proprio, modus corporum. modus autem ille* (quo spiritus sunt in loco) *non nisi mystice & spiritualiter, addo etiam figurate intelligitur.* lib 2. nu. 61. Et postquam hæc, multaque similia ciuasset, atque approbasset, *Dicere enim beata nusquam esse, non est inconsentiens*: sic concludit, *Conficitur hinc, neque Animam neque Angelum, vel in vllo loco esse, vel in Vbi.* lib. 2. nu. 70. et iterum, ibidem, *Patefecit iam tandem apertissime, quod in nullo loco separata hominum anima esse possint.*

Dic nunc an moueri possunt. Non possunt. *Spiritus*, inquit, *hominum defunctorum localiter moueri nullo modo posse, supra demonstratum est.* lib. 4. nu. 54. Dic vlterius an agere possunt. Nec id quidem. *Abunde probatum est, animam solutam agere non posse, præsertim ad extra. Hæc est veritissima.* lib. 4. nu. 45. An vero pati etiam non possunt? Nec id quidem. Et hoc inepto ac futili quodam Tertulliani dicto, lib. de anima cap. 7. (cui ipse applaudit,) probat, lib. 2. nu. 91. *Incorporalitas nihil patitur, nec habet quod pati possit; ab omni genere custodia libera est, immunis a pœna, & a fouea* (i. solatio.) Male Tertullianus, qui ex hoc, quod anima in loco sit, & patiatur, ideo corpoream eam esse contendit; pessime Parkerus, qui ex hoc, quod anima non sit corporea, ideo nec pati eam, nec in loco omnino esse concludit.

Cor Philosophi, Anima & Angelus, nec *agit quidquam*, nec *patitur*, nec *mouetur* in loco, nec omnino *in loco* vllo est, Psychopannuchiam opinor inducet. Dormitate animas vultaltum somnum, & hoc (quod magè mireris) nusquam, in nullo loco, in Vtopia; Sit etiam illi, & *Outis*, nomen: Talis solus, Vtopiæ hospes.

Sed fortassis circumscriptiuum solum eis locum negat; Imo etiam

definitivum; & vere omnem locum, nam definitivum locum ridet homo argutus, & pro figmento habet. *Non me movet*, inquit, *nupera illa distinctio, qua affirmatur nil nisi Corpus circumscriptive in loco esse, animam tamen posse locari definitive. Ausim dicere, huius aeuminis nihil cognitum fuisse ante scholasticorum tempora. Antiqui nullum locum Physicum* (id est, verum ac realem) *statuunt nisi Corporeum*, lib. 2. num 64. Et postquam citasset Caietanum, & Scaligerum, dicentes, *Animas esse in loco aequivoce, horum*, inquit, *aequivoca anima illocalitas, vnivoca est nostra illocalitas*, lib. 2. nu. 66. & clarius lib. eodem nu. 60. vbi hoc recitat, probatque: *Dicunt aliqui, quod Angelus non est in loco circumscriptive sed definitive, quia determinatur ad locum aliquem, sic quòd est in hoc loco, ita vt non sit in alio, cum essentia eius finita est. Sed hac*, inquit, *valde rudis est probatio: quia procedit ex aequivocatione finis; quia essentia angeli est finita, id est, habet finem essentiae & virtutis, sed non est finita, sic vt habeat commensurationem seu proportionem cum loco aut terminis loci. Quare probatio valde rudis est eorum, qui ex eo probare volunt animam separatam in loco esse, quia in essentia finita sit.* Et postquam ineptas quasdam contra locum definitivum ratiunculas attulisset, sic insultabundus triumphum canit. *Quo nunc abijt hac localitas definitiva? certe in fumum, & in temeras auras*, lib. 2. nu. 26.

Ac vt cum ratione insanire videatur, rationibus & authoritatibus firmare videri vult hanc suam de animarum, atque Angelorum illocalitate, & immobilitate ineptiam. Boetij verba hic citat, lib. 2. nu. 63. (an vere citet tu videris,) *Incorporalia in loco non esse.* Anselmum etiam (ibidem) sic arguentem, (si fides sit referenti) *Deum ideo illocalem esse, quia est incorporeus.* Sed et Aristotelem (ibidem) patronum iactat, sic dicentem, (tu cave hic credubus sis) *Non omne quod est, in loco est, sed tantum mobile corpus.* Ex his (vel male citatis, vel male intellectis) concludit, animas & angelos quia corporea non sunt, nec in loco vllo esse: etiam & gloriari audet, *Nullis vnquam machinis deijcienda est ista Proeli demonstratio, Quicquid est mobile, est divisibile.* lib. 2. num. 100.

At tuam hanc de animarum immobilitate, & illocalitate sententiam, S. Scripturæ clare, vt opinor, refellunt; nam impiorum animas detrudunt in infernum, quasi in locum corporeum. Imo, inquit ille, hæc me non refellunt, *quia Infernum respectu animarum, locale & Physicum* (1. verum) *nullum est.* lib. 2. nu. 70. *figurate illa omnia dicuntur quæ de loco animarum habentur*; ibidem. *Nec infernus locus est in centro terræ, aut sub terræ superficie*, lib. 2. nu. 71. *Delirium hoc est, & Hieronimus istius delirij author, quod animæ damnatorum sunt in inferno, quasi in loco intra terram corporeo; Ante Hieronimi ætatem, sententiam illam publice receptam non invenio*, lib. 2. nu. 82. *Imo patres, qui Infernum sub terra statuunt, de Antipodum regione loquuntur, non de aliquo intra terram recessu*, lib. 2. nu. 74.

Sed dic amabo, an non cum animæ impiorum migrant e Corpore

ad

ad Infernum, an non vere tum, realiter ac localiter descendunt? Non sine. *Descensus*, inquit, *eorum ad Infernum non est localis descensus, nec in locale Infernum*, lib. 2. nu. 99. Quid igitur est? dic clare. *Descensus ad inferos est plane figuratus, & notat decessionem in ipsam mortis conditionem; nequit alio quocunque modo descendere anima ad Infernum potest*, lib. 2. nu. 99. & 100. *Mori & descendere in infernum, Synonima sunt, Descendere ad Inferos & mori, idem sunt.* lib. eodem nu. 99.

At cum tam boni ac beati, quam mali ac miseri, cum utrique subeant mortis conditionem, & moriantur, an tu etiam utrosque ad Infernum descendere dices? Dicam certe, & fidenter, Vnus est utrisque Hades, utrique in infernum descendunt. *Dicere piorum animas & in morte ascendere, & (in infernum) etiam descendere, non sunt contraria: Imo nihil est in his repugnantia*, lib. 2. nu. 98 *Nostra sententia est, in Hadem omnibus hominum animabus communem, Christi animam descendisse*, lib. 3. nu. 16. & iterum ibidem, *Lex hæc in animas omnium hominum incumbit, vt maneant in Hade atque Inferno, quousque resurgant. In hunc Hadem descendit anima Seruatoris.* Ecce Sanctorum omnium animæ (quæ sine omni dubio paradisum incolunt, & cœlum) illæ inquam, ipsæ quæ in cœlum ascendunt, huic arguto homini descendunt in Infernum: in infernum etiam impijs omnibus commune, ibiq; comorari sunt quoad resurgant Corpora.

Dic vero ad extremum, quandoquidem Christi animam fuisse in Paradiso non audes inficiari, an non Paradisus ille vere Hades & Infernum tibi est. Est certe, nam primo sic ait, *Christi anima in suo Inferno remansit quoad revixit*, lib. 3. nu. 25. post addit, nu. 28. *Animam Christi in Paradiso duntaxat fuisse.* Quomodo verum verum? animam Christi in paradiso tantum fuisse, & tamen fuisse in suo Inferno, ibique toto illo triduo remansisse, nisi quia Hades seu Infernum idem apud eum sit quod Paradisus? quod ipsum aperte profitetur, lib. 3. nu. 28. *In Paradiso*, inquit, *qua est Hades, & Terra beatorum omnium spiritum.*

Portenta opinionum! quid est, si hoc non sit, Cœlum terræ miscere, cœlum in terram, infernum in Paradisum vertere? Quis non hic exclamet, *O nugas hominum, o quantum est in rebus inane? Quis legat hæc?* Nec tamen hæc quæ citavi, mille sima pars sunt earum sordium quibus est illud Parkeri volumen opplenum; vere Augiæ stabulum est, quod Hercules ipse non expurget, nec quisquam alius nisi vulcanus. Tu mi lector, si forte apud eum, aut similiter ineptientes, in hæc incideris, noli titubare animo, aut hæsitare de fide eorum, quæ tibi fide optima commendavi, de *loco definitivo*, de *existentia, allitus, passione, motu locali* tam angelorum, quam animarum in tali loco, quem verum, realem, & si vis etiam Physicum, i. naturæ ipsorum apum & conuenientem recte vocare poteris. Quo diligentius hæc nostra pensabis, videbis magis, amabis magis, puram putam quam inde hauriteris doctrinam. Istorum autem qui contra blaterant, nænias atque

ineptias,

ineptias, si semel noveris, perpetuo oderis. Audi enim pauca, sed vera verba (quæ tibi olim vsui erunt) de hoc, cuius tot tam audisti ineptias, Parkero. Fuit ille, me adolescente, vir & doctrina cæteris, & propter morum gravitatem simul ac suavitatem insignis; quem iuniores nos, propter ingenij acumen, & orationis flumen coluere soliti & suspicere. Certe enim dum in Ecclesiæ gremio se continuit, ex limpidissimis florentissimæ Academiæ fontibus, multum aquæ viventis, & ad vitam salientis, multum nectaris, & ambrosiæ hauserat, quæ illum, si bonis suis bene vti voluisset, poterant & facere, & servare beatum. Postquam vero ingenij sui typho elatus ac inflatus, intumescere cœpit, & contra sanctissimam hanc Ecclesiam, primo cristas attollere, tum vero palam etiam disciplinam suæ matris, (quod vetat Sapiens) vili pendere, & aperto demum marte, calamum, imo stilum in eam stringere, & nefarium ei bellum inferre; ictes eius ex illo fluere, ac retro sublapsi referri; & quasi de cœlo tacti, deliquium doctrinæ simul ac ingenij passus est; evanuit illi stizæ, inque fumum abijt omnis sana quam prius imbiberat doctrina, in errorum imo hereseon barathrum se præcipitem dedit, & aurum omne ingenij sui in scoriam, vinum in venenum vertit. Quodque solenne schismaticorum ingenijs, omnibusque qui in Ecclesiam sanctam immorigeri sunt ac rebelles, pro Philosophiæ institutis nænias, ac germanas gerras; pro theologiæ ac fidei dogmatis, fædissimas hæreses, & horrendas blasphemias, quæ nihil aliud quam Atheismo viam sternunt, disseminare in vulgus, & palam venditare non est veritus: nec erubuit quidem.

Sine te hinc vno verbo moneam, Adolescens Academice; Care vnquam sis Narcissus ingenio tuo; ne si te forte deamare ac admirari incipias, cæcus iste & improbus amor (quod non nemini contigisse vidimus) ex amante amentem facit. Sapito, sed iuxta Apostoli monitum, ad sobrietatem, & modestiam sapito; ita sapies ad veritatem, sapies ad vnitatem, sapies ad eum, qui vnus vnitas est & veritas, Deum. Sed redeamus ad id vnde digressi sumus: nam quibus locus definitivus convenit, satis vti spero, nunc intelligis.

Corpus est in loco definitive & circumscriptive.

Corpori omni quæ Corpus est, suo venit, ita esse in loco definitive, vt possit simul esse in loco circumscriptive. Possit inquam, nam ex natura Corporis fluit, vt sit circumscriptibile, vtque possit circumscribi. Si autem actu non circumscribatur, hoc non est ob aliquod impedimentum aut defectum in natura corporis, sed propter defectum ambientis. Nam si esset aliquod corpus ambiens supremum cœlum, actu circumscriberetur tam vere, quam orbis Solis, Lunæ aut terræ. Quia vero ambiens Corpus nullum est, idco illud supremum cœlum est tantum definitive in loco, non autem circumscriptive; non inquam *actu circumscriptive*, nam in hoc est manifesta differentia inter Spiritum & Supremum cœlum; Quia licet vtrumque eorum sit tantum definitive in loco, tamen Spiritus ita est definitive tantum, vt non possit

possit esse circumscriptive, ne si mille Corpora ipsum actu ambirent. Supremum autem cœlum est ita in loco definitive tantum, vt tamen possit esse circúscriptive in loco si vllum superius corpus ipsum extrinsecus ambiret. Reliqua autem omnia corpora præter summum cœlum, sunt & *definitive & circumscriptive alibi, in loco*, ita vt non solum definiantur eo loco in quo sunt, sic vt simul alibi non sint, sed etiam vt superficies ambientis corporis, contigua sit ipsorum superficiei.

Nullum Corpus potest esse in duobus locis simul.

Ex his consequitur, nullum omnino Corpus (ne Christi quidem) posse simul in pluribus locis esse, vt garriunt quidam Sophistæ: tunc enim non definiretur suo loco. Præterea duo corpora essent, non vnum; nam quod vnum est, illud a seipso indivisum est; at si in pluribus contineretur locis, totum a se toto divideretur, cum in vtroque loco totum & tota ipsius essentia esset. Audiant isti Angelicum suum Doctorem verissime hoc docentem, in lib. quartum Sent. distinct. 44. q. 2. art. 2. ad quartum, *Dicendum est*, inquit, *quod vnum corpus esse simul localiter in duobus locis, non potest fieri per miraculum. Quia esse simul in pluribus locis, repugnat indivisioni rationis eius quod est esse indivisum in se: sequeretur enim quod esset distinctum in situ. Vnde quod aliquod corpus sit localiter simul in diversis locis, includit contradictionem, sicut quod homo careat ratione & quodl. 3. Quæst. 1. art. 2. Respondeo*, inquit, *quod aliquod corpus esse localiter in aliquo loco, nihil est aliud quam corpus circumscribi & comprehendi a loco secundum commensurationem propriarum dimensionum. Quod autem comprehenditur a loco aliquo, ita est in ipso loco, quod nihil eius est extra locum illum; Vnde ponere quod sit localiter in hoc loco, & tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria esse simul: vnde secundum præmissa, hoc a Deo fieri non potest.* Sic Aquinas. Est nunc Bellarminus, & Sophista Angelicum Doctorem, id est, Sus Minervam docet, posse *nimirum Corpus Christi esse localiter in pluribus locis simul, idque non solum definitive, sed circumscriptive*, vt ille ait, ea, citato, §. At quia. Quod autem S. Ambrosium simul & Mediolani fuisse & in Gallijs, & Mediolani quidem dum missam celebraret obdormiuisse, ac eodem tempore, S. Martini funeri interfuisse in Gallijs, quod, inquam, Greg. Turonens. & ex ipso alij, hæc commemorant, fabula est, & figmentum plane anile. De eo sic Dom. Soto in quartum Sent. distinct. 10. q. 1. art. 5. *Haud credendum est, Ambrosium revera fuisse in ambobus locis; nam tum quid opus esset obdormire? Somnum ergo indicium fuit, imaginariam fuisse visionem.* Sic ille. Sed perfectè & ipse delirat, aut fominat. Nam revera Ambrosius neque dormiens, neque vigilans, neque per realem præsentiam, neque per imaginariam visionem, funeri S^ti. Martini interfuit, aut vero interesse potuit. Cum certum sit Ambrosium triennio aut quadriennio ante Martinum defunctum esse. Etenim Ambrosius obijt, vt Marcell. ait in Chron. Coss. Honorio & Eutychiano, sed, vt ait Cossetus in vita Ambr. anno priori Coss. Cæsario & Attico, qui est annus 397. Atque hoc verius est, cum Simplicianus Ambrosij successor, his ipsis

Coss. fuit Episcopus Mediolanensis, vt ex Concilio Carthag. 3. sub Syricio cap. 48. liquet. Martinus vero non obijt ante consulatum quintum Arcadij, & Honorij qui est annus 402, vt ex Sulp. Severo ipsius discipulo manifestum est, vtque ex ipso Baron. agnoscit Not. in Martyr. Nouem. 11. at inter consulatum Cæsarij, & Honorij quintum, sunt 4. integri consulatus & completi anni, vt ex fastis, & Marcel. clarum est. Quare si Ambrosius S. Martini funeri interfuerit, aut missam celebrauit eodem tempore, (vt fabulatur Gregor. Tur.) certe ad hæc officia præstanda, necesse erat ipsum quadriennio ante iam sepultum, e sepulchro suo etiam tum cum computruissent caro & ossa eius, rediisse. Magnum certe & mirandum argumentum, non solùm dignitatis S. Martini; sed & ipsius missæ. Sic ineptiunt scilicet & deliramt qui volunt, inventis frugibus, glandibus vesci.

Dub. Sol.

Dubitari potest de supremo cœlo quomodo in loco, vel definitiue, esse possit, cum locus nullus sit in quo esse possit. Dicat fortasse quispiam, esse in eo spatio quod occupat, ibique definiri, quia totum illo spatio continetur, & nusquam alibi est neque extra illud Spatium. Sed fateor me quidnam sit illud quod spatium vocant, non capere: Substantia enim non est, sed neque accidens vllum, nisi forte quantitas. Si autem quantitas vlla sit, quia est extensum per totum mundum, erit certe corpus quantitatiuum, et ita erunt simul dimensiones spatij & dimensiones corporis locati (puta hominis aut Cœli) in eodem loco, quod est impossibile; quia tum concedenda esset penetratio dimensionum. Quare ego malim huc accommodare distinctionem illam quam ponit Damasc. lib. 1. de Orth. fid. cap. 16. & 17. *Locus est*, vt ipse ait, duplex, *vnus corporalis, alter intelligibilis*. Gab. Biel. in 4. Sent. distinct. 10. *vocat illum locum verum, hunc imaginarium*. Locus *corporalis est* terminus ac superficies eius quod continet, ei quod continetur contigua; & in tali loco, verum est *Supremum cœlum non esse*, tum enim circumscriberetur alio superiori corpore, atque ita non esset summum. Locus *intelligibilis est is* qui intelligitur, & mente concipitur ambire locatum, licet actu & revera non ambiat. Atque eo modo omnia dicuntur esse in loco, quæ talia sunt vt exterius ambiens eis sine iniuria attribui possit, quod etsi non habeant actu, merito tamen tale ambiens concipere potes. Talia sunt omnia finita. Nam idcirco quia finita sunt, verissime possumus sine vlla ipsorum iniuria concipere aliud exterius ambiens. Quod vero infinitum est (vt solus Deus) eum ne mente quidem sic concipere potes, vt exterius quisquam sit quod ipsum ambiat, tunc enim finitum ipsum concipies, non infinitum. Iam ea, quæ definitiue tantum sunt in loco & non circumscriptiuè, Damasc. ait esse in *loco intelligibili, non corporali*. Ita Supremum Cœlum, ita quiuis Angelus, si ponatur in summa parte Summi cœli, aut si vel Spiritus vel Corpus ponatur supra summum cœli, essent tamen omnia in loco definitiue, non quidem in loco *corporali*,

Summum cœlum quomodo in loco.

porali, sed intelligibili, quod satis est. Quo sensu ac nullo alio verissime dixit August. epist. ad Dard. cap. 18. *Corpora si nusquam sunt, nec sunt.* Nec enim ignorauit vir doctissimus, esse aliquod supremum corpus quod in loco corporali non est, sed de corpore dixit, (quod vere etiam de omni spiritu dici potest,) *Si nusquam sint*, id est, si nullis finibus loci *neque corporalis neque intelligibilis* contineantur, certe nec erunt omnino: quia tunc non erunt finita, & infinitum esse praeter Deum nihil potest. Sed de his alibi plenius egimus. Haec satis multa sunt ad explicandum naturam huius Summi Generis. Est *enim Vbi nihil aliud quam Accidens illud ex quo vnaquaeque substantia dicitur esse alicubi, vel esse in loco definitiue.*

Proprietates Vbi nullae ab Arist. ponuntur, Sed possunt hae duae assignari, Vbi *nihil est contrarium*, & *Vbi non suscipit magis ac minus.* Nam vt loco ita nec Vbi aliquid proprie contrariatur, nam locus sursum ac deorsum contraria non sunt, licet maxime distent; distantia enim ista est localis non formalis neque actiua, qualis est caloris in frigus & humidi in siccum. *Proprietates Vbi.*

Series eius sicut in Actione & passione nullo pacto commodius explicari potest quam percurrendo seriem Substantiae & suum Vbi cuique attribuendo: Vbi igitur *Series Vbi.*

Substantiae in genere est, esse in loco definitiue.

Spiritus esse in loco definitiue tantum sic vt circumscribi loco non possit.

Corporis ita esse in loco definitiue vt possit etiam circumscribi.

Summi coeli esse ita in loco definitiue vt non actu circumscribatur, sed possit circumscribi.

Firmamenti esse circumscriptiue in prima sphaera.

Saturni esse in firmamento, Iouis in Saturno, Martis in Ioue, Solis in Marte, Veneris in Sole, Mercurij in Venere, Lunae in Mercurio.

Ignis in concaua superficie sphaerae Lunae, Aeris in igne, Aquae & Terrae in Aere.

Mixtorum tam imperfectorum quam perfectorum, esse partim in Aere, partim in aqua vt pisces, partim in terra vt Metalla & lapides multi.

Hominum vt quod alij sint in Europa, alij in Asia, alij in Affrica, alij in America; & ex Europaeis, alij in Anglia, alij in Gallia, alii in Italia, alii in Germania, &c.

Atque haec de praedicamento Vbi.

Cap. XVII.

De Quando.

OCtavum Prædicamentum est *Quando*. Quod ita se habet ad Tempus, vt *Vbi* ad locum. De eo videndum primo *quid sit*, secundo *quæ eius proprietates*, tertio *qua eius species*.

Quando quid. *Quando est Accidens absolutum quod oritur ex applicatione rei temporalis ad tempus, per quod respondetur ad quæstionem factam per Quando, significans quo tempore aliquid vel fuit, vel sit, vel futurum est.* Vt Quando floruit Aristoteles? Regnante Alexandro magno, circa Olimpiadem 111. Quando obiit? Anno 3. Olimp. 144. vt testatur Diog. Laert. in eius vita, eodemque anno quo Demosthenes: biennio scilicet post Alexandri obitum, & ante Christ. natum ann. 320.

Quando non est Tempus. Ex hac definitione consequitur, Primo, *Quando non esse Tempus, nam* tempus est species, species etiam Quantitatis, at Quando species esse non potest, tunc enim non esset summum Genus. Et Quando oritur ex tempore, sicut Vbi ex loco: ideo sicut Vbi non est locus, sic neque Quando est Tempus. Secundo, *id quod æternum est non esse in tempore, nec habere Quando*, nam de quibus quæritur quando sunt, ea successionem habent & mutationem, ita vt semper eodem modo non sint; at æternum nullam habet successionem, nullam mutationem. Tertio, *Instantaneum nullum esse in tempore, aut habere Quando*: nam nullum tale etiam successionem vllam habet, sed oritur & moritur, incipit & desinit in vno eodemque instanti. Quando autem oritur ex applicatione rei temporalis vt mensurati, ad tempus vt ad mensuram eius. Quarto, *substantias omnes, omniaque accidentia quæ durationem vllam successiuam habent, habere suum Quando: ex quo verè dicuntur esse in tempore, aut mensurari tempore.* Dixi substantias omnes, tam spirituales quam Corporales; nam quod aliqui putant æuum esse mensuram Spirituum, tam ante refutatum est. Dixi etiam omnia accidentia successiua, quia motus omnis, etiam is qui cum mundo cœpit, habet suum quando, & est in tempore.

Dub. At Arist. 4. Phys. cap. 12. ait *omnia quæ sunt in tempore, a tempore contineri, ideoque tempus maius esse quam id quod est in tempore.* Cum ergo motus ille qui cum mundo cœpit, non superetur a tempore, nec in tempore esse dici potest.

Sol. Respondeti posset, ea quæ cœperunt cum mundo, secundum se tota non superari a tempore, sed secundum partes quasvis superantur. Et ita licet secundum se tota non sint in tempore, sunt tamen secundum quasvis ipsorum partes: vel dici potest, aliquid dici esse in tempore

duplicitet

dupliciter, *proprie*, quod mensuratur & superatur a tempore, qualia sunt caduca omnia & mortalia: *improprie*, quod mensuratur a tempore sed non superatur, & talia sunt ea quæ æqualis durationis sunt cum tempore. Nam mensuram rei sæpe esse non maiorem re ipsa mensurata certum est. Vt hora mensurat motum in hora, dies motum in die.

Dubitari potest de eo quod dictum est, Instantanea incipere & desinere in eodem instanti. Nam ex eo videtur sequi quod Instans simul est & non est, est enim cum incipit, non est autem cum desinit. *Dub.*

Respondeo, Instans & Instantanea omnia, esse, non solum cum incipiunt, sed etiam cum desinunt. Quod vt intelligatur obseruandum est quod res incipiunt ac desinunt tribus modis. Primo *Formæ substantiales vt & omnia permanentia caduca, incipiunt per primum sui esse, & desinunt per primum sui non esse.* Ita vt de illis cum incipiunt, dicere possimus, iam primum sunt cum antè hoc instans nunquam fuerint: & cum desinunt, dicere debemus, iam non sunt, cum immediatè ante hoc instans fuerint. De his igitur verum est quod cum incipiunt sunt, cum desinunt non sunt. Sed nunquam in eodem instanti incipiunt aut desinunt, nam tum contradictoria de eodem dicerentur. Secundo, *Tempus, motus & similia omnia successiua incipiunt per vltimum sui non esse, & desinunt per primum sui non esse*: Ita vt de his dicamus cum incipiunt, iam vel in hoc instanti non sunt, sed immediatè post hoc instans erunt: et cum desinunt dicamus, iam vel in hoc instanti non sunt, sed immediate ante hoc instans fuerunt. Non possunt enim talia vel incipere per primum sui esse, cum prima pars motus aut temporis dari non possit: vel desinere per vltimum sui esse, quia vltima pars motus aut temporis dari non potest. De istis igitur perspicuum est quod non dicuntur esse cum incipiunt, neque esse cum desinunt. Tertio, *Instans & omnia instantanea incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse*: Sic vt cum incipiunt dicamus iam vel in hoc instanti sunt, cum immediate ante hoc instans non fuerint: & cum desinunt dicamus, iam vel in hoc instanti sunt, cum immediate post hoc instans non erunt. Ita & cum incipiunt & cum desinunt, vere dicuntur esse, & in neutro non esse. Hæc vero, esse iam cum ante non fuerint, & esse iam cum post non erunt, non sunt contradictoria, sed de vno eodemque instanti, in illo vno eodemque instanti quo est, verè dici possunt ac debent. *Sol.* *Res incipiũt & desinũt tribus modis.*

Proprietatum loco (nam nullas ponit Arist.) hæ duæ recenseri possunt: quod *Quando nihil est contrarium*, et quod *Quando non suscipiat, magis ac minus.* Quæ vtraque conueniunt ei gratiâ temporis a quo oritur Quando. *Proprietates Quando.*

Series huius prædicamenti ita explicari potest, vt dicamus Alia esse Quando vel in Tempore *præterito*, alia in *præsente*, alia in *futuro*; et vnumquodque rursus diuidi potest vel in *Secula, annos, Menses, dies, horas* aut *momenta* præteriti, præsentis, vel futuri. Ita latissime omnia pa- *Series Quando.*

patet hoc prædicamentum, continens omnia quæ sunt, quæ fuerunt, quæque futura sunt, ideo Chronologia tota ad hanc seriem spectat.

Atque hæc de prædicamento Quando.

Cap. XVIII.

De Situ.

NOnum Prædicamentum est *Situs*, de quo itidem tria explicanda, *quid sit*, quæ *eius proprietates*, quæ *illius Series*.

Situs quid.

Situs est positio & ordo partium alicuius, tam in suo toto quam in loco & partibus loci, ex quo res dicitur Situari, vel Situm habere. Quod vt intelligatur diligenter notandum est quod habet Caiet. in part. 3. Aquin. quæst. 76. art. 3. Positionem quidem esse *Vnam intrinsecam*, ad quam nihil aliud requiritur nisi vt *id* quod situatur habeat partem extra partem: Aliam *extrinsecam*, ad quam præter illam intrinsecam positionem vnius partis extra aliam, requiritur vlterius vt id quod Situatur, habeat ordinem quendam ad partes loci, ita vt vna pars situati, respondeat vni parti loci, et alia alteri; sic vt vna sit superior, altera inferior, vna ante, altera retro, et similiter. Prior positio oritur ex ipsa natura continui permanentis, quia omne continuum permanens quatenus est tale, sine vllo respectu ad locum, habet vnam partem positam extra aliam, ideo hæc dicitur *Intrinseca*. Secunda oritur ex applicatione continui permanentis ad partes loci, et ideo dicitur *Extrinseca*. Atque hoc idem agnoscit et tradit Bell. lib. 7. de Sac. Euch. cap. 5. sect. Secundo. Iam ad Situm qui est prædicamentum nonum, vtrumque requiritur; nam quia Situs hic notat ordinem partium totius ad partes loci, hic autem ordo præsupponit vnam partem totius extra aliam, ideo ad hunc Situm vtraque Positio necessaria est, tam *intrinseca*, quam *extrinseca*, quarum altera si desit, Situm non habet, nec proprie Situari res illa dici potest.

Positio Intrinseca & extrinseca.

Spiritus non habet Situm.

Atque hinc consequitur primo *Nullum Spiritum, aut Substantiam incorpoream Situm habere*, nam nullū tale habet extensionem aut magnitudinem, ideoque nec partem vnam extra aliam. Quia enim aliquid extenditur, ideo vna pars est extra aliam; aliter non diceretur extendi, sed potius intendi, si intensionem res illa capere possit. Atque hinc fit, vt Spiritus, totus sit vbicunque est, et idem totus est in toto illo in quo est, et totus in qualibet parte, vt anima in toto corpore est tota, et tota in quauis parte corporis. Quia enim Spiritus partes extensas non habet, ideo si totus est in aliquo, etiam totus est in qualibet parte illius.

Secundo

Secundo, *Omne corpus situm seu positionem habet intrinsecam, talem scilicet vt pars quævis extra aliam sit.* Aliter enim non posset dici extendi, ideoque nec magnitudinem habere. Quare nullum corpus est aut esse potest, totum in toto, & totum in qualibet parte: vnde verissime Aug. Epist. ad Dard. quæ est 57. *Non potuit obtinere quantitas corporis, quod potuit qualitas. Nam ita distantibus partibus, quæ simul esse non possunt (quoniam sua quæque spacia locorum tenent, minores minora, & maiora maiores,) non potuit esse in singulis partibus tota, vel tanta, sed amplior est quantitas in amplioribus partibus, brevior in brevioribus, & in nulla parte tantum, quanta per totum.* *Omne Corpus habet positionem intrinsecam.*

Atque hinc intelligi potest somnium esse atque figmentum vanissimum, quod Aqu. part. 3. q. 79. art. 3. & 4. & post eum Concil. Trid. sess. 13 cap. 3. & Sophistæ alij tradunt, *Integrum Corpus Christi, esse sub specie panis, & sub quævis illius specici parte*; aut vt Aquin. ait, *Christum esse in illis speciebus non per modum dimensionum, sed per modum Substantiæ, id est, per modum quo Substantia est sub dimensionibus. Manifestum est autem quod natura Substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, & ideo totus Christus est sub qualibet parte specierum.* Sic ille, & art. 4. adhuc clarius. *Quantitas* inquit *dimensiva corporis Christi est in hoc Sacramento, non secundum proprium modum, vt scilicet sit tota in tota, & singulæ partes in singulis partibus, sed per modum Substantiæ, cuius natura est tota in toto, & tota in qualibet parte.* Hoc inquam repugnat ipsi naturæ dimensionum & quantitatis extensivæ. Nam est intrinsecum plane, & essentiale dimensioni, & extensioni, vt tota sit vbi quævis eius pars est, sic enim pars non esset extra partem, sed omnes partes simul, vt in Spiritu fit. Et si tota dimensio Christi sit in quaq; parte, sequitur pedes & Brachia esse in eadē plane parte vbi est eius caput, & ita totus erit caput, & totus pes, & totus manus: nam si posses dicere, caput eius est hic, non autem pes, certe non erit totus ibi nec secundum totam suam dimensionem. Ita tollitur hoc figmento, figura & dispositio organica Corporis Christi, & membra omnia se mutuo penetrare dicenda sunt, quod esse repugnans non solum veritati corporis ratio docet, sed doctrinæ Theologorum & Ecclesiæ, testatur Bell. lib. 3. de Euch. ca. 5. sect. Ar. Sic dum portenta suarum opinionum tuentur, & acuti videri volunt, non sensus solum aliis eruere conantur, sed & rationem, & (quod deterius est) fidem totam everrunt, cuius nulla pars constare potest, si veritas humani Corporis Christo denegetur. Denegatur autem & prorsus evertitur, si ea quæ intrinseca sunt atque essentialia corpori (qualia sunt extensio & positio partis extra partem) denegetur; aut si totum Corpus, aut tota illius dimensio in qualibet parte esse statuatur, vt docet Aqu. & definit Concilium illud Tridentinum. *Corpus nullum est totum in toto & totum in qualibet parte.*

Tertio, *Omne corpus aptum est habere Situm, id est, positionem non solum intrinsecam, (quam semper habet) sed & extrinsecam.* Aptum inquam est, quia si esset locus ambiens suprremum Corpus, sine dubio *Omne Corpus habet Situm & positionem extrinsecam.*

partes

partes eius respondérent partibus loci: quod autem actu Situm non habet, illud provenit non a defectu aliquo in corpore summo, sed ex defectu ambientis. Reliqua autem omnia præter supremum Cœlum, actu habent Situm, et positionem illam extrinsecam: et repugnat planè naturæ corporis, vt habeat locum actu, aut corpus actu se ambiens, et non habeat actu Situm. Id quod in Corpore Christi actu evenire, Sophistæ opinantur. Quanquam et illud etiam dici potest, Satis esse ad Situm, vt corpus situatum habeat locum *intelligibilem*, licet non *corporalem*. Nam non minus propriè Situari dicitur, cuius partes respondent partibus loci intelligibilis, quam corporalis. Ita ipsum Supremum Cœlum dici possit habere Situm actu, respectu loci intelligibilis, Situm autem potentiâ respectu loci corporalis.

Proprietates Situs.

Proprietates Situs duæ sunt, *Non habere Contrarium*, et *non suscipere magis ac minus*, quæ vtraque conveniunt ei gratiâ quantitatis a qua oritur Situs.

Series Situs.

Series huius prædicamenti non potest facilius aut commodius explicari, quam percurrendo omnia corpora, et cuique Situm suum, siue is naturalis sit, siue præter naturam, attribuendo.

Situs Supremi Cœli est talis (in loco intelligibili) qualem diximus. *Situs primi mobilis* est in concauo cœli Empyræi; Situs Firmamenti in concauo primi mobilis, Saturni in Firmamento, Iouis in Saturno, Martis in Ioue, Solis in Marte, Veneris in Sole, Mercurii in Venere, Lunæ in Mercurio, Ignis in Lunæ concauo, Aeris in Ignis concauo, aquæ et terræ in concauo aeris. Sic Meteororum alia Situm habent in suprema, alia in media, alia in infima regione aeris, alia in visceribus terræ. Metalla in venis terræ situantur, donec inde eruantur. Plantarum Situs est, vt radix (quæ est instar oris) sit deorsum, truncus in medio, rami rursum. Brutorum prout diversæ sunt Species, ita diversus Situs, alius Quadrupedum, alius piscium, alius auium, alius Serpentium. Hominis Situs est omnium Corporum pulcherrimus, caput sursum, cor in medio, pedes deorsum, & sic in reliquis membris.

Atque hæc de Situ.

Cap. XIX.

De Habitu.

SVperest decimum & vltimum prædicamentum, quod est *Habitus*, de quo itidem tria paucis explicanda, *quid sit*, quæ *eius proprietates*,

proprietates, quæ ſequntur.

Habitus eſt accidens abſolutum, exurgens ex applicatione veſtis ad vſum, ex quo aliquid Habituari dicitur, aut veſtiri; vt ex eo quod quis toga induitur, dicitur togatus, quod armis, armatus. Nam etſi veſtimentum ipſum, vt toga, pallium, diplois, tunica, dicantur habitus, tamen non illa ipſa, ſed applicatio eorum ad id quod eis ornatur, vocatur Habitus ille qui eſt hoc prædicamentum. Ipſum enim veſtimentum ſi capiatur iuxta Subſtantiam, eſt in prædicamento Subſtantiæ: Si iuxta figuram, eſt in qualitate: ſi iuxta vtrumque ſimul, eſt per ſe in nullo prædicamento, ſed complexum quid, vt omnia artificialia, neque ipſum veſtimentum denominat aliquid habituatum, niſi fiat applicatio illius ad rem veſtitam. *Habitus quid.*

Habitus proprietates ſunt, non habere contrarium, *non ſuſcipere* magis & minus. Nam licet vnus alio decentius, comptius, & elegantius habituetur, tamen alio qui habitum vilem induit, magis habituatus non dicitur. *Habitus proprietates.*

Habitus Series ex diverſitate veſtium aut Habituum quibus vel homines, vel iumenta, vel ſtatua ornantur, declarari poteſt: vt dicamus alium hominem togatum, alium palliatum, alium tunicatum, alium pileatum, calceatum, ocreatum, alium armatum gladio, thorace, clypeo, & ſimilibus. Sic equus habituatur ſella, Phaleris, fræno; & ſimilibus. *Series Habitus*

Atque hæc de Habitu.

Cap. XX.

De Oppoſitis.

Hvc vſque de Prædicamentis actum eſt. Sequuntur poſtprædicamenta: quæ ſunt quinque *Modi Oppoſitorum, modi Prioris, modi ſimul, modi motus, modi habendi*, de quibus ordine.

De Oppoſitis hoc ante omnia obſervandum eſt: Ariſtotelem diviſionem eam quæ ipſius tempore vulgaris erat ſequi, & ideo ſolum quatuor ſpecies eorum quæ diſſentiunt inter ſe propoſuiſſe. Quoniam vero aliqua ſunt in iſta vulgari diviſione omiſſa, ideo nos paulo altius rem repetentes, Diſſentaneorum omnia genera breviter percurremus, eoque libentius, quod maximus omnino eſt eorum vſus in omnibus diſciplinis.

Diſſentanea ſunt quæcunque modo inter ſe diſſentiunt aut differunt. Et hoc nomen cum generale ſit, complectitur omnia quæ vllo modo differunt. Sunt autem diſſentaneorum duo genera, alia ſunt *diver-* *Diſſentanea qua.*

sa, alia *Opposita*.

Diversa qua.

Diversa sunt Dissentanea quæ naturâ & essentia differunt, sed tamen idem subiectum simul inesse possunt, aut vnum esse subiectum alterius: vt homo & animal, Substantia & Quantitas, Quantitas & Qualitas, Color & odor. Certe hæc differre inter se nemo negare potest. Differunt autem nullo eorum modorum qui ab Arist. ponuntur, vti consideranti clarum est. Quare necesse erat addi hoc Genus dissentaneorum quod *Diversa* vocamus, in quo ista comprehendantur.

Oppositaqua.

Opposita sunt Dissentanea, quæ non solum natura & essentia differunt, sed etiam subiecto, sic vt eidem subiecto nunquam simul inesse aut convenire possint: Sic rationale & irrationale: homo & brutum, virtus & vitium: iustitia, & iniustitia opposita dicuntur. Memento vero latius & largius sumi nunc a nobis nomen Oppositorum, quam ab Arist. ad quod ex reipsa facillime liquet. Opposita sunt duplicia, *Disparata, & Contraria.*

Disparata qua.

Disparata sic dicta quasi disseparata, sunt opposita quorum vnum vni sic opponitur, vt alteri vel æque, vel magis opponatur. Sic liberalitas & avaritia disparata sunt. Nam avaritia magis opponitur prodigalitati quã liberalitati: Sic albedo & rubedo disparata sunt, quia albedo æquè opponitur viriditati, atque rubedini, & magis nigredini quam ambobus. Nam plus inter se semper distant extrema, quam vel media inter se, vel medium ab altervtro extremo. Et hoc etiam membrum Dissentaneorum ab Arist. penitus omissum est.

Contraria qua.

Contraria sunt Opposita, quorum vnum alteri sic opponitur, vt nulli alteri aut æque aut magis opponatur; Sic albedo nigredini, homini Brutum, Rationale irrationali contrarium est. Nam nihil est quod æque albedini opponitur atque nigredo, & sic in reliquis. Hic vero memineris, aliter hic accipi hoc nomen Contrariorum, quam ab Arist. nam iuxta huius vocis vsum apud eum, nulla substantia alteri contrariatur. Ea quæ ille Opposita vocat, nos contraria appellamus. Sunt autem Contrariorum duo genera, alia affirmantia sunt, alia negantia.

Affirmantia contraria qua.

Affirmantia Contraria, sunt Contraria, quorum vterque terminus est positivus aut affirmativus, qualia sunt omnia exempla ante posita: Homo & Brutum, albedo & nigredo, & reliqua quam plurima. Et horum etiam sunt duo genera. Nam alia *sunt contraria affirmantia in dividendo tantum, non in inhærendo*; alia *contraria in dividendo simul & in inhærendo.*

Contraria affirmantia in dividendo tantum qua.

Contraria affirmantia in dividendo tantum, non in inhærendo, ea sunt, quæ contrariantur quidem inter se, & vterque terminus est positivus: sed contrariantur solum quoad divisionem Generis, sic vt genus dividant in contrarias partes, sed non inhærent omnino in subiecto, & talia contraria sunt rationale & irrationale, Homo & Brutum, corporeum & incorporeum, & omnes omnino differentiæ substantiales, quæ dividunt idem genus, omnes item species substantiarum. Certum est enim ista

dissen-

dissentire inter se, ideoque esse dissentanea. Diversa autem non sunt, cum eidem subiecto nequeant inesse, quare sunt opposita. Opposita disparata non sunt, quia nulli æque rationale opponitur atque irrationali, aut Homo atque Bruto. Contraria ergo sunt, & quia vterque terminus est positivus, contraria affirmantia sunt. Iam nec sunt contraria relative, quia vnum eorum non refertur ad aliud, neque contraria adverse, quia illa omnia accidentia sunt, et in subiecto insunt, vt ex definitione Adversorum liquet. Necessario igitur ponenda est alia distinctio contrariorum, et aliud membrum præter Relata et adverse contraria, quæ sola ab Arist. ponuntur; quod autem aliud nomen aptius, quam vt dicantur *contraria in dividendo tantum, non in inhærendo?* Hoc enim pacto ab alijs omnibus quæ contraria sunt, secernitur oppositio illa quæ est inter differentias et species substantiales; nam in hoc membro nihil omnino continetur præter illas. Etenim etsi differentiæ et species Accidentium, exempli gratia, Continuum et Discretum, dissentiunt maxime in dividendo, tamen illæ omnes inhærent in subiecto, et ideo in hoc membro non possunt comprehendi: Deinde sæpe evenit, vt illæ differentiæ non sint oppositæ, nedum contrariæ: sed solum diversæ, quia eidem subiecto ambæ inesse possunt, nam sicut quantitas continua et discreta eidem subiecto inest, ita et ipsarum differentiæ: sic habitus et naturalis potentia, atque ita in reliquis: quanquam *laxe et large* loquendo dicere soleamus, omnes differentias dividentes idem genus, itemque species eius, esse oppositas aut contrarias. Hoc verò loco quæ proprie ac stricte contraria sint declaramus.

Contraria affirmantia in dividendo simul & in inhærendo sunt, quæ contrariantur inter se, & vterque terminus est positivus, & dividunt idem genus, & in subiecto etiam inhærent, vt albedo et nigredo, sanitas et ægritudo, pater & filius & similia. Horum contrariorum sunt duo genera. Nam alia sunt *respectiua* quæ dicuntur *relata contraria*, alia sunt *absoluta*, quæ *dicuntur aduersa contraria*, & in his ac in sequentibus omnibus membris Arist. sequimur. *Contraria affirmantia in inhærendo quæ.*

Relata contraria, sunt contraria affirmantia in inhærendo, quorum tota natura & essentia in relatione consistit, vt Pater & filius, dominus & Servus, *vel quomodocunque vnum ad aliud refertur* vt Scientia & Scibile, nam in hoc genere contrariorum ponuntur tam relata secundum esse, quam secundum dici: Nam vtriusque exempla ponit Arist. *Relata contraria quæ.*

Dices relata ponere se mutuo, at contraria tollunt & perimunt vnum alterum, quomodo ergo relata dici possunt opposita aut contraria? *Dub.*

Respondeo, relata quidem ponunt se, sed in diuersis subiectis; destruunt se in eodem subiecto, nunquam enim se compatiuntur in eodem subiecto, aut respectu eiusdem. Vt posito quod Socrates sit Pater, poni debet filius eius. Sed vt filius iste sit alius a Socrate necesse est. Et licet idem homo potest esse & Pater & filius, nunquam tamen *Sol.*

Potest esse pater eius cuius est filius, aut contra: ita relata ponunt se si ad diuersa subiecta, destruunt se si ad idem referantur.

Aduersa contraria (quæ contraria simpliciter & sine vlla additione vocat Arist.) *sunt contraria affirmantia in inhærendo simul & diuidendo, & absoluta, sine respectu ad alia.* Vt albedo & nigredo, virtus & vitium. Et hoc sane satis est ad definitionem aduersorum. Nam hinc ab omnibus aliis Dissentaneis abundè distinguuntur, *a diuersis, & disparatis*, quia hæc sunt *contraria: a contrarijs negantibus*, quia hæc sunt *affirmantia*; a *contrarijs in diuidendo tantum*, quia hæc sunt contraria tam in diuidendo quam in inhærendo: nam & dividunt semper idem genus vt oppositæ species, aut differentiæ eius, & inhærent in subiecto: a *contrarijs relatis*, quia hæc sumuntur *absolute*, nunquam relatiue. Nam licet scientia sit contrarium vtroque modo, tamen est relate contrarium prout respicit scibile, quod est correlatum; est vero aduersè contrarium prout absolute sumitur sine vllo respectu ad aliud. Hinc ista consequuntur: Primo *Aduersa omnia esse accidentia.* Nam inhærent in subiecto. Quare nulla Substantia contrariatur alicui aduersè.

Secundo, *Aduersa omnia poni sub eodem genere.* Nam aliter contraria non erunt in diuidendo. Ponuntur autem sub eodem vel *immediate*; vt albedo & nigredo sub colore extremo; vel *mediate*, vt Scientia & ignorantia sub habitu mentis. Atque hinc liquet nunquam vel summa genera contrariari alicui, vel ea quæ in diuersis prædicamentis ponuntur. Nam talia, vel sub nullo genere continentur, si summa sint, vel non sub eodem si sint in diuersis seriebus.

Dub. At Arist. expresse dicit cap. 11. de Contrarijs, nu. 6. *aliqua aduersa contraria esse in eodem genere, alia esse in contrarijs generibus, alia esse ipsa summa genera, vt albedo & nigredo sunt sub vno genere, scilicet colore. Iustitia sub virtute, Iniustitia sub vitio. Bonum autem & Malum non sunt sub aliquo genere, sed sunt ipsa summa genera.*

Sol. Respondeo, ad secundam instantiam, quod si proprie loqui volumus, iustitia & iniustitia non sunt cõtraria aduersè, imo non omnino contraria sed disparata, cum iniustitia plus distet ab extremo, quam a iustitia quæ est medium. Si vero iniustitia sumatur pro vitio morali, & iustitia pro virtute morali, quomodo nonnunquam capiuntur, sic continentur quidem sub diuersis generibus proximis, sed sub eodem remoto nempe Habitu; sed in diuersis prædicamentis poni non asserit. Ad tertiam Instantiam dico Arist. ponere Bonum & Malum inter summa genera, non ex sua sed ex Pythagoreorum opinione, (vt testatur Aquin. part. 1. quæst. 48. art. 1) ideoque nec ex sua, sed ex ipsorum opinione dicere contraria aliqua esse summa genera.

Tertio sequitur, *Aduersa omnia maximè inter se distare*, quod illis conuenit non qua aduersa sunt, sed qua contraria. Nam omnia contraria ita opponuntur suis contrariis vt nulli alteri æque opponantur.

Quarto

Quarto sequitur quod *Aduersa contraria pellant se mutuo a suis subiectis*: Quod non intelligitur solum de actione physica vnius in alterum, quo pacto calor ignis expellit frigus ex aqua, & frigus aeris expellit calorem ex manu. Quanquam inter istas actiuas & passiuas qualitates, *proprissime* dicitur esse aduersa contrarietas: sed intelligitur generaliter, ita vt dicantur se pellere, quia sunt incompatibilia in eodem subiecto, & neutrum consistere cum altero potest: Vt prodigalitas non compatitur auaritiam, nec Audacia timiditatem, nec Scientia ignorantiam sibi contrariam. Hoc autem aduersis conuenit neq; quæ aduersa sunt, neque quæ contraria, sed quæ sunt opposita; omnibus enim oppositis hoc commune est, vt non compatiantur sua opposita in eodem subiecto. Quanquam illud quibusdam solum oppositis, & inter ea Aduersis omnibus conuenit, vt ea sic pellantur a subiectis quibus insunt, vt vicissim alterutrum post aliud inesse possit, vt aqua post frigus expulsum, iterum redit ad frigus, & post id calida fit. Sic sanitas ægritudinem, & vicissim ægritudo sanitatem consequi potest. Quod si eueniat aliquando vt vnum eorum non omnino expellatur per suum contrarium, sicut calor ignis nunquam expellitur ab igne, neque illi vnquam succedit frigus in illo subiecto, hoc non prouenit ex eo quia frigus non sit aptum pellere calorem, nec quia calor & frigus non se possint vicissim consequi; sed prouenit a natura ignis, quæ frigus admittere non potest, & cuius forma sine calore consistere non potest; ad naturam autem aduersorum satis est, si vnum conetur expellere alterum, si nunquam compatiatur suum cõtrarium simul inesse, si cum pulsum sit, iterum redire possit. Hæc autem omnia omnibus plane aduersis in quocunque subiecto sunt conueniunt.

Atque ita ex definitione aduersorum a nobis posita, intelligitur quo sensu accipienda sit illa vulgaris & trita apud interpretes definitio *contrariorum aduersæ*, quæ hæc est: *Contraria* (nempe aduersæ) *sunt accidentia absoluta, posita sub eodem genere, maxime a se inuicem distantia, quæ expellunt* (quantum in ipsis est) *se ab eo subiecto cui insunt, & cui subiecto vicissim* (postquam pulsa sunt) inesse possunt.

Aduersa autem hæc de quibus in genere hactenus dictum est, sunt duplicia; Alia sunt *immediata*, alia *mediata*. *Immediata aduersa sunt ea, inter quæ nullum est medium, sed alterum eorum semper inest in subiecto capaci*, vt Sanitas & ægritudo. Nam subiectum capax horum nullum est nisi animal, & nullum animal est, cui vnum horum non insit, vel enim sanum est vel ægrum.

Mediata aduersa sunt ea, inter quæ est medium, ita vt vnum eorum non necesse sit inesse in subiecto capaci eorum, vt corpus perfecte mistum est capax albedinis & nigredinis; sed multa corpora mixta sunt, quibus neutrum horum inest, sed vel viriditas, vel rubedo, vel alius medius color. Medium autem illud est aliquando Medium *per abnegationem solum vtriusque extremi*, vt scientia logicæ, & ignorantia logicæ sunt mediata contraria. Nam multi sunt quibus nec scientia illius

inest, nec ignorantia prauæ dispositionis (quæ est contraria qualitas) sed solum mera abnegatio scientiæ, quæ non tam est ignorantia quam nescientia: aliquando medium *est per participationem vtriusque extremi*, vt colores omnes medij, rubedo, viriditas, fuscedo, et similes, dicuntur media inter albedinem & nigredinem, quia participant de vtroque extremo, nam ex commistione istorum extremorum oriuntur medij colores omnes; ex quo fit, vt rubrum respectu albi dicatur nigrū, & respectu nigri dici possit album, quia aliquos gradus albedinis habet, quorum nulli sunt in nigro cum sit extremum, & alios gradus nigredinis habet, quorum multi sunt in albo. Atque hæc de Aduersis seu aduerse contrarijs, quorum cognitio ideo magis est necessaria, quia frequentissime tum inter differendum, tum in legendis philosophorum libris occurrunt.

Sequuntur *contraria negantia. Ea sunt contraria talia vt alter terminus sit negatiuus aut priuatiuus.* Atque hæc sunt duplicia, *priuatiua*, & *contradictoria*.

Priuatiua vel priuatiue contraria, sunt contraria negantia, quorum vnum notat priuationem alterius. Ideo vnus terminus vocatur *Habitus*, id est positiuum ens, alter vocatur *priuatio* illius Habitus, vt visus & cæcitas, vita & mors. Sunt autem priuatiua duplicia, *nam aliqua tollunt solummodo actum, ita vt habitus adhuc non insit, sed tamen inesse possit ei. rum in illo subiecto*, vt tenebræ priuant lucem in aere, sed tamen aer lucidus esse potest. *Alia tollunt non solum actum, sed etiam potentiā, ita vt subiectum non possit naturaliter habere habitū illum quo sic priuatur.* Vt mors priuat vitam non solum quoad actum sed quoad potentiam, & cæcitas visum, ita vt post mortem subiectum illud ad vitam naturaliter redire non possit, nec post cæcitatem ad visum. Ex quo illa regula oritur quod a *priuatione ad habitum non est regressus naturaliter*, nempe a priuatione tollente habitum tam quoad actum, quam quoad potentiam. Et dicitur naturaliter; quia per potentiam diuinam a tali priuatione ad habitum est regressus. Vt multi post cæcitatem visum receperunt, & post mortem ad vitam restituti sunt omnipotentiā diuina; sed naturaliter hoc fieri impossibile est.

Dub. Dices, quod apud Ælium Spartianum in vita Hadriani legitur, *mulierem quandam cæcatam fuisse, eandem tamen postquam Hadriani genua osculata esset, & oculos in aqua qua in fano erat abluisset, visum recepisse. Narratur etiam ibidem, quendam qui cæcus natus esset, ad Hadrianum venisse, eumque contigisse, quo contacto oculos ac visum recepit.*

Sol. Respondeo, hæc & similia quæ ab historicis commemorantur, aut falsa esse & facta per simulationem, quod in exemplis aliis testatur Marius Maximus vt idem Spart. ibidem ait, aut eos nunquam reuera cæcos fuisse, sed visum ipsis solum impeditum fuisse, aut ligatum, vel pellicula aliqua pupillam obtegente, vel humore visiuā potentiam obtenebrante; & tum quidem dempta illa pellicula, aut humore remoto, videre incipiunt & exercere illam potentiā quæ prius non sublata erat,

sed

sed solum impedita, vterque autem horum naturaliter effici potest. Sed cui reipsa potentia videndi semel periit, aut oculus amissus, aut nervo optico inciso aut emortuo, naturaliter visum restitui impossibile est.

Dub. Sol.

Siquis obiiciat Catulos canis per nouem dies cæcos esse & post videre. Dicendum est, Catulos istos nec cæcos per 9. dies istos esse, nec visu priuatos. Nam priuatio præsupponit habitum, nec vlli inesse potest, nisi cui habitus vel actu inerat, vel postquam actu inesse et potuerat & debuerat, vt Arist. docet. 5. Metaph. cap. 22. jam Catuli ante nonum diem videre actu nec possunt nec debent, nonnulli non ante 12. aut 17. idem, vt docet Arist. lib. 6. de hist. animal. 1. 20. Cum ante visus illis inesse potest, et debet, si tum non videant, cæci dicendi sunt, nisi forte potentia visiua ligata solum sit & impedita.

Dub.

At Arist. lib. 1. Phys. cap. 7. docet *priuationem esse principium rei generatæ*. Principium autem prius est principiato. Quare priuatio prius inest in materia, et tum advenit forma, et sic a priuatione ad habitum progressus est, non contra ab habitu ad priuationem. Et hoc tum Arist. locis citatis indicat, tum ex eo alij Philosophi docent.

Sol.

Respondeo, priuationem aliter accipi in naturali Philosophia, aliter in Logica. *Priuatio Physica est absentia formæ introducendæ in materiam, cuiuscunque potentiæ propinquæ ad illam formam.* Et ita priuatio physica præcedit habitum; at *priuatio Logica est absentia formæ quæ inerat, aut inesse potuerat ac debuerat*, et hæc semper sequitur habitum. Priuatio Physica non est mere non ens, sed propter potentiam illam in materia cui est coniuncta, dicitur accidens ab Arist. primo Phys. cap. 7. quia ista potentia est accidens; at priuatio logica, est mere non ens, neque quidquam notat præter absentiam formæ aut habitus qui inerat. Nos hic solum de priuatione Logica loquimur, non de Physica. Quanquam et illa priuatio physica, atque opposita forma, recte dici possunt esse contraria privativè, quia vnum eorum est privatio, alterum habitus, sed tum privativa in latiori acceptione definienda sunt, quam antea definita sunt. Sic *vt omnia ea dicantur privativè opposita quorum vnum est habitus, alterum privatio vel absentia habitus qui aut inerat aut inesse potuerat, vel qui inesse adhuc potest & apttus est statim introduci.* Hæc de privativè contrarijs.

Contradictoria

Contradictoria, vel contradictoriè contraria, sunt contraria negantia, quorum alterum de omni Ente & non Ente dici vere potest: vt homo, & non homo. Nam accipe quodvis ens, imo Chymeram aut figmentum quodcunque, vere dici potest, vel esse homo, vel non homo: lapis vel non lapis. Atque hinc Axioma illud tritum & verum, *Inter Contradictoria non dari vllum omnino medium*. Cum in alijs omnibus dissentaneis dari possit subiectum aliquod de quo neutrum dissentaneorum prædicetur in diversis, vt cœlum nec est album nec dulce: in disparatis, vt puer nec est liberalis nec avarus: in contrarijs in di-

videndo

dendo tantum, vt lapis nec eſt rationalis nec irrationalis, id eſt, ſentiens ſine ratione eiuſque vſu: in relatis, vt lapis nec eſt pater nec filius: in aduerſis, vt cœlum nec eſt calidum, nec frigidum, nec ſanum nec ægrum: in priuantibus, vt lapis nec eſt videns nec cæcus (niſi forte impropriè atque abuſiuè cæcum id dicas, quod non videt etſi naturâ non ſit potens videre, quo ſenſu priuationem accipi poſſe, & Plantam priuari oculis ait Ariſt. 5. Metaph. cap. 22.) cum inquam in omnibus aliis diſſentaneis medium ſit; in ſolis contradictoriis hoc verum eſt, *nullum eſſe ſubiectum medium inter ea*, id eſt, nullum ſubiectum dari poſſe de quo alterum eorum non dicatur.

Contradictoria ſunt duplicia, alia *complexa* quæ ſunt propoſitiones contradictoriæ, vt Socrates ſedet, Socrates non ſedet. Alia *incomplexa* quæ ſunt termini contradictorij. & non propoſitiones. In prioribus ſemper eſt affirmatio aut negatio, veritas aut falſitas: in contradictoriis ſimplicibus ſeu incomplexis neque eſt affirmatio neque negatio, neque veritas aut falſitas. Ariſt. agit quidem hoc cap. de vtriſque, ſed de contradictoriis complexis non aliam in finem quam vt ex eis facilius ac melius intelligantur contradictoria incomplexa, nam complexa contradictoria ad tractatum hunc non ſpectant (vbi ſolum de Simplicibus & incomplexis directe et ex profeſſo agitur) ſed ad librum Perihermenias. Hic ergo de eis obiter et propter aliud agitur.

Declaravimus iam omnia genera Diſſentaneorum, quorum Synopſin hic ſubiicimus.



CAP. XXI.

De Modis Prioris.

SEcundum postprædicamentum est de *Modis Prioris*. Sunt autem quinque, qui his versibus exprimantur.

Tempore, Naturâ, prius *Ordine*, dico & *Honore*,
Causum causato dicimus esse prius.

Hoc verò in isto versu corrigendum est vel saltem explicandum; quod ponat *Prius Naturâ* vt distinctum Modum a Priori in *Causando*. Nam quicquid est *causa* alterius, aut prius in *causando*, idem etiam *naturâ prius* est eo quod causatur, vt aperte docet Arist. 1. Demonst. cap. 2. Et Author versiculi (siue Murmelius, siue quis alius fuit) confundit prius Naturâ cum eo modo quem Arist. vocat prius

in consequendo, cum non magis ad illum quam ad prius in Causando, pertineat. Quare sic modi Prioris certius distinguendi sunt, vt aliquid dicatur alio prius, vel *Tempore*, vel *Natura*; & hoc dupliciter, vel in *Causando* (hic apud Arist. est quintus) vel in *Consequendo*, vel *Ordine* vel *Honore*: Sunt igitur, vt ex his liquet, Modi 4. in genere, & in specie 5. quia Prius natura in duos modos diuiditur. De ijs verò hoc quo à nobis propositi sunt ordine agemus.

Tempore prius quid.

Tempore prius illud dicitur, quod tempore aliud antecedit, est que to anteriori, aut in priori tempore existit. Sic Senex est prior tempore iuuene, si ad diuersos homines respicias; sin ad eundem, qui iam est senex, tum iuuenis est prior sene tempore.

Prius Natura in Causando quid.

Prius natura in Causando est omnis causa suo effectu: Sic animal prius est homine & bruto, quia est causa eorum. Rationale prius homine, quia est forma & formalis causa eius; idem de omni causa dicendum. Etiam ipse finis prout mouet & causat efficientem ad agendum, est natura prior quam actio & operatio efficientis. Causat autem & mouet prout intenditur, vt cum quis ædificat domum, domus est finis ædificandi: & quanquam in executione sit postremum, tamen est primum in intentione, & prout intenditur ab ædificatore, mouet ipsum ad operandum, & sic naturâ prior est, quam ipsa illa actio ædificandi, qua domus efficitur.

Est autem Causa quadrupler, seu quatuor sunt Causarum genera.

Prima, Est *Efficiens causa, à qua effectum producitur & causatur* vel per *Actionem Physicam*, sic ædificator est causa efficiens domus: vel per *Emanationem*, sic Rationale est causa efficiens Risibilitatis.

Secunda, Est *Materialis causa, ex qua res fit*; sic lapides, ligna, cæmentum sunt materia domus, sic Materia prima est causa materialis ex qua Corpus fit.

Tertia, Est *Formalis causa, per quam res fit & causatur*; sic rationale est formalis causa hominis, & omnes omnino differentiæ suarum specierum quas constituunt.

Quarta, Est *Finalis causa, propter quam res fit, aut cuius gratia efficiens agit & operatur*, vt finis cur ædificator exstruit domum est commoda habitatio, & finis quare natura dedit homini oculos est vt videre possit.

Harum quatuor causarum, duæ sunt *essentiales* & de natura effecti, nempe Materia & forma: duæ aliæ sunt *extra essentiam effecti*, nempe Efficiens & Finis. Sed hæc monuisse hic satis sit. Quocunque verò modo causam sumas, siue pro efficiente, Materia, Forma vel fine, Ea semper prior est Natura in Causando suo effectu.

Prius Natura in consequendo quid.

Prius Natura in consequendo est illud, à quo non retro sequitur consequutio quoad existentiam, vt bene sequitur, Homo est, ergo animal est; Sed non retro, Animal est; ergo homo est: ideo animal est prius naturâ homine in consequendo, Sed non est prius vtrisque suis speciebus,

ciebus, homine nimirum & bruto, nam ad exiſtentiam animalis (perfecti ſcil. in ſpecie) ſequitur exiſtentia vel hominis vel Bruti; recte enim ſequitur, Animal (ſcil. perfectum in ſpecie) eſt, ergo vel homo vel brutum eſt. Imo aliquando genus non eſt prius vna aliqua ſua ſpecie: nempe cum illa ſpecies in omnibus alijs includitur, ſic vt aliæ ſine his exiſtere non poſſint; vt recte ſequitur, eſt numerus, ergo eſt Binarius, quippe nullus numerus exiſtere poteſt niſi exiſtat binarius.

Atque hinc liquet omne *genus eſſe prius natura quoad Conſequendum, omnibus ſuis ſpeciebus, ſed non eſſe prius naturâ quoad Conſequentium vel omnibus vel vna aliqua*, vt aliquando euenit. Hinc etiam liquet omnem differentiam eſſe priorem naturâ ſua ſpecie in *conſendo*, nullam vero eſſe priorem ſua ſpecie in *conſequendo*, quia exiſtere ſine ſpecie non poteſt. Itidem omnis ſpecies & differentia prior eſt naturâ eo proprio quod fluit a differentia quoad *Conſendum*, ſed neque Species neque Differentia priores ſunt naturâ illo proprio quoad *Conſequendum*; nam tam certo ſequitur Conſequutio ab exiſtentia Speciei aut differentiæ ad exiſtentiam Propri), quam a Proprio ad ſpeciem aut differentiam. Æque enim ſequitur, eſt homo, aut rationale, ergo eſt riſibile; ineque, hoc eſt riſibile, ergo eſt homo aut rationale.

Prius ordine illud dicitur quod in aliqua diſciplina prius tractatur aut Prius ordine tractandum eſt. Sic elementa prius docenda ac diſcenda ſunt quam *quid*. Syllabæ, Syllabæ quam dictiones. Sic exordium prius ordine eſt Narratione, hæc confirmatione. Et ita in alijs.

In rerum tractatione ordo eſt duplex,

- *Ordo naturæ*, cum id prius tractatur quod natura ſua prius eſt, & ſine cuius cognitione alterum perfecte cognoſci non poteſt. Sic Corpus prius tractandum eſt in Phyſica, quam elementa, & Corpus miſtum quam viuens, & viuens quam Animal. Et omnino quæ magis vniuerſalia ſunt prius tractanda ſunt, ſi ordinem naturæ ſequi volumus: Et certe in tradendis omnibus diſciplinis æquum eſt imo neceſſarium vt Naturam ducem ſequamur.
- *Ordo quoad nos*, cum id prius traditur quod nos facilius intelligere aut cognoſcere poſſumus, licet in ſe & natura ſua non ſit prius. Sic nonnunquam euenit vt nos facilius effectum cognoſcamus quam cauſam, vt Lunam eclipſari, facilius nouimus quam quare eclipſetur: & qui effectum prius tractat quam cauſam, is ordinem ſequitur quoad nos. Sed non ordinem naturæ. Sed vt ego arbitror, in tradenda diſciplina, hic ordo nunquam obſeruandus eſt.

Prius Honore illud dicitur quod aliud dignitate ſuperat, eoque præſtanti- *Prius Honore quid.*

ur eſt. vt Rex Subditis, virtus diuitijs. Et huc referri debet prius *loco*: nam ex dignitate perſonæ capitur dignitas loci.

Atque hæc de Modis Prioris.

Cap. XXII.

De Modis Simul.

TErtium poſtprædicamentum eſt de modis Simul; eius tres modos ponit Ariſt. non quia plures non ſunt, nam quot modis dicitur vnum oppoſitorum (nempe prius) tot modis dicitur etiam alterum. Sed ſatis erat eos indicaſſe quorum eſt præcipuus vſus. Hi ſunt *Simul Tempore, Simul natura in conſequendo. Simul natura in diuidendo.*

Tempore Simul qua.

Tempore Simul generaliter ea omnia dicuntur, quæ eodem ſunt tempore, etſi nec oriantur nec intereant eodem tempore. Sic Plato & Ariſtoteles ſimul Tempore dicuntur: etſi Plato natus ſit Olympiade 88. & mortuus Olymp. 108. Ariſtoteles verò natus Olymp. 99. id eſt, 36. annis poſt Platonem, & mortuus Olymp. 114. id eſt, 20. annis poſt Platonem, vt ex Diog. Laert. liquet. *Proprißime vero ea dicuntur simul tempore, quorum neutrum præcedit aut ſequitur alterum tempore, ſed ſimul & oriuntur & intereunt.* Sic homo & riſibile, riſibile & rationale, ſimul tempore ſunt, & omnia etiam, relata, nam pater & filius ſimul oriuntur & moriuntur.

Simul natura in conſequendo qua.

Simul natura in conſequendo ea dicuntur, quæ & reciprocantur quoad exiſtendi conſequutionem, & neutrum eorum eſt cauſa alterius. Sic Pater & filius, & omnia relata ſunt ſimul natura. Nam ſi vnum exiſtit, alterum etiam exiſtit, Si vnum tollatur, tollitur & alterum, & neutrum cauſa eſt alterius, vt in duplo & dimidio expreſſe aſſerit hic Ariſt.

Simul Natura in diuidendo qua. Dub.

Simul Natura in diuidendo ea dicuntur quæ idem genus vniuocum diuidunt. Vt homo et brutum, animal; & omnes contradiuiſæ ſpecies ac differentiæ eiuſdem generis ſimul natura ſunt in diuidendo.

Dices Binarium, & Ternarium, itemque alias ſpecies Numeri diuidere idem genus vniuocum, & tamen non ſunt Simul natura, cum Binarius ſit prior natura omni alio numero, quia a quouis alio ad Binarium ſequitur exiſtendi conſequutio, ſed non retro ſequitur a Binario ad vllum alium; & idem de Linea, Superficie, ac Corpore obijci poteſt.

Reſpondeo,

Respondeo, recte hinc probari binarium & ternarium suæ alios numeros non esse simul natura in Consequendo, atque hoc verum est; nam binarius in consequendo prior est natura, quouis alio numero, vt recte in argumento probatur; sed hoc non probat eos non esse simul in dividendo. Nam ad istam simultatem, satis est si genus æque & æqualiter respiciat omnes species, & hoc facit numerus: quod autem vnus Numerus sit prior natura alio in consequendo, hoc provenit ex respectu quem vnus eorum habet ad alium, non quem habet ad genus, quasi vicinior esset aut propior generi quam alius. *Sol.*

Atque hoc idem de Linea, Superficie, & Corpore responderi debet. Nihil enim impedit quo minus vna species sit prior natura quoad consequutionem alijs contrarijs speciebus, sed quod sit prior natura quoad diuisionem, hoc fieri non potest, cum in dividendo æqualiter omnes a genere distant, & Genus non minus ad vnam quam ad aliam respectum habet, cum naturam suam æqualiter & pari iure omnibus contribuat.

Atque hæc de Modis Simul.

Cap. XXIII.

De Motu.

QVarum postprædicamenti est *de Motu*. Nam quia termini eius sunt in diuersis prædicamentis, ideo respectu terminorum non potuit ad vnum genus referri, sed in postprædicamentis ponitur, licet respectu essentiæ ac naturæ suæ sit directe in Prædicamento Passionis, vt ante dictum est. *Motus est postprædicamentum.*

Quia verò superius in cap. de Passione satis multa de Motu illiusq; speciebus omnibus a nobis dicta sunt, illuc remittendus est lector, nec hic iterum eadem repetenda.

Atque hæc de Motu.

Cap. XXIIII.

De Habere.

QVintum & vltimum postprædicamentum est de Modis Habendi, quorum 8. ponit Arist.

Dicitur quis Habere aliquid.

1. Vt *Habitum aut dispositionem*; vt qui scit, habet Scientiam.
2. Vt *Quantitatem*; vt qui magnus est habet magnitudinem.
3. Vt *Habitum vel vestimentum* Corporis; vt Habere tunicam.
4. Vt *Habitum partis Corporis*, vt Habere annulum.
5. Vt *Locatum seu contentum in continente*, sic amphora aut dolium habet, i. continet vinum.
6. Vt *Possessionem*, vt qui possidet domum aut fundum, dicitur Habere domum aut fundum.
7. Vt *Partem*, sic homo dicitur Habere manum.
8. Vt *Cohabitantem*, quo sensu ab Arist. vir dicitur Habere vxorem.

Quem modum habendi maxime alienum & improprium vocat: quia ille nihil aliud coniugio significari putauit quàm cohabitationem cum muliere, vt ipse se explicat. Sed id longe secus est, nam cohabitat quis cum sorore, matre, filia, aut ancilla, quas tamen vt vxores non habet: Sed habere vt vxorem, est sacrosancto & indissolubili vinculo, quod ex mutuo vtriusque consensu oritur, ei coniungi.

Atque hæc de toto Categoriarum tractatu; Anteprædicamentis, Prædicamentis & Postprædicamentis, dicta sint.

FINIS.

TRACTATVS LOGICI.

De Prædicabilibus.
De Prædicamentis.

Authore
RICH: CRAKANTHORPO.

LONDINI,
Ex officina IOHNNIS LEGATTI, impensis,
Iohannis Teage: Et venales extant in cœmiterio
D. *Pauli* ad insigne Pilæ.
MDC. XXII.

Lib. III.

DE SYLLOGISMO.

Præfatio vbi agitur de Subiecto Logicæ, et quo ordine tractari debet.

QVæ hactenus tractavimus primo de *Prædicabilibus*, tum de *Prædicamentis*, ea omnia sunt solum Præfationis loco ad Logicam. Nunc tertio loco ipsam *Logicam* aggrediamur.

Subiectum Logicæ quod sit.

Subiectum Logicæ est Argumentatio, seu *Ratiocinatio*. Nam Logica definitur esse *Ars ratiocinandi*: Ratiocinari autem nihil aliud est, quam rem aliquam argumentatione vel demonstrare, vel probare. Quare nihil in logica proprie ac primario tractatur, aut tractari debet, quam *Argumentatio, & quæ ad ea pertinent*: Deinde subiectum in omni disciplina illud est, cuius *principia, affectiones, ac species in ea traduntur*. In logica vero, *Argumentationis* principia, & affectiones, ac species traduntur; quare *Argumentatio* pro subiecto Logicæ sine vlla controuersia agnoscenda est.

Argumentatio quomodo in Logica tractatur.

Tractatur autem Argumentatio duobus modis, primo *generaliter*, vbi declaratur quid argumentationi conueniat, quatenus est Argumentatio; vti nimirum consideratur sine vllo respectu vel *materiæ*, in qua sit, vtrum ea necessaria sit, an probabilis; vel *finis* propter quem sit, vtrum docendi causa quis arguat, an differendi, an suadendi. De Argumentatione in hunc modum generaliter accepta, agit Arist. partim in libro Perihermenias, partim in libris duobus priorum Analytic. Secundo tractatur *specialiter*, vbi agitur de argumentatione, prout

vel ad *certam materiam* restringitur, vel ad *certum finem* dirigitur. Nam vel fit in *materia necessaria*, & ad docendum per necessaria media adhibetur, & tum vocatur *Argumentatio demonstrativa*, seu *Demonstratio*, de qua agit Arist. in li. duob. de Demonstratione; vel fit in *materia probabili*, aut quæ vt probabilis accipitur, & tum vocatur *Argumentatio Probabilis*: Illius autem duplex est finis. Nam Argumentatio ista probabilis vel *adhibetur ad disserendum, ac verum inveniendum*, & tum vocatur *Argumentatio Dialectica*, de qua agit Arist. in lib. 8. Topic. vel adhibetur ad *suadendum aliquid aut dissuadendum*, & tum vocatur *Argumentatio Rhetorica*, de qua agit Arist. libr. tribus Rhetor. ad Theodect. Sophistica autem argumentatio de qua agit Arist. in libro de Repreh. Sophistarum, non est distincta species arguendi, sed est vitium Argumentationis, cuius specialis tractatio non est in Logica necessaria, cum illius cognitio fere tota ex Argumentatione in genere percipi possit, sed adhibetur ab Arist. facilioris disciplinæ causa, & perspicuitatis gratia, non necessitatis.

Logicæ partes tres.

Ita tres sunt in vniuersum partes Logicæ, prima est *Logica generalis* (quæ est velut mater reliquarum) cuius subiectum est *Argumentatio, vel Ratiocinatio generaliter vt dixi accepta*, & hæc proprie Logica vocatur, quasi dicas Ratiocinatrix disciplina ἀπὸ τοῦ λογίζεσθαι, quod rationem & ratiocinari significat. Hanc sequitur *Logica specialis*, vbi species argumentationis (quæ sunt quasi filiæ Logicæ generalis) tractantur. Illæ duæ sunt, *Argumentatio demonstrativa, seu docens* quæ dicitur Logica Demonstratiua, & *Argumentatio Probabilis* quæ complectitur duas partes, non quidem *forma ac essentia*, sed *fine solum* differentes; prior est *Argumentatio disserens*, quæ proprie *Dialectica argumentatio* vocatur, vti illa Logicæ pars quæ eam considerat vocatur proprio nomine *Dialectica* a διαλέγεσθαι, quod disserere aut rationibus disceptare significat, Altera est, *Argumentatio suadens* quæ proprio nomine *Rhetorica argumentatio* vocatur, vti illa Logicæ pars quæ eam considerat vocatur Rhetorica a ῥήτωρ, quod dicere, & dicendo suadere significat. De his igitur tribus, Logica generali, Demonstratiua, & Probabiliter arguente (si Deus annuerit) ordine dicturi sumus.

In omnibus vero quantum possumus, Aristotelis vestigiis insistemus: tum quod is Philosophorum omnium princeps iure optimo habendus est: tum quod *Logicam*, totamque hanc *Ratiocinandi* artem, illius ingenio atque industriæ omnes debemus; Primus hanc argumentandi artem inuenit, nullus illi semitam hic ante calcauerat: & vt scias mirabile illius acumen, ac ingenium, non honore solum & admiratione, sed (cum Augustino, li. 9. Conf. ca. 6. sic loqui liceat) plane horrore dignum, artem hanc ab ipsomet inventam, ipsemet absoluit, eique ultimam manum, & colophonem addidit, sic vt nihil post eum huc addi, nihil hinc demi possit; nec ab hac illius semita, vir prudens vllus, aut doctus vnquam deflexit; Nam hic Ramum non moror: scio eum puerilibus ineptiis, & captiunculis (quas sciolus

quuis

quivis e nostris scholis, modo Logicam, vel à limine salutarit, non refellat modo, sed derisui propinet) tanti magistri doctrinam vbique insectari, & illius nomen, livida mente, ac dente malevolo rodere. Sed idem illi hic vsu venit, quod veteri verbo dici solet, *Sus Minervam.* Meminisse eum potius oportuisset Hieronimiani (b) illius moniti, *Sufficit mihi probare mea, & aliena non carpere. Puerilis est iactantia,* (quod Ramo solenne) *illustres viros accusando, suo nomini famam quærere.* Sed mitto ipsum. Sciunt docti omnes eum, dum pueriliter huic immoto scopulo insiliit, atque insultat; & famæ suæ, simul et doctrinæ ac ingenij iacturam fecisse & naufragium. Quamvis autem non mihi placeat illa viri doctissimi, mihique a puero charissimi Breirwodi vox, quam inter disputandum, me audiente, iuvenis ille in scholis nostris non sine magno astantium applausu publice edidit, *Prius vitam quàm Aristotelem deseram*, tantum tamen ei in Logicis tribuendum, & sentio & ingenue profiteor, vt ab illius tramite in his discedere, & indocti hominis & valde leuis ingenii τεκμήριον iudicem. Sed rem ipsam nunc aggrediamur.

b *Hier. epist. ad August. inter Epist. Aug. 13.*

CAP. I.

De Voce in genere: De voce non significativa, & significativa, tam naturaliter, quam ad placitum.

ARgumentatio *generaliter* vt dixi sumpta, sine vlla consideratione vel *materia* ex qua, vtrum necessaria sit an probabilis; vel *finis* in quem, vtrum docendi causa fiat, an differendi, duobus modis tractanda est. Primo, *in genere*, Secundo, *in specie*. De ea in genere duo explicanda sunt. Primo, *Quid sit*, Secundo, Quæ illius *proprietates*. Quid sit Argumentatio nunquam recte intelligi potest, nisi prius *Materiam* ex qua fit & constat, plene & delucide cognoscamus. *Materia* autem ex qua fiunt omnes argumentationes, sunt *Propositiones*: Materia etiam omnis *Propositionis* sunt *voces*. Ita proxime ex *propositionibus*, remotius ex *vocibus* fit omnis argumentatio. Quare vt intelligatur quid sit argumentatio, de *Propositione* prius dicendum est, & vt intelligatur quid sit *Propositio*, de *vocibus* prius agendum est; A vocibus igitur velut a carceribus incipiendum est.

Ordo qui hic observatur.

De voce agendum est, primo, *in genere*, secundo, *in specie*. Vox in genere ita definitur, *Vox est quicquid ex ore animantis certis quibusdam instrumentis, puta linguæ, palati, gutturis, pulmonum, & similium proferri potest.*

Vox quid.

poteſt. Dixi ex ore animantis, & idem docet Ariſt. lib. 2. de anim. ca. 8. Nam inanimata, vt ventus, ſonum quidem edere poſſunt, non tamen vocem. Dixi *inſtrumenta vocis* eſſe linguam, palatum, pulmones, & ſimilia: nam ſoni qui aliis modis etiam ab animante fiunt, vt ſuplosio pedum, aut manuum, voces non ſunt: & hoc quoque docet Ariſt. loco citato. Dixi proferri poſſe; nam voces *ſcriptæ verè voces ſunt*, etſi non proferantur, quia ſic vt dixi proferri poſſunt. Et hæc quidem definitio, *omni voci*, ſiue brutorum, (qualis eſt latratus canum, cantus auium) ſiue hominum, communis eſt, & voci tam ſcriptæ quam prolatæ conuenit.

Proprietates vocis. Nec neceſſe eſt plura addere, de voce in genere; nam hinc intelligi poteſt tum quid ſit vox, tum quæ illius proprietates: Sunt autem duæ, prima, *vox omnis eo quem dixi modo, proferri poteſt*: ſecunda, *quicquid iſto modo proferri poteſt eſt vox*.

Sequuntur ſpecies vocis; quæ duæ ſunt; vox alia eſt *Non ſignificatiua*, alia *ſignificatiua*, de priori prius dicendum eſt,

Vox non ſignificatiua quid. Vox non ſignificatiua, eſt *vox, quæ nihil ſignificat*, vt buff, baff, Scindapſus, quod exemplum ponit Damaſ. in ſua Dialectica, ca. 5. & ſimilia. Voces quidem ſunt, quia ex ore animantis, ijs inſtrumentis quæ dixi proferri poſſunt; at quia nullum exprimunt aut ſignificant conceptum mentis, ideo non ſignificatiuæ merito vocantur. Ac harum vocum nullus omnino eſt vſus vel in vlla diſciplina, vel in vita humana; ideo illæ omnes ab hoc tractatu amandandæ ſunt, & vt inutiles reijciendæ.

Sequitur altera vocis ſpecies, quæ tractanda eſt, primo, in genere tum in ſpecie.

Vox ſignificatiua quid. Vox ſignificatiua, *eſt vox quæ ſignificat aliquid*, vel, *quæ eſt ſignum conceptuum in anima*, vt homo, lapis; atque de hoc vocum genere intelligitur illud Ariſt. lib. Periher. ca. 1. *voces*, inquit, *ſunt ſigna, & nota paſſionum in anima*, & lib. 2. de anima, ca. 8. *vox*, inquit, *eſt ſonus ſignificatiuus*.

Signum quid. Quid vero ſignum ſit diligenter obſerua. *Signum eſt, quod ſeipſum ſenſui, & præter ſe aliquid animo oſtendit*, ut recte definit Auguſt. lib. de Princ. Dialec. ca. 5. & lib. 2. de doct. Chriſt. ca. 1. Sic fumus ignem eſt ignis, hedera vini: Ita vox prolata, aut ſcripta, ſignum eſt conceptus, & rei per illam vocem ſignificatæ; Atque hinc Aquinas recte colligit, part. 3. q. 60. art. 4. *Ea quæ proprie ſigna ſunt, eſſe ſenſibilia; quæ vero intelligibilia ſunt, ea rationem ſigni non habent, niſi prout ſunt manifeſta per aliqua ſigna*.

Conceptus non ſunt voces. Ex hoc conſequitur, quod ſiquis vocem aliquam concipiat animo, vox illa ſic concepta, vere vox ſignificatiua non eſt, eſt enim *conceptus ſigni*, non autem (ſicut ſignificatiua vox) *ſignum conceptus*, cum ſignum omne ſit ſenſibile & exterius, conceptus autem iſte ſenſibilis non eſt, niſi ſigno aliquo exteriori manifeſtetur. Addo etiam eadem ratione nullum vllius rei conceptum ſignum eſſe, cum conceptus nullus.

lus nisi exterius significetur, sensibilis sit; Sic vero se res habet, *Conceptus sunt intellectuales imagines rerum*, voces vero sunt *signa immediata conceptuum, mediata rerum*; scripta autem, sunt signa, *proxima vocum*, remota *conceptuum, remotiora rerum*. Sed de voce significatiua in genere, hæc satis multa.

Sequuntur illius species, quæ duæ sunt, vox significativa *naturaliter*, & significativa *ad placitum*; vox significativa naturaliter, *Est vox per quam natura instinctu conceptus animi alijs significamus*, & tales sunt voces aliquæ hominum, vt risus, & omnes omnino voces brutorum; nam & illa, suos conceptus per voces significant, iram puta vel metum, vel desiderium; docet hoc Arist. 1. Polit. ca. 2. *Sermonem solus homo habet, vox vero cum sit molesti aut iucundi significatio, alijs quoque animalibus inest. Hucusque enim in his processit natura, vt sensum habeant iucundi & molesti, & hoc inter se significare possunt.* Hinc Basil. Hom. 8, in Hexam. *Irrationalia*, inquit, *sunt*, (de brutis agit) *sed tamen vnumquodque ex natura multas animæ affectiones voce significat. Nam & gaudium & tristitiam, & rei familiaris cognitionem, & alimenti inopiam, & innumeras affectiones ipso vocis sono manifestant.* Quod autem Plato existimauit, (vt refert Clem. Alex. lib. 1. Stromat, pa. 388.) *Bruta omnia non minus quam homines, inter se colloqui, & Dialectis seu vocibus ad arbitrium significatiuis vti*; quod etiam Apolonius se *passerum sermonem intellexisse* aiebat, quodque *in Paraca vrbe India, cives draconis hepate comesto omnium animalium voces, murmuraque intelligere se dicant*, vt refert Gotop. lib. 1. Hermath. pag. 5. fabulæ sunt, & ineptiæ plusquam aniles: loquutio seu sermo, (qui fit vocibus ad placitum significatiuis) proprium est homini; illi soli convenit, vt ex Arist. nuper docuimus. Hominibus vero & brutis communiter convenit, vox naturaliter significans. Sed quia voces *naturaliter significativa*, ad Propositionem nihil conducunt, ideo eas etiam vt instituto nostro inutiles omittemus.

Vox significativa naturaliter quid.

Sequitur altera species vocis significatiuæ, de qua itidem agendum est primo in genere, tum in specie.

Vox significatiua ad placitum, *est vox significatiua quæ pro voluntate & arbitrio eius qui rebus nomina imposuit, res vel conceptus significat*; nam qui animali rationali nomen *Hominis* indidit, potuit pro suo arbitrio, alia voce rem istam notasse. Imposuit autem rebus quibusdam nomina *Deus ipse*, in Hæbreo idiomate; alijs *Adamus*, & alij homines qui diuersorum idiomatum authores erant.

Vox significativa ad placitum, quid.

Atque hoc de voce significatiua ad placitum in genere obseruasse satis est.

Cap. II.

De voce simplici, eiusque speciebus, Nomine, Verbo, & voce Syncategorematica.

SEquuntur species vocis *significativæ ad placitum*: Species eius duæ sunt. *Vox simplex*, & *vox complexa* quæ vocatur *Oratio*. De vtrisque accuratius, & diligentius agendum est, & primo de *voce simplici*, de qua agendum, primo *in genere*, secundo *in specie*: de ea in genere duo declaranda sunt. Primo *quid sit*, secundo *quid illi proprium*.

Vox Simplex quid.

Vox Simplex est *vox significativa ad placitum, cuius partes vel nullæ sunt, vel si sunt, eædem separatæ aut nihil omnino significant, aut nihil tale, quale coniunctæ significabant.* Vt homo, lapis; In hoc enim vox *simplex* differt *à complexa*, seu *oratione*, quia oratio semper habet partes; & illæ, tam coniunctæ, quam separatæ, idem plane significant; vt in hac oratione, Homo doctus sedet: *Homo*, & *doctus* idem significant quod separatæ, & per se sumptæ significabant. Contra fit in *voce simplici*, cuius aliquando nullæ partes sunt, vt in his, a, e, o, quæ voces sunt; aliquando partes habent, sed *non syllabicas*, vt do, sto, flo: aliquando partes etiam syllabicas habent, sed *illæ separatæ nihil significant*, vt parens, ambulans; aliquando significant quidem partes illæ separatæ, sed nunquam *idem* quod coniunctæ, vt in *domus*: nec enim *do*, nec *mus* significant id quod domus, sed longe aliud, & ab hoc alienum.

Proprietas vocis Simplicis.

Proprietas vocis simplicis est hæc vnica. *Omnis vox simplex vnum quid & non multa in omni sermone ac oratione significat, aut significare debet.* Hoc aperte tradit Arist. 4. Metap. c. 4. vbi ait, *Non significare vnum quid, esse idem ac nihil significare.* Quare cum vox omnis simplex significativa sit, vnum quid, & non multa significare debet in oratione. Et Arist. ibidem rationem reddit, *Quia aliter*, inquit, *non esset oratio*, (puta certa, & talis vt intelligi posset) *et periret omnis disputatio, quia nihil* (vt ille ait eodem cap.) *intelligere cogit, nihil vnum intelligentes.*

Dub.

Dices, quamplurimas voces ambiguas esse, & multa significare, vt *Gallus, Cancer, Canis*, & alia; & certe necessarium est, vt voces eædem multa denotent, quia *res quæ significantur prope infinitæ sunt, vocum autem est certus numerus*, vt vere docet Arist. lib. 1. de Repreh. Sophist. c. 1. Et Varro in latinâ linguâ numerauit voces *quinquies centena millia*, & in Hæbræo idiomate non *vltra* 1500. *radicales voces* recensentur.

Sol.

Respondeo, verissimum esse, quòd voces fere omnes ambiguæ sunt, idque

idque vel *casu*, vt Gillus, Cancer; vel *analogia quadam* ad primarium & principale significatum, vt caput, proprie ac primario membrum humani corporis, aut animalis notat; per *analogiam* principem, aut patremfamilias, quia sunt veluti capita reipub. aut domus. Sed vtcunque voces *per se sumptæ* ambiguæ sunt, tamen cum in oratione aliis vocibus connectuntur, vnum quiddam, vt dixi, & non multa significant; nam si sint ambiguæ, semper *in sermone* (vt loquuntur) *significato accipiendæ sunt, nisi ex circumstantijs in alio sensu capiendas esse constet.* Et hoc certe non obscure notant, vel res ipsæ, de quibus est sermo, vel aliquid in oratione annexum. Quis enim in hac oratione, *Cæsar Gallum fudit*, non intelligat populum Galliæ, & non auem? aut quis in hac, *Cancro laborat*, non intelligit morbum, & non piscem? Ita in oratione vox omnis vnum quid semper denotat; ac de voce simplici in genere hæc dicta sunt.

Species vocis Simplicis.

Sequuntur species vocis simplicis. Aliter autem vocem diuidunt Grammatici, aliter Logici; Grammatici *olim numerant vocis species*, quas totidem *partes orationis* nominant: ad quarum aliquam, vocem omnem in omni idiomate reuocant. Quam diuisionem tantum abest, vt improbem, vt nunquam satis laudari seruiam eorum acumen, qui tot tamque innumeras voces, ad tam paucas, & quod maius est, tam aptas & commodas classes retulerunt. Fruantur illi suâ, eaque laudatissima partitione, quæ ad sermonis congruitatem, ornatum, atque elegantiam docendum, non solum vtilis est, sed plane necessaria.

Logici vero, qui neque ornatum, aut elegantiam, neque ipsam congruitatem quidem, sed solum veritatem orationis respiciunt, quique vocem non aliter considerant, quam vt inseruit propositioni, duas vocum species, & non plures agnoscant, vocem *Categorematicam*, & vocem *Syncategorematicam*.

Vox categorematica quid.

Vox Categorematica, *est vox simplex, qua apta est, vt sit materia & materialis pars propositionis, sic vt ex ea fiat propositio*; dicta *Categorematica*, quia ad Categoriam, id est, *prædicamentum* sic spectat, vt vel de aliis prædicari possit, vel subijci alijs quæ de se prædicantur; vt Homo, Iustitia, Ens, Socrates, ambulat, loquitur & similia. Latine dicas aptissime *voces principales, seu principaliter res aut conceptus significantes.*

Nomen quid.

Vocis Categorematicæ duæ sunt species, *Nomen* & *Verbum*. Nomen est, *Vox Categorematica, qua rem aliquam, aut conceptum mentis significat, sine vlla certa temporis differentia*, vt homo, lapis, bonus, magnus, & similia; & huc referenda sunt *Pronomina omnia substantiva*, quæ vicem nominum substantivorum supplent, & pro illis brevitatis causa vsurpantur; qualia sunt, *Ego, tu, ille, iste, hic, sui*. Nam ista possunt esse subiecta in propositione, vt *Ego scribo, Tu legis*, & significant rem sine temporis vlla differentia. Huc etiam spectant omnia *Participia* quoties significant sine differentia temporis, vt cum dico, *Tu*

es doctus, fuisti legens, est amandus. Quod si temporis differentiam notent, tum non *nomina* censenda sunt, sed *verba*.

Dub. Sol. Dices, *horam, diem, mensem, annum*, esse *nomina*, et tamen significare tempus, & differentiam temporis. Respondeo, posse multa nomina significare tempus, & differentiam vnius temporis ab alio; sed non significant cum *certa aliqua differentia temporis*, id est, non significant aliquid principaliter, & præter illud significant id esse vel in præsenti, vel in præterito, vel in futuro tempore, sed hoc incertum manet ex significatione nominum. Ita significatio horæ, diei, & aliorum, est quidem *tempus*; sed cum dico (hora) dic mihi an præsentem horam, certò tibi notem, an præteritam, an futuram? & hoc est, quod dicere solent, nullum nomen *adsignificare tempus*, etsi significare tempus possit.

Verbum quid, *Verbum* est, *Vox Categorematica, quæ rem significat cum certa temporis differentia*, vt lego, doceo, principaliter significant actionem legendi, & docendi; sed præter hæc, notant actiones iam in *præsens* tempore fieri, & ita *adsignificant* tempus, (vt loquitur Arist. lib. de de Interp. ca. 3.) quod nomen nullum facit. Atque hinc liquet participia omnia, quando significant cum differentia temporis, esse vere verba apud Logicos, vt, puer est docendus. Hinc etiam apparet, verbum illud Substantivum *Sum es fui*, quando *copula* est, & nihil aliud, non esse *verbum* apud Logicos; nam non significat rem aliquam, sed solummodo copulat vnam rem, aut conceptum cum alio. Atque hoc est quod Arist. lib. de Interp. ca. 3. nu. 6. dicit, *Esse, aut non esse, non est signum rei, sed compositionem quandam adsignificat:* quem in locum recte observat, Iul. Pacius, *Tantum abest, vt esse aut non esse, per se accepta, significent rem aliquam esse aut non esse, vt verius sit, ea nihil significare, atque adeo non esse vera verba, sed (vt in scholis nominantur) copulas verbales.* Hæc ille, quod idem docet Fonsec. lib. 1. Dialect. c. 14. & Zabar. in Tab. in lib. de Inter. pa. 27. illius verba notatu digna sunt, *Verbum* (inquit) *rem significat, vt curro significat cursum. Excipitur hoc verbum (est) quando est tertium adiacens, nullam enim rem tum significat, vt cum dico, homo est albus*; Sic ille. Itidem Petrus Molineus, lib 1. ca. 1. *In Logicis*, inquit, *Verbum* (Est) *non accipitur verbis, sed est verbalis copula.* Recte, nam reuera (*est*) quando pro copula tantum sumitur, non notat rem vllam, aut existentiam rei, sed solum coniunctionem, & connexionem prædicati cum subiecto, vt hic, *Chymera est figmentum, vacuum est non ens*; in his per verbum (est), nihil aliud notatur, nisi prædicatum cohærere cum subiecto.

Atque hæc de voce Categorematica dicta sint.

CAP.

Cap. II.

De Voce Syncategorematica.

VOx *Syncategorematica*, est, *vox, quæ incepta est, vt per se sit materialis pars propositionis, sed adhæret vocibus illis quæ sunt ex se materiales partes propositionis, vt modum aliquem earum significationi addat, vel copulando eas inter se*, vt homo est Animal: *vel extrahendo earum quantitatem*, vt omnis Homo est viuens; *vel contrahendo*, vt quidam homo est doctus; *vel separando vnam partem ab alia*, vt homo non est lapis: *vel alio modo qualificando*, vt Aristoteles bene, & diu philosophatus est in Liceo: hæ voces *bene*, *diu*, & *in*, modum denotant, quomodo, vbi, & quandiu philosophatus est. Latine dicas non male, *voces adsignificativæ*, quia non significant rem vllam principaliter, sed solum adsignificant, id est, adiunctæ aliis vocibus, earum significationem hoc aut illo modo afficiunt. *Vox Syncategorematica quid.*

Atque hinc liquet, non modo omnia *Adverbia*, *Coniunctiones*, *Præpositiones*, & *Interiectiones*, sed quam multa etiam quæ Grammaticis *nomina adiectiua* vocantur, vt *omnis*, *nullus*, *vnus*, *alius*, & similia; multa etiam *pronomina*, vt *quidam*, *quilibet*, *quicunque*, *aliquis*, *meus*, *tuus*, *noster*, *vester*, & similia; nonnulla etiam quæ *verba* illis sunt, vt, *Sum*, *es*, *est*, *fui*, *ero*, (cum copulæ loco solum adhibeantur, vt fit in propositionibus omnibus tertij adiacentis) a logicis in vnam classem & speciem vocis reduci; omnia enim talia, *Syncategorematica voces* sunt; quia omnia eandem omnino rationem habent in propositione, materiales enim partes eius esse non possunt: quis enim ita dicat, *Omnis est homo*, aut sic, *non est arbor*? Hæc igitur est altera classis aut species *vocis simplicis* apud Logicos.

Ita in vniuersum sunt tres species *vocis simplicis*, ad vnam quarum vox omnis simplex a logicis refertur, *Vox Categorematica*, quæ est vel *Nomen*, vel *verbum*, & vox *Syncategorematica*.

Atque hæc de voce simplici, eiusque speciebus dicta sunt.

Cap. III.

De Oratione in genere deque eius speciebus.

SEquitur vox complexa quæ dicitur Oratio: quæ considerandæ est dupliciter; primo *in genere*, secundo, *in specie*. Primo *quid sit*, secundo *quæ illius proprietates*.

Oratio quid. *Oratio est vox complexa, (sive est multitudo & congeries plurium vocum simplicium) cuius partes separatæ non solum significativæ sunt, sed idem plane quod coniunctæ significant.* Vt Homo doctus ambulat. Orationem *vocem esse* testatur Arist. lib. Periher. cap. 4. *Oratio*, inquit, *est, vox significativa*, &c. In eo autẽ quod complexa sit, a voce simplici distinguitur; nam ex eo provenit, vt eius partes (quæ sunt voces simplices) significent idem plane cum separatæ sunt, quod significabant cum erant coniunctæ.

Dub. Dices, *curro, ambulo, scribo*, & similia, orationes sunt; & tamen hic non est congeries multarum vocum: sed vna tantum vox simplex.

Sol. Respondeo, istas voces esse veras orationes, sed *implicitas*, non explicitas, & ideo in illâ vnâ voce quæ exprimitur, plures voces implicantur, nam *curro* idem valet, atque *Ego sum currens*: quæ omnes voces in illa vnâ, *Curro*, implicantur.

Proprietas Orationis. Proprietas orationis est hæc vnica, quod *omnis oratio constet ex pluribus vocibus simplicibus vel explicite vel implicite, & quicquid ex pluribus vocibus constat, est oratio.* Hæc de oratione in genere. Sequuntur eius species, quæ duæ sunt. *Oratio imperfecta*, & *Oratio perfecta*.

Oratio imperfecta quid. Oratio imperfecta, *est oratio quæ non relinquit perfectum sensum in animo audientis.* Hoc autem fit vel quia nullum est verbum aut copula, vt *Homo iustus*, Homo & animal; vel quia sensus per illud verbum aut copulam non completur, sed suspensum relinquit animum, vt *cum fuerit Romæ*: Si tibi copia, seu sapientia, formæque detur.

Oratio perfecta, quid. Oratio perfecta, *est oratio quæ relinquit integrum plenum, & perfectum sensum in animo audientis*. & talis oratio est quadruplex. Alia est *Imperativa*, vt, Disce puer virtutem ex me verosque labores, fortunam ex alijs. Alia est *Optativa*, vt, Sed mihi vel tellus optem, prius ima dehiscat, vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras, pallentes vmbras Erebi, noctemque profundam, Ante pudor quam te violem, aut tua iura resoluam. Atque ad hanc referri debet oratio *Precativa*; vt, Eripe me, his invicte malis. Hæc enim (similesque omnes) precativa est, licet in Imperativo modo proferatur. Rectissime enim

enim obſeruat Baſilius in Pſalm. 44. *Precationes frequenter formari imperatiue, vt Fiat voluntas tua, id eſt vtinam fiat. Adueniat regnum tuum, id eſt vtinam adueniat*, ſic ille. Alia eſt *Interrogatiua*, vt, Tantæne animis cœleſtibus iræ? Alia denique eſt *Indicatiua*, quâ rem aliquam aut eſſe aut non eſſe indicamus: vt, Bene eſt, cui Deus obtulit parcâ quod ſatis eſt manu. Et hæc ſola propoſitionem facit; quia per hanc ſolam verum aut falſum ſignificamus, ac proponimus, vnde *Propoſitio* dicta. Quare omiſſis aliis omnibus orationis ſpeciebus, vt ab inſtituto noſtro alienis, de *Oratione ſolum Indicatiua*, ſeu (quod idem valet) de *Propoſitione* deinceps acturi ſumus; de Propoſitione enim, poſt vocum (quæ illius materia ſunt) tractationem, agendum, antea propoſuimus. Cap. 1. Sed priuſquam vlterius procedamus, ea quæ hactenus de voce dicta ſunt, memoriæ cauſſâ, breui hac Synopſi proponemus.



Cap. IIII.

De Propositione in genere.

DE *Propositione* agendum est primo *in genere*, vbi quid omni propositioni conuenit declarandum est; secundo *in specie*, vbi quæ sint illius species, & quid singulis conueniat explicandum. De propositione *in genere*, duo declaranda sunt, primo *quid sit*: secundo *quæ illius proprietates.*

Propositio quid.

Propositio est Oratio indicatiua, quæ verum, vel falsum significat, aut indicat, idque, vel affirmando, vel negando. Vt Homo est animal: lapis non est homo: Si dies est, sol lucet: necesse est hominem esse substantiam: Hæc enim definitio omni Propositioni conuenit: omni inquam, siue ea *prolata* sit, siue *scripta*; nam vt vox, & oratio, ita etiam *Propositio* duobus modis accipi potest. Vnde tam vox, quam oratio, & propositio, in *vocalem* & *Scriptam* distingui potest & solet: quæ vero dicitur *vox mentalis*, aut *oratio mentalis*, cum neutrum eorum signum exterius sit, certe neque vox, neque oratio vere est, nec sic nisi *abusiue* vocari potest.

Propositio vocalis, & Scripta.

Proprietates Propositionis quinque.

Quid sit propositio videmus. Proprietates eius quinque sunt, *Qualitas, Quantitas, Oppositio, Æquipollentia, & Conuersio.* Nam hæc omnia (quod hic moneo) conueniunt *Propositioni in genere*, illiusque proprietates sunt, nec ad vllam vnam propositionis speciem (vt solent a vulgo Logicorum) quasi vllius earum proprietates restringi debent.

Qualitas propositionis tria respicit.

Prima proprietas est qualitas, quæ inter omnes diligentissime est obseruanda. Qualitas autem propositionis tria respicit, primo *Affirmationem*, & *Negationem*; secundo *Veritatem*, & *Falsitatem*; tertio, *Necessitatem*, & *contingentiam*: vnde hæc proprietas tribus regulis explicari debet.

Prima Regula de qualitate.

Prima regula est hæc. *Omnis Propositio vel affirmat aliquid vel negat, & quicunque oratio vel affirmat aliquid, vel negat vllo modo, est Propositio.*

Affirmatiua propositio quid.

Propositio affirmat, vel *est affirmatiua, quando rem vllam quocunque modo asserimus.* Vt Homo est viuens. Si dies est sol lucet. Necesse est animal esse substantiam.

Negatiua Propositio quid.

Propositio negat, vel *est negatiua, quando rem aliquam quocunque modo negamus.* Vt Homo non est lapis: non si dies est sol lucet: non est necesse hominem esse doctum.

Secunda Regula de qualitate

Secunda regula de Qualitate est hæc. *Omnis propositio significat*

vel

vel verum vel falsum; & quæcunque oratio ullo modo significat vel verum vel falsum, ea propositio.

Propositio *est vera vel significat verum, quando res respondet orationi, & ita se habet vt propositio significat eam se habere.* Nam vt docet Arist. lib. 9. Metaph. ca. 12. *Veritas est adæquatio rei & orationis.* Vt Homo est viuens, vera est propositio, siue scribas, siue voce proferas: quia res ipsa ita se habet, vt per hanc propositionem significatur. *Vera propositio quid.*

Propositio *est falsa vel significat falsum, quando res non respondet orationi, sed aliter se habet quam propositio significat eam se habere.* Nam vt ex Arist. loco nuper citato liquet, *falsitas est inadæquatio rei & orationis.* Vt hæc est falsa, Homo est lapis, siue scribas, siue viua voce proferas, quia res ipsa non respondet orationi. *Falsa Propositio quid.*

Vnum hic est de veritate & falsitate propositionum accurate & diligenter obseruandum. *Propositio omnis tam scripta, quam prolata, propositio est vera est, quandocunque res respondet ei quod per orationem significatur, vera.* *vel verbis expressis, vel necessario subintellectis.* Vere enim vulgo dicitur, *Quod necessario subintelligitur, non dicit.* Ex autem voces necessario subintelliguntur, quas vel *ex scripto*, vel *modo proferendi*, vel *vlla alia manifesta circumstantia* intelligi, aut intelligendas esse, constat. Hinc illud quod in sacris literis dicitur. Psal. 116. *Omnis Homo est mendax*, Verissimum est; & tamen, si nihil aliud quam quod exprimitur spectes, falsum est: nam Christus homo non est mendax. Sed quia constat ex iisdem sacris literis, Deum mendacem non esse, & Christum Deum esse, ideo ex his certe colligitur, & constat, per vocem (homo) in priori propositione intelligi necessario *merum hominem*, qui homo tantum est, non Deus; & ita tam vera est illa propositio, *Omnis homo est mendax*, hoc subintellecto (quod necessario subintelligendum esse constat) quam si expressis verbis dictum fuisset, *omnis merus homo mendax est.* *Quando propositio est vera.*

Pari modo, *propositio omnis sive scripta, sive prolata, falsa est, quandocunque res non respondet ei quod exprimitur, aut quod necessario subintelligi, vel subintelligendum esse constat, etiamsi is qui profert, aut scribit illam propositionem, clausulam aliquam occultam, & non necessario subintelligendam intus apud se & in sua mente reseruet, qua addita, oratio fiat vera; quam tamen clausulam ab eo subintelligi, ex nulla circumstantia scripti, aut sermonis, colligi potest:* Vt si quis scripto, vel voce enunciet, se nunquam Romæ fuisse, qui tamen illic vere fuerit per aliquot annos, & reseruet apud se hanc clausulam, *nunquam ante Christum natum*, aut *nunquam ex quo in Angliam rediit*, aut *nunquam ibi fuisse, vt sibi illud significet, aut insinet* (quod genus mentalis reseruationis vulgo, sed non satis apte, *Æquiuocatio* vocari solet) qui inquam illud, cum istarum aliqua reseruatione enunciaret, hinc dubio mentiretur; & eius oratio siue scripta siue prolata, falsa *Quando propositio est falsa.* *Mentalis Reseruatio seu Æquiuocatio.*

esset, quia neque necessario subintelligenda est talis clausula, neque ex vlla scripti aut sermonis circumstantia colligi potest talem clausulam ab eo qui id protulit subintelligi; imo contrarium potius ex circumstantijs colligi potest.

Mixta propositio nulla est.

Ex hoc consequitur *Propositionem illam* quam *Mixtam* vocant Iesuitæ, *cuius nimirum vna pars voce vel scripto exprimitur, altera vero* (quam subintelligi, aut subintelligendam esse ex nulla circumstantia liquere potest) *mente reservatur, nihil esse aliud quam figmentum merum & delirium.* Nulla est omnino talis mixta Propositio, neque ab orbe condito, per quinque millia annorum & amplius, vel a Logicis, siue ethnicis, siue Christianis (multo minus a Theologis) vnquam recepta fuit, aut probata illa mixta Propositio, vt constanter asserit vir doctissimus Episc. Covent. in sua confut. doctrinæ de Æquiuo ca. 3. pa. 54. In nouissimis vero et prauissimis senescentis mundi ætatibus, tetlæ Genesio in Theoph. ca. 6. ab ignobili Sophista Gabriele Biel excogitata fuit, & iam a Iesuitis (acutissimis omnium qui vnquam fuerunt mendaciorum patronis) tanquam Romana Helena defenditur, vt videre licet, tum in tractatu de Æquivocatione, approbato a Geor. Blackwello, tum in libro, P. R. (id est, patris Roberti Parsonij) de Mitig. ca. 7. & 8. Non alium vero in finem vel inventa est, vel defenditata, nisi vt ipsis esset latebra mendacij simul & periurij.

Non esse vero vllam talem Propositionem, hinc liquet; *quia Propositio omnis est oratio*, ideoque *vox significativa, exque tinnulis vocibus conflata*: vox autem omnis significativa, *signum est conceptuum mentis*, vt ante ostendimus, vtque Arist. expresse docet lib. de Interp. ca. 1. *Voces*, inquit, *sunt signa conceptuum in anima*; illa autem pars propositionis mixtæ, quæ mente reservatur, *signum non est eius quod concipis*, (vt ex Aquinate docuimus) sed est *ipse conceptus*, quem ideo mente reseruas, ne id quod concipis, significes. Quare cum illa pars quæ concipitur solum, & non profertur, vel scribitur, *vox non sit*, certe nec *pars vllius* propositionis esse potest.

Vsus Æquivocationis detestandus.

Quantopere vero detestandæ sint *istæ mixtæ propositiones*, vel hinc solum liquere potest, quia si talis propositio, illiusque vsus, semel admittatur, & pro legitima approbetur, (vt per eam exprimere & proponere mentis conceptus liceat) nihil vsquam est tam falsum, aut impossibile, quod non iuro vereque asserere, imo & iuramento sacrosancto confirmare liceat. Tu cum sacerdos sis, & Missificus, dic tamen (vt reipsa respondisse quendam ex hac scholâ, nouum est, vtque videre licet in Confut. doctri. de æqui. ca. 18. pa. 92.) Dic inquam audacter, & iurato te *sacerdotem non esse*, cum hac mentis reservatione, *non Apollinis sacerdotem*. Tu Treshame, etiam iam iam moriture, dicito, scriptis testare, etiam & protestare tam certo, quàm salutem expectas, (fecisti enim hæc omnia, vt liquet in Actione

ctione proditoria, littera T, 3.) *te Garnettum ab annis 16. nunquam vidisse*; dicito hoc contra scientiam, & conscientiam tuam, & ipsius Garnetti, aliorumque confessionem; licebit tamen Garnetto iudice (vt ibidem liquet) cum Æquivocatione, aut mentali reservatione hoc dicere: non vidisti eum *oculis glorificatis* (vt ab alio istius farinæ, in simili causa responsum fuisse accepimus) non vidisti, *vt his aut illis significet*. Dicito & iurato te nullum vnquam hominem, corpus, aut colorem vidisse: verum esse iurabis, cum hac, quam apud te reseruasti clausula, non vidisse te hæc, *oculis leonis*, aut *equi*, aut vt ille Lucifuga, *non oculis glorificatis*. Iura denique nec hominem, nec brutum, nec cœlum, nec inferos esse, vere te iurasse contendes, quia reservasti hanc aut similem clausulam, non esse hæc in puncto mathematico, non in Vtopia, non supra, aut extra supremam sphæram. Hæc quia impia sunt, & abominanda, amandentur ad inferos, vnde exortæ sunt istæ æquivocandi artes, & Iesuiticæ reservationes. Sunt enim vere *Asylum mendacij & periurij*, veritatis ac fidei capitalis hostis, rerumpub. omnium pestis, & totius humanæ vitæ certissima pernicies. Audiant vero Iesuitæ isti, alium Iesuitam, Azor. lib. 11. Moral. ca. 2. *Quidam*, inquit, *putant fas esse cuiquam, iurare eo sensu quem mente intus concipit*. Quid vero tu? *possemus*, inquit, *hac ratione quidvis negare, & nihil non absque mendacio dicere*. Audiant Dom. Soto. lib. 5. de Iure & Iustit. qu. 6. art. 2. *Dicere non feci, quod tamen fecisti, cum hac mentis limitatione*, (vt tibi significem) *non est æquivocatio sed mendacium*. Aut si hæc audire nolint, audiant, velint, nolint, vocem illam Omnipotentis, *Labia mendacia abominatio Domino*. Atque hoc de secunda regula quæ veritatem & falsitatem propositionis respicit.

Tertia regula de qualitate propositionis est hæc: *Omnis propositio, est vel necessaria, vel contingens.* *Tertia Regula de qualitate.*

Propositio *est necessaria, quando id quod per eam notatur, vel est tam necessario verum, vt nunquam falsum sit, aut esse possit; vel tam necessario falsum, vt nunquam verum sit, aut esse possit.* Vt Homo est Animal, Homo non est lapis, sunt necessario veræ; homo est brutum, homo est lapis, sunt necessario falsæ. Si dies est sol lucet, est necessario vera: si homo sit animal, est lapis, est necessario falsa. *Necessaria propositio quid.*

Propositio *est contingens, quando id quod per eam notatur, vel est ita verum, vt tamen quandoque falsũ sit vel esse possit: vel ita falsum, vt tamen verum quandoque sit vel esse possit*: vt Socrates est doctus, est contingens; quia etsi verum sit, eum iam esse doctum, tamen & fuit ante, & iterum potest esse non doctus; Si des operam studijs evades insignis Philosophus, est contingens, quia fieri potest, vt si acumen tibi adsit, diligentiâ, & studio evades alter Aristoteles: sin ingenium desit, vtcunque insudes studijs, operam omnem & oleum perdis, Nam. *Contingens propositio quid.*

Nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium.

Quantitas propositionis.

Secunda proprietas propositionis est *Quantitas. Omnis propositio aliquam quantitatem habet, estque vel universalis, vel particularis, vel singularis, vel indefinita:* vt hæc, Omnis homo est animal, est universalis; aliquis homo est doctus, est particularis; hominem esse lapidem est impossibile, est singularis; homo est prudens, est indefinita: quæ omnia clarius ac facilius ex iis quæ postea trademus intelligi poterunt.

Oppositio propositionis.

Tertia proprietas est *Oppositio. Omnis propositio alicui alteri propositioni opponi potest:* Et quidem variis modis opponi, vt infra sequetur; hic satis sit monere *omnem propositionem alicui alteri contradictorie opponi.* Quod vel hinc certissime constat, quia nulla dari propositio potest, contra quam alteri disputare non licet: at Opponens qui contra disputat, debet semper contradictorium tenere ac suscipere sibi probandum, ei quod a Respondente asseritur. Quare nulla propositio dari potest, cui altera ei contradictorie opposita non possit dari.

Æquipollentia propositionis.

Quarta proprietas est *Æquipollentia, Omnis propositio alteri æquipollere potest:* vt, omnis homo est animal, æquipollet huic, non aliquis homo non est animal: & hæc, Si homo est animal est vivens, æquipollet huic, Omne animal est vivens: & hæc, Necesse est hominem esse animal, æquipollet huic, Impossibile est hominem non esse animal.

Conversio propositionis.

Quinta proprietas est *Conversio: Omnis propositio in aliam converti potest,* ut, Nullus homo est lapis, convertitur in hanc, nullus lapis est homo; & hæc, Si dies est sol lucet, convertitur in hanc, quandocunque dies est, sol lucet; & hæc, necesse est hominem esse animal, convertitur in hanc, aliquid quod est necesse, est hominem esse animal.

At de Propositione in genere hæc dicta sint.

Cap.

Cap. V.

De Propositione Categorica, quid sit.

NVnc agendum est de Propositione in *Specie*. Sunt autem eius duæ species. Propositio *Categorica* : et *Hypothetica*. De *Categorica* quæ primo tractanda est, duo explicanda sunt. Primo, *quid sit*: secundo, *quæ illius proprietates*.

Categorica Propositio, est propositio, in qua aliquid categorice, id est, simpliciter, absolute, & sine vlla conditione vel affirmatur, vel negatur; quæque constat ex vno subiecto, & vno Predicato, per vnam Copulam connexis: vt, homo est animal, homo non est lapis. Dici autem hæc non incommode posset, *Propositio simplex*, & sic ab ipso Arist. lib. de Interp. ca. 5. nu. 5. & 6. vocatur, & vere *simplex*, quia constat ex vno solum subiecto, vno solum prædicato, & vna solum copula. In quo ab Hypothetica propositione proprie distinguitur. Sed quia vsus iam apud omnes obtinuit, vt *Categorica* vocetur, loquendum est certe hic cum vulgo, & pro simplici *Categoricam* dicamus. Puto autem ideo Categoricam vocari, quia in hac est vnum tantùm Categorema, id est, prædicatum, quod de vno tantum subiecto Categorice, id est, simpliciter, absolute, & sine vlla conditione prædicatur. Hoc enim vox hæc Categorice significat.

Categorica Propositio quid.

Categorica quare dicta.

Quæ definitio vt rectius intelligatur, obseruandum est, quid sit *subiectum*, quid *prædicatum*, & quid *Copula*.

Subiectum *est totum illud quod præcedit Copulam, exceptis notis quantitatis, & qualitatis*, vt in hac, *Omnis homo doctus & probus est laudandus*, subiectum est, *homo doctus & probus*.

Subiectum quid.

Prædicatum *est totum illud quod sequitur Copulam*, vt in hac, (homo *est animal rationale & risibile*) prædicatum est, *animal rationale & risibile*.

Prædicatum quid.

Copula *est verbum principale in propositione, quod constellit prædicatum cum subiecto*. Et hæc est in omni propositione verbum hoc Substantivum, *Sum, es, fui*, aut aliqua persona illius.

Copula quid.

Hæc tria in omni propositione categorica semper habentur, & aliquando quidem *exprimuntur, seu expresse ponuntur*: vt, hic homo est animal, & tum propositio *explicita* dicitur; aliquando non exprimuntur sed *implicantur*, & tum propositio *Implicita* dicitur, quæ resolvendo fieri potest *explicita*: In *Implicita* autem propositione aliquando non exprimitur *subiectum*, vt ambulo: id est, ego sum ambulans:

Propositio explicita, & implicita.

ambulans: aliquando non exprimitur *prædicatum*, vt Homo est, id est, Homo est Ens, vel existens: aliquando nec *copula*, nec *subiectum* exprimitur, vt in his, pluit, ningit, & similibus; quæ varijs modis resolvi possunt. Nam si pluvia quasi *fluvia*, dicitur a fluo, vt Anglicum nostrũ *raine* a *ῥίω* *fluo*, tum sic resolvitur, *Pluit*, id est, *Pluvia vel aqua pluvialis in quã nubes resolvitur, est fluens vel cadens e nube*, vel si pluo a *ὕλη*, id est *mano* aut *effundo* derivetur, tum sic resolvitur, *pluit*, id est, *aer vel nubes effundit aquam pluvialem*. Itidem *ningit*, id est, *nix seu vapor nivalis in quem nubes resolvitur, est cadens*. Sed quomodocunque resolvatur, hoc constat, in his adeoque in omni propositione, ista tria semper inveniri, *Subiectum* dico, *Copulam* &, *Prædicatum* vel explicite vel implicite.

Propositio secundi adiacentis, & tertij.

Observa vlterius, quod quando nihil additur subiecto præter hoc verbum *sum*, aut *est*, aut aliqua illius persona, vt hic, *homo est*, *Chymera non est*: *Tu es*; *Troia fuit*, & in similibus, talis propositio dicitur, *Propositio secundi adiacentis* a Logicis, quia illud Prædicatum quod adiacet subiecto, est secundum in propositione, vel in eo quod secundum est implicatur: in istis enim omnibus, prædicatum includitur, & implicatur in ipsa copula, quæ est secundum in propositione quoad locum, (nam *Subiectum præcedit copula intercedit, prædicatum succedit*) et est participium illius verbi Sum. Prædicatum enim in his, est semper *Ens* aut *Existens*: Ens autem participium est ab antiquo & obsoleto verbo, *Eo, es*, a quo *Sum* quædam tempora mutuatur. Quando autem subiecto additur aliquid, quod in copula non includitur, talis propositio vocatur *Tertij adiacentis*, quia id quod tertium est (quoad locum) in propositione, adiacet subiecto, & de eo prædicatur, vt hic, *homo est animal*, *homo loquitur*; *Quæ* distinctio propositionum, secundi & tertii adiacentis, colligitur, non obscure ex verbis Arist. lib. de Interp. ca. 10 nu. 4. & 5.

Subiectum & Prædicatum vt Materia; Copula, vt Forma.

Adhuc observa, quod ex his tribus, quæ in omni propositione reperiuntur, duo extrema, nempe *Subiectum*, & *prædicatum*, sunt *materia, seu materiales partes, & Termini propositionis*: Copula autem non est materialis pars propositionis, sed *vinculum copulans*, & *connectens istas partes inter se*, & ideo vt illæ *materiæ* locum habent, ita *Copula*, instar *Formæ* est in Propositione. Quare licet in istis propositionibus quæ sunt *secundi adiacentis*, (vt homo est) in hac copulâ *est*, prædicatum nempe *Ens* includatur, tamen ipsa copula, *quæ copula est*, & nihil aliud, non est materialis pars, ne illius quidem propositionis, sed vinculum tantum; & quasi forma eius. Nihil autem refert cuius temporis aut personæ copula est, nam tam veræ sunt propositiones, *Troia fuit*, & *Roma intendio destruetur*, quæ sunt in præterito, & futuro tempore, quam hæc, homo est animal, quæ est in præsenti. Ac de definitione propositionis Categoricæ, hæc satis multa.

CAP.

CAP. VI.

De Qualitate Propositionis Categoricæ.

SEquuntur nunc *proprietates* propositionis Categoricæ, quæ sunt quinque. Prima, *Qualitas Categorica*: secunda, *Quantitas Categorica*: tertia, *Oppositio Categorica*: quarta, *Æquipollentia Categorica*: quinta, *Conversio Categorica*. Nam etsi hæc omnia, vt supra monui, prout in genere & indeterminate sumuntur, sint proprietates propositionis in genere, tamen prout limitantur, & determinantur, sunt proprietates specierum propositionis. Nam *Categorica affirmatio & negatio, veritas, & falsitas, necessitas, & contingentia*, & sic in reliquis, proprietates veræ sunt Categoricæ propositionis; *Hypothetica* vero *affirmatio & negatio, veritas & falsitas, necessitas, & contingentia*, & reliqua, sunt proprietates Hypotheticæ propositionis. Hic vero de his prout ad Categoricam propositionem restringuntur, agemus; & 1. de Qualitate. *Proprietates quinque propositionis Categorica.*

Hoc Propositionis Categoricæ Proprium est, *vt omnis talis propositio qualitatem aliquam habeat*. Qualitas hic vocatur, *per quam indicatur & exprimitur, qualiter prædicatum subiecto conveniat, vtrum ita vt affirmetur de eo, an vt negetur; itemque vtrum vere an falso, vtrum etiam necessario an contingenter, vel affirmetur, vel negetur.* Ex quo fit vt qualitas hæc Categoricæ propositionis, de qua nunc agimus, tria respiciat: quorum primum est *Categorica affirmatio & negatio*: Secundum est *Categorica veritas & falsitas*. Tertium est, *Categorica Necessitas, & contingentia*, vnde de qualitate propositionis Categoricæ tres regulæ oriuntur. *Qualitas propositionis quid.*

Prima est hæc. *Omnis propositio Categorica absolute, & Categorice aliquid vel affirmat, vel negat*, ideoque est vel *Affirmativa*, vel *Negativa*. *Prima Regula de Qualitate.*

Propositio *Categorica affirmativa* est, *quando prædicatum Categorice, seu* (quod idem valet) *absolute affirmatur de subiecto*. Cuius *Nota* est, quod negatio ista (*Non*) Copulam non præcedit, neque actu neque virtute, aut si forte *loco* præcedat, suas tamen vires in eam non exercet: vt, Omnis homo est doctus: Omne non animal, est non homo: nam licet negatio (Non) in posteriori exemplo, præcedat Copulam *loco*, non tamen sic præcedit, vt eius virtus exerceatur in Copulam, sed solum in subiectum, quod facit *termi-* *Affirmativa Propositio Categorica.*

num infinitum, & si proprie loqui volumus, vox illa (*Non*) ibi non est vox *negans*, sed tolum *infinitans*.

Negativa propositio Categorica, quid.

Propositio *Categorica Negativa*, *est quando praedicatum categorice seu absolute negatur de subiecto*. Cuius *Nota* est, quod haec Negatio (*Non*) ita praecedi: Copulam, vt vires suas in eam exerceat: praecedit autem vel *actu*, vt, homo non est lapis; vel *virtute*, vt nullus homo est lapis. Nam etsi (*non*) actu hic non exprimitur, tamen virtute continetur, & includitur in voce *Nullus*, quod idem valet, ac *non vllus*, aut *non aliquis*: praecedit etiam in his ista negatio Copulam, sic vt in eam vim suam exerceat. Nam voces istae, nullus, non vllus, non aliquis, sunt *signa mixta* quae notant tam qualitatem, quam quantitatem propositionum; ideo negatio in illis duplicem vim exercet, *vnam* in subiectum, *alteram* in Copulam: per priorem notat quantitatem, & vniversalizatem propositionum illarum; per posteriorem notat solum qualitatem, quod sint negativae propositiones: virtute etiam praecedit Copulam negatio aliquando, cum quoad *locum* in propositione sequitur Copulam; quod etsi in latino idiomate raro euenit, sicut etiam in Graeco, tamen vsitatissimum est in Anglicano, *He is not learned, a man is not a stone*: & in infinitis similibus; de quibus omnibus hoc tenendum est, quod licet *negatio* pro more idiomatis, copulam loco sequatur, virtute tamen praecedit, & vim totam suam negativam in eam exercet.

Signa Mixta.

Dub. Dices hanc propositionem, *Homo qui non est doctus loquitur*, esse affirmativam, & tamen negatio illa *Non*, copulam (*est*) praecedit, & in eam suas vires exercet.

Sol. Respondeo, verbum illud (*est*) quod exprimitur ante vocem, *doctus*, non est Copula in hac propositione, quia non est *verbum principale*, vt Grammatici docent: sed Copula hic includitur in verbo, *loquitur*; quod si resolvas, fiet, *est loquens*: huic autem (*est*) quod est vere *Copula*, negatio ista (*non*) praeponitur, quoad locum, sed non quoad virtutem, ita vt suam vim in hanc Copulam exerceat, sed solum in partem subiecti, *est doctus*.

Dub. Haec propositio, *Nullus homo non est doctus*, est affirmativa, & tamen negatio (*Non*) hic praecedit Copulam, & vim suam in illam exercet.

Sol. Respondeo, quod non exercet: sed propositio ista est *affirmativa propter duas negationes*. Est enim regula vulgaris ac vera, quod *Duae negativae faciunt affirmativam*. Quod apud latinos semper tenet, sed in *Graeco* idiomate & saepe in *Anglicano* pro more idiomatum, duae negativae fortius negare solent. Et ratio quare duae negativae affirment est haec, quia prior negatio exercet suam vim in ipsam negationem sequentem, & in id quod per ipsam negatur, ideoque tollit ab illa propositione vim omnem negandi, & contrariam vim affirmandi

mandi ei attribuit; Quare licet hæc sit negativa, *homo non est doctus*, tamen si negatio alia præponatur, hoc modo, *nullus, aut non vllus homo non est doctus*, tollitur a priori propositione vis negandi, & fit ex negativa, affirmativa; nam idem valet dicere, *nullus homo non est doctus*, & dicere, *omnis homo est doctus*. Sed ista ex regulis de Æquipollentia facilius cognoscentur. Ad obiectionem ergo dicendum, omnem propositionem esse negativam, quando negatio *vnis*, vel *impares*, Copulæ præponuntur, quæ exerceant vim suam in istam copulam. Quod si negationes *duæ*, aut *pares* sint, tum propositio propter rationem dictam, est affirmativa: quare ista *affirmativa* est, *Nullus homo non est doctus*, quia hic duæ sunt; ista vero *negativa*, *non nullus homo non est doctus*, quia tres sunt, & impares negationes.

Secunda regula de qualitate est hæc. *Omnis propositio Categorica est Categorice vera vel Categorice falsa.* *Secunda regula de qualitate.*

Propositio Categorica, est *Categorice vera*, *quando vel prædicatum quod vere inest subiecto, de eodem Categorice affirmatur; vel prædicatum quod vere non inest subiecto, de eodem Categorice negatur* vt homo est animal, homo non est lapis. *Vera propositio Categorica, quid.*

Propositio Categorica, est *Categorice falsa*, *quando vel prædicatum, quod revera inest subiecto, de eodem categorice negatur, vel prædicatum quod non inest subiecto, de eodem categorice affirmatur.* Vt homo non est animal, homo est lapis. *Falsa propositio Categorica, quid.*

Tertia regula de Qualitate est hæc. *In omni propositione categorica prædicatum vel necessario vel contingenter de subiecto affirmatur categorice vel negatur:* Ideoque omnis talis propositio vel est *categorice necessaria*, vel *categorice contingens*. *Tertia Regula de Qualitate.*

Propositio Categorica necessaria est, *quando prædicatum, vel ita categorice affirmatur de subiecto, vt negari de eo non possit, quia semper illi subiecto conuenit, ita vt sine isto prædicato subiectum esse non possit*, vt homo est animal, homo est risibilis, ignis est calidus: *Vel ita negatur de subiecto, vt de eo affirmari non possit, quia nunquam illud prædicatum ipsi subiecto conuenire potest*, vt, homo non est lapis, ignis non est frigidus, Substantia non est Accidens, *Necessaria propositio Categorica, quid.*

Propositio categorica contingens est, *quando prædicatum vel ita categorice affirmatur de subiecto, vt possit de eo negari; vel ita negatur de subiecto vt possit de eo affirmari, quia prædicatum illud, vel inesse potest subiecto ipsi, vel non inesse*, vt, Homo est doctus, homo non est doctus; nam doctrina ita inest homini vt possit non inesse, & ita non inest homini, vt tamen possit inesse. *Contingens propositio Categorica quid.*

Ac de Qualitate Categoricæ propositionis hæc satis multa.

Cap. VII.

De Quantitate Propositionis Categoricæ.

SEcunda proprietas propositionis Categoricæ est *Quantitas*. Nam hoc ei proprium est, quod *omnis propositio Categorica aliquam quantitatem habeat.*

Quantitas propositionis quid.

Quantitas autem Categoricæ propositionis de qua hic loquimur, *est per quam exprimitur quam late extendatur prædicatum in ea, respectu subiecti, vtrum omnibus, an aliquibus, an nullis conueniat.* Vnde secundùm quantitatem, categorica propositio diuiditur in *vniuersalem, particularem, singularem*, & *indefinitam*, quæ omnes ex *Nota* quantitatis intelliguntur.

Nota quantitatis sunt vel,

- *Vniuersales* quæ notant terminum cui coniunguntur vniuersaliter accipi, eæque sunt vel *Affirmatiuæ*, vt *Omnis, quilibet, quicunque, quandocunque*, vel *Negatiuæ*, vt *nullus, nemo, nunquam.*
- *Particulares*, quæ notant terminum cui adduntur particulariter, sed indeterminatè accipi, pro individuo incerto & vago, vt *aliquis, alius, vnicus, alter, nonnullus.*
- *Singulares* quæ notant rem aliquam singularem, certam, & determinatam, vt *hic, ille, iste, is, ego, tu*, & *omnia* pronomina demonstratiua, omnes etiam *propria nomina* vt Iohannes, Petrus, Bucephalus, & vox *omnis*, quando collectiue sumitur, non distributiue.

Hinc facile est, propositiones Categoricas (hoc tu semper intellige, ne sæpius vocem istam repetere necesse sit) *iuxta Quantitatem* & discernere & definire.

Vniuersalis propositio Categorica, quid.

Vniuersalis propositio est, *quando subiecto communi præponitur Nota vniuersalis.* Vt, Omnis homo est animal; nam per hoc notatur prædicatum *vniuersaliter* conuenire subiecto, sic vt in singulos distribui, aut de singulis affirmari possit. Ita vt vere dicas, hic homo est animal, iste, & ille, & sic de singulis. At hæc non est vniuersalis, *Omnes Apostoli sunt duodecim*, quia (omnes) ibi collectiue sumitur, non distributiue, non enim vere dices, Petrus est duodecim, aut Paulus, sed omnes simul sumpti sunt duodecim.

Particularis propositio Categorica, quid.

Particularis propositio est, *quando subiecto communi præponitur*

Nota

Nota particularis, vt, Quidam homo eſt doctus, vnicus ſol eſt mundo: quæ propoſitio etiam *negatiua eſt*, nam vox, *vnicus*, eſt *Signum matum* (quale *nullus*, *non vllus*, & ſimilis) & idem valet quod *vnus tantum*, vel *non plures*, ita & particularitatem notat, & negationem in propoſitione.

Singularis propoſitio eſt, *quando vel ſubiectum eſt nomen proprium*, vt Socrates eſt Philoſophus, *vel nomen commune, cui Nota ſingularis præponitur*, vt, hic homo eſt doctus. *Singularis propoſitio, quid.*

Dices iſtas propoſitiones, *Orator hoc teſtatur*, *Poeta ſic cecinit*, eſſe ſingulares, nam idem valent, ac ſi dicas, Cicero aut Virgilius hoc teſtatur: & tamen ſubiectum hic neque eſt nomen proprium, neque nomen commune, cum nota ſingulari præfixa. Reſpondeo iſtas propoſitiones, ſi *modum proferendi & voces expreſſas ibi* ſpectes, eſſe *Indefinitas*; ſed ſi *vſum loquendi*, ſunt ſingulares: nam etſi nulla ſingularis Nota expreſſe præponatur huic ſubiecto, *Poeta*, tamen in iſta propoſitione, intelligitur, & implicatur talis Nota in iſto ſubiecto ex vſu loquendi. Idem enim eſt ac ſi dicas, aut demonſtres digito: *Ille qui eſt poeta præſtantiſſimus*, vel καθ' ἐξοχὴν (quem omnes nouunt eſſe Virgilium) *ille ſic cecinit*: ſimilia ſunt illa, *Filius hominis eſt Deus*, i. ille, qui præſtantiſſimus filius eſt ex homine natus. *Philoſophum ita docet*, i. ille, qui eſt philoſophorum omnium dignitſſimus: quem omnes docti ſciunt & agnoſcunt eſſe Ariſtotelem. Similis implicatio notæ ſingularis, eſt in iſta propoſitione: *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, aut *omnes ſapientes Græciæ ſunt ſeptem*. Nam in voce, *Omnes*, quando ſumitur *collectiue*, vt hic accipi clarum eſt, implicitur hæc Nota, *Illi*, ac ſi dicas: *Illi qui a Græcis propter ſummam ſapientiam celebrantur, illi omnes*, i. illi ſimul ſumpti ſunt numero ſeptem. Quare cum in iſtis omnibus notæ ſingulares implicentur, certe propoſitiones eſſe ſingulares, non eſt dubitandum. *Dub.* *Sol.*

Indefinita propoſitio eſt, *quando ſubiecto communi nulla Nota quantitatis præponitur, neque ex vſu loquendi ſubintelligitur*: vt, Homo eſt animal, Homo eſt doctus. Et dicitur *Indefinita*, non quia nullam habet quantitatem certam, & definitam, (nam omnis propoſitio eſt alicuius certæ, & definitæ quantitatis) *ſed quia nullam habet ſignum aliquo aut Nota expreſſam, & definitam*, ſicut habet vniuerſalis, particularis & ſingularis. *Indefinita propoſitio Categorica, quid.*

Quæres, vnde ergo *cognoſcatur certa illa quantitas* propoſitionis Indefinitæ? Dico, *ex materia ipſa* vel ex qualitate illa, quæ reſpicit *Neceſſitatem*, & *Contingentiam*, propoſitionis. Nam, *ſi ſit in materia neceſſaria*, (id eſt, *ſi propoſitio illa indefinita ſit neceſſaria*) *tum quantitas eius eſt vniuerſalis, & pro vniuerſali capienda eſt*: vnde hæc, *Homo eſt animal*, eſt re ipſa vniuerſalis, & æquipollens huic, omnis homo eſt animal; *ſi vero ſit in materia contingenti, id eſt, ſi propoſitio illa indefinita ſit contingens, tum quantitas eius eſt particularis, & pro* *Quomodo ſciatur Quantitatem Indefinitæ propoſitionis.*

particulari capitania est: vnde hæc, *homo est doctus*, quoad rem est particularis, æquiualens huic, quidam homo est doctus.

Nota, non sunt partes propositionum.

Obserua hic, *nullam Notam, vel quantitatis, vel qualitatis, esse partem propositionis, sed solum voces Syncategorematicas, quæ actuant propositionis vt quantitatem illius, aut qualitatem denotent*; vnde in hac *Omnis homo est doctus*, & *Aliquis homo non est doctus*, *omnis*, *aliquis*, & *non*, non sunt vel subiectum, vel pars vlla subiecti. Id quod hinc certa ratione liquet; quia cum duæ istæ propositiones sint contradictoriæ, habent ambæ sine dubio, idem subiectum & prædicatum; at nulla earum *Notarum* est in vtraque propositione. Ad copulam autem spectare non possunt, vt pars illius, quia in omni propositione, Copula est nihil omnino aliud præter hoc verbum substantivum, Sum, es, est, aut aliqua eius persona. Relinquitur ergo istas & similes omnes Notas, neque esse *subiectum*, aut *prædicatum*, neque *vllam partem* vel subiecti, vel prædicati, neque etiam vel *copulam* vel *partem copulæ*.

Dub. Sol.

Dices, in hac propositione, *Omne non animal est non homo*, prius *non*, esse partem subiecti, & posterius partem prædicati. Respondeo, verum est, vocem istam (*non*) posse esse partem vtriusque, neque id negaui; sed dixi *Notas quantitatis & qualitatis*, nunquam esse partes vel subiecti vel prædicati; In ista autem propositione vox illa (*non*) adiecta animali, facit terminum infinitum, sed non facit propositionem negatiuam; quod efficeret si esset nota qualitatis. Est igitur hæc negatio (*non*) aliquando *Infinitans*, vt cum adiungitur vel subiecto, vel prædicato, eique adhæret, & suam vim in ea solum exercet, & tum potest esse, & est pars subiecti aut prædicati in propositione; aliquando *Negans*, cum exercet suam vim non in subiectum aut prædicatum, sed in Copulam, vt, quidam homo non est doctus: & tum solum est *Nota* qualitatis, & neq; est pars propositionis totius, neque vllius partis propositionis. Simile dicendum est de his: Omnem hominem esse animal, est necessarium. Omne corpus esse animatum, est falsum; & similibus. In his, vox *Omnis* est quidem pars subiecti, sed non est in his nota quantitatis illius propositionis, cuius est pars.

Vox hæc Non, est vel Infinitans vel Negans.

Hæc de *Quantitate* propositionis Categoricæ dicta sint. Hic verò attexendum est, quod solent interpretes, de *Interrogationibus*, *sint* de *substantia*, siue de *Qualitate*, siue de *Quantitate* propositionum. Quanquam (vt ingenue fatear) non mihi arridet quod ita diuidant propositionem secundùm *substantiam*, *qualitatem*, & *quantitatem*; nam vere diuidenda est secundùm substantiam, aut essentiam, in *Categoricam*, & *Hypotheticam*: *Qualitas* vero & *quantitas*, non vt membra diuidentia, aut species Propositionis, sed vt eius proprietates, sicut etiam *Oppositio*, *Æquipollentia*, & *Conuersio*, vere habendæ sunt. Sed sequamur vulgus; Si quis te quærat, *Quæ est aliqua propositio*,

positio, tum (quia de substantia, aut essentia quæritur) respondendum est, quod vel est *Categorica* vel *Hypothetica*. Si quæratur *Qualis* est aliqua propositio, tum respondendum est, quod vel est *Affirmativa*, vel *Negativa*. Si quæratur *Quanta* est aliqua propositio, tum respondendum est, quod vel est vniuersalis, vel particularis, vel indefinita, vel singularis. Quæ omnes responsiones, hoc versiculo non incommode exprimuntur. Quæ? *Ca*: vel *Hy*. Qualis? *Af*. vel *Ne*. Quanta, *Par. In. Sing*. Qua, Qualis, Quanta Propositio.

Atque hæc de *Quantitate* propositionis Categoricæ dicta sint.

Cap. VIII.

De Oppositione Propositionum Categoricarum.

TErtia proprietas propositionis Categoricæ est *Oppositio categorica*. Nam hoc proprium est Categoricæ propositionis, vt *omnis Categorica propositio alicui categoricæ propositioni, categorice opponi possit*.

Quod vt rectius intelligatur, tria hic explicanda sunt. Primo, quid sit *categorica oppositio*. Secundo, *quotuplex sit*. Tertio, quæ *sint leges oppositarum propositionum*.

Oppositio categorica est, *Repugnantia duarum propositionum categoricarum, vel in qualitate sola, vel in quantitate sola, vel in quantitate & qualitate simul, in quibus vtriusque est idem subiectum, & idem prædicatum*. Vt, Omnis homo est doctus, Nullus homo est doctus. Oppositio categorica quid.

Hinc liquet ad omnem *logicam oppositionem categoricam* tria requiri. Primo, vt sint *duæ, eaque repugnantes* propositiones, vnde hæ non sunt oppositæ, homo est doctus, & homo est eruditus; nam hæ duæ non repugnant. Secundo, vt *istæ duæ differant vel quantitate, vel qualitate*, vnde hæ non sunt oppositæ, Aliquis homo est doctus, & nonnullus homo est doctus, nam sunt eiusdem plane quantitatis, & qualitatis. Tertio, vt sit in *vtriusque idem subiectum, & idem prædicatum*, vnde hæ non sunt oppositæ, homo est albus, & homo est niger, quia prædicatum in his non est idem; nec hæ, gladius est acutus, ensis non est acutus, nam subiectum in his non est idem. Opponuntur quidem *sensu*, sed *secundum formam logicam* non opponuntur. Nam oppositio *formalis & logica* sumitur tantum ex signis non ex terminis, Vbi ergo signa seu notæ quantitatis,

& qualitatis ſunt eædem, ibi *formalis & logica oppoſitio* nulla eſt, quantumuis reſpectu terminorum ſit, vel maxima oppoſitio.

Secundo videndum eſt *quotuplex* ſit Oppoſitio Categorica: Quia autem alius eſt modus *Oppoſitionis* in propoſitionibus *vniuerſalibus, particularibus, & Indefinitis*, alius in propoſitionibus *ſingularibus*, ideo dicemus primo de illa Oppoſitione quæ eſt inter propoſitiones vniuerſales, particulares, & Indefinitas; tum de illa quæ eſt inter ſingulares.

Oppoſitio in Indefinitis quomodo capienda.

Quod ad primum attinet, illud hic tenendum eſt, *Oppoſitionem quæ eſt inter propoſitiones Indefinitas* nunquam recte conſpici poſſe, niſi ad quantitatem ſuam certam reuocentur, ita vt ſi ſint *in materia neceſſaria, tum pro indefinita ſubſtituenda eſt vniuerſalis*; ſi in *materia contingenti, tum pro indefinita ſubſtituenda eſt particularis*, atque ita eadem omnino erit Oppoſitio in Indefinitis, quæ eſt in vniuerſalibus, & particularibus: quare ſi hanc explicemus, eâdem operâ Indefinitarum oppoſitio declarabitur.

Oppoſitio quadruplex in Vniuerſalibus, & particularibus.

Eſt autem in propoſitionibus vniuerſalibus, & particularibus quadruplex oppoſitio. Nam illæ vel ſunt *contrariæ*, vel *Subcontrariæ*, vel *Subalternæ*, vel *contradictoriæ*.

Contraria propoſitiones.

Contraria ſunt, *duæ vniuerſales oppoſitæ, quarum altera affirmat, altera negat.* Vt, omnis homo eſt animal, Nullus homo eſt animal.

Subcontrariæ propoſitiones.

Subcontrariæ ſunt, *duæ particulares oppoſitæ, quarum altera affirmat, altera negat*, vt, quidam homo eſt animal, quidam homo non eſt animal.

Subalternæ propoſitiones.

Subalternæ ſunt, *duæ propoſitiones oppoſitæ quæ differunt ſola quantitate non qualitate*, ita vt ſi vna ſit affirmatiua, altera etiam erit affirmatiua, & ſi vna ſit negatiua, altera etiam erit negatiua: ſed vna ſemper eſt vniuerſalis, altera particularis, vt, omnis homo eſt animal, quidam homo eſt animal: &, nullus homo eſt animal, quidam homo non eſt animal.

Dub.

Dices Ariſtotelem vbi de oppoſitione propoſitionum agit, lib. Perih. cap. 7. nullam mentionem feciſſe Subalternarum, quare illæ non videntur opponi; quin & ratio hoc idem docet. Nam vnum Oppoſitum non continet in ſe & ſub ſe alterum; at ſubalternarum, vna ſemper in ſe, & ſub ſe continet alteram. Nempe vniuerſalis particularem.

Sol.

Reſpondeo, Ariſt. de ijs tantum *oppoſitis* illic egiſſe quæ *qualitate* differunt, et vna earum non continet ſub ſe alteram. Subalternæ autem qualitate non differunt, ſed ſola quantitate. Hanc autem oppoſitionem in *quantitate ſola* Ariſtoteles neque negauit, neque ignorauit, ſed vt faciliorem omiſit: vna autem earum oppoſitarum, quæ quantitate ſola differunt, continere & poteſt & debet in ſe, & ſub ſe alteram. Vt hæc, *Omnis homo eſt animal*, continet in ſe & ſub ſe hanc, *quidam homo eſt animal*. Ideoque *Subalternæ* vocantur, quia

Subalterna cur dicta.

vna

vna continetur sub altera, nempe particularis sub vniuersali. Quare vniuersalis vocari solet *propositio subalternans*, id est, continens sub se alteram; particularis vocari solet, *subalternata*, id est, contenta sub altera: vtraque autem *subalternæ* communi nomine vocantur.

Contradictoriæ sunt, *duæ propositiones oppositæ, quæ differunt & qualitate & quantitate*, ita vt si vna sit affirmatiua, altera erit negatiua; si vna sit vniuersalis, altera erit particularis. Vt, omnis homo est animal, quidam homo non est animal, & nullus homo est animal, quidam homo est animal. *Contradictoriæ propositiones.*

Hæc omnia, ex subiecto typo, *qui tyronibus ad vnguem tenendus est*, facile perspiciuntur.



Hæc est *Oppositio* in propositionibus *vniuersalibus* & *particularibus*, quæ nunquam variat. Eademque omnino est in propositionibus *indefinitis*, cum in eis certa quantitas exprimitur. Nam ista, *homo est animal*, quia est in materia necessaria, reuocanda est ad hanc, Omnis homo est animal, & eandem cum hac oppositionem habet, tam *contrariam*, quam *subalternam*, & *contradictoriam*. Hæc autem, *homo est doctus*, quia est in materia contingenti, reuocanda est ad hanc, quidam homo est doctus, & eandem omnino cum hac oppositionem habet tam contradictoriam, quam subcontrariam, & subalternam.

In *singularibus* vero propositionibus, alio modo se res habet. Nam Oppositio in his, neque est *Contraria* neque *subcontraria*, nec *subalterna*, sed solum *Contradictoria*. Illæque ipsæ *contradictoriæ* inter se *singularibus* differunt *sola qualitate*, nunquam autem *quantitate*; *Oppositio quæ nulla in propositionibus Singularibus reperitur.*

Nam ſunt ſemper duæ ſingulares oppoſitæ, quarum vna affirmat, altera negat, vnde Contradictoria huius, *hic homo eſt doctus*, non eſt iſta, Nullus homo eſt doctus, ſed hæc, *Hic homo non eſt doctus*. Nam aliter non ſatis eſſet ad refellendum hanc propoſitionem, *Hic homo eſt doctus*, probare hunc hominem non eſſe doctum, ſed probanda eſſet hæc, *Nullus homo eſt doctus*. Nam contradictoria propoſitio ſemper in diſputando probanda eſt. Præterea, vtraque iſtarum, ſimul falſa eſſe poteſt, videl. Hic homo eſt doctus, & Nullus homo eſt doctus: at duæ contradictoriæ ſimul falſæ nunquam eſſe poſſunt. Pari modo euenit quando ſubiectum *propoſitionis ſingularis* eſt nomen proprium. Nam hæc propoſitio, *Socrates eſt doctus*, contradictorie opponitur huic, *Socrates non eſt doctus*, neque vllam oppoſitam habet, vel *ſubcontrarie* vel *ſubalterne*: & ratio aperta eſt, quia nomini proprio nulla Nota vel vniuerſalis, vel particularis præponi poteſt, vt fiat oppoſitio, vel contraria, vel ſubcontraria, vel ſubalterna.

Quæſit, & *quotuplex oppoſitio* propoſitionum dximus. Tertio, oſtendendum eſt, quæ ſint *leges oppoſitarum* propoſitionum.

Lex prior de Contradictorijs. De *Contradictorijs* duæ ſunt regulæ. Prima eſt hæc, *Omnis propoſitio cuiuſcunque ſit qualitatis, aut quantitatis, vni propoſitioni contradictoria eſt, & tantum vni.* Hoc ex antedictis apertiſſime ſequitur. Nam vniuerſali affirmatiuæ, contradicit particularis negatiua, nec vlla alia: & contra. Item vniuerſali negatiuæ contradicit particularis negatiua, & nulla alia: & contra. Item ſingulari affirmatiuæ, contradicit ſingularis negatiua, & nulla alia; & contra. Nullæ autem ſunt propoſitiones niſi vel vniuerſales, vel particulares, vel ſingulares affirmatiuæ vel negatiuæ, (nam ad has reuocatur omnis Indefinita) quare omni propoſitioni vna contradicit & tantum vna. Deinde nulla eſt propoſitio, quin aduerſus eam diſputari poteſt: at niſi haberet vnam contradictoriam, non poſſet contra eam diſputari: nam *in diſputatione, contradictorium ſemper probandum eſt.*

Lex ſecunda de Contradictorijs. Secunda regula eſt hæc. *Duæ contradictoriæ nunquam poſſunt eſſe vel ſimul veræ, vel ſimul falſæ. ſed vna ſemper eſt vera, & altera falſa*; Hoc expreſſe docet Ariſt. lib. Categ. cap. 10. nu. 21. 25. & 26. & ſæpe alibi: Et ratio huius eſt hæc, quia impoſſibile plane eſt, vt vnum, idemque prædicatum vni, & eidem ſubiecto, ſimul ac eodem tempore & inſit, & non inſit; & hoc etiam Ariſt. clare docet lib. 4. Metap. c. 3. & 4. neque quiſquam eſt tam fatuus, qui non hoc agnoſcat; Atque hoc eſt (vt Ariſt. loco proxime citato ſuſe docet) *Axioma ſeu principium omnium primum, omnium communiſſimum, omnium certiſſimum, omnium natiſſimum, quod impoſſibile eſt quenquam ignorare, qui quidquam cognoſcit.* Imo hoc eſt omnium *Principiorum principium*, & omnium diſciplinarũ *fundamentum*, quod ab ipſis incunabulis ſine vllo præceptore naturâ duce didicimus, &

& ſenſim ſine ſenſu, cum lacte nutricis ſuximus. Quare hæc pro *infallibili regulâ* indubitanter ab omnibus tenẽda eſt, & inuiolabiliter.

De *Subalternis* duæ ſunt etiam regulæ, prior eſt hæc, *Si ſubalternans, ſeu vniuerſalis ſit vera, tum ſubalternata eius ſeu particularis eſt etiam vera.* Nam ſi verum ſit dicere, Omnis homo eſt doctus, multo magis erit verum dicere, quidam homo eſt doctus; & ratio aperta eſt, quia quicquid vere dicitur de vniuerſali, illud de ſingulis particularibus ſub illo contentis (multo magis de vno aliquo eorum) vere dicetur. *Sed non contra, vt ſi particularis ſeu ſubalternata, ſit vera, vera etiam ſit vniuerſalis, aut ſubalternans.* Nam hoc eſt verum, aliquis homo eſt doctus, quod patet, *oſtenſo Socrate* qui *Apollinis Oraculo ſapientiſſimus omnium iudicatus eſt*, vt teſtatur Diog. Laer. in eius vita, & Tert. in Apologet. cap. 46. alique: & tamen hæc illius *ſubalternans* non eſt vera, omnis homo eſt doctus; quod patet *oſtenſo Corœbo*, qui tam indoctus, imo indocilis fuit ac ſtupidus, vt *nunquam diſcere potuerit vltra quinque numerare, & tamen ſtultus mariti ſe numeraturum ſperabat*, vt ex Euſtath. aliiſque narrat Etaſ. in illud Adagium, *ſtultior Corœbo.* Prior lex de Subalternis.

Secunda regula eſt hæc. *Si ſubalternata ſeu particularis ſit falſa, falſa etiam eſt eius ſubalternans, & vniuerſalis.* Nam ſi falſum ſit dicere, vnum aliquem hominem eſſe doctum, multo magis falſum eſt, dicere omnem hominem eſſe doctum. Nam qui hoc poſterius dicit, affirmat & illum vnum, & omnem alium hominem eſſe doctum. *Sed non e contra, vt ſi ſubalternans ſit falſa, ſubalternata eius ſit falſa.* Nam hæc eſt falſa, Omnis homo eſt doctus, vt patet, oſtenſo Corœbo; & tamen hæc eius *ſubalternata* non eſt falſa, quidam homo eſt doctus, vt patet, oſtenſo Socrate. Secunda lex de Subalternis.

De Contrarijs duæ item regulæ ſunt. Prima eſt hæc. *Contrariæ nunquam, neque in vlla materiâ poſſunt eſſe ſimul veræ.* Probatio huius, exercendi ingenij cauſa, eſt diligenter a tyronibus obſeruanda, eſt & ediſcenda; ſea ſic ſe habet. Si hæc ſit vera, *omnis homo eſt doctus*, tum hæc illius ſubalternata erit eodem tempore vera, *quidam homo non eſt doctus* ex prima lege Subalternatum. Pari modo ſi hæc ſit vera, *Nullus homo eſt doctus*, tum hæc illius ſubalternata, erit eodem tempore vera, *quidam homo non eſt doctus*, ex eadem prima lege Subalternarum. Quare ſi hæ duæ *contrariæ*, Omnis homo eſt doctus, & nullus homo eſt doctus, eſſent vnquã ſimul veræ, tum eodem tempore veræ etiam eſſent hæ illarum ſubalternatæ, Aliquis homo eſt doctus, & aliquis homo non eſt doctus. Quod ſi hæ omnes quatuor (quæ faciant quatuor tabellæ ſupra poſitæ angulos) eſſent ſimul veræ, tum ſimul & eodem tẽpore veræ eſſent duæ *contradictoriæ*, quod eſt plane impoſſibile & contra ſecundã regulam de contradictorijs. Non poſſunt igitur duæ contrariæ vnquam eſſe ſimul veræ. Prior lex de Contrarijs.

Secunda regula eſt hæc, *Duæ contrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ.* Secunda lex de Contrarijs.

falsa: possunt inquam in *materia contingenti*, vt hæc est falsa, Omnis homo est doctus, vt patet ostenso Cotæbo; & hæc etiam illius contraria est falsa, Nullus homo est doctus, vt patet ostenso Socrate. In *materia autem necessaria*, duæ contrariæ non possunt vnquam esse simul falsæ, sed *vna semper est vera, altera falsa*, vt hæ semper veræ sunt, Omnis homo est animal, & nullus homo est lapis; & hæ ipsarum contrariæ sunt semper falsæ, Nullus homo est animal, & Omnis homo est lapis. Sed sit non vi *logicæ oppositionis*, vt hæ sint simul falsæ, sed ratione *materiæ*, quia prædicatum necessariò, vel coniungitur Subiecto, vel disiungitur ab eodem.

Prior lex de Subcontrarijs.

Subcontrariarum leges etiam sunt duæ. Prior est hæc, *Subcontrariæ nunquam, vtque in vlla materia possunt esse simul falsæ.* Hoc pari modo probandum est, vt ante in contrarijs. Nam quia duæ subcontrariæ sunt alijs subalternatæ, ideo si illæ duæ essent simul falsæ, certe earum subalternantes simul & eodem tempore essent quoque falsæ, ex secunda lege subalternarum. Quod si omnes quatuor anguli tabellæ supra positæ, essent simul falsi, tum contradictoriæ essent simul falsæ, quod est impossibile, & contra secundam legem de contradictorijs. Quare certum est duas subcontrarias nunquam esse posse simul falsas.

Secunda Regula de Subcontrarijs.

Secunda regula est hæc. *Duæ subcontrariæ possunt esse simul veræ*; possunt inquam in *materia contingenti*. Nam hæc est vera, quidam homo est doctus, vt patet ostenso Socrate; & hæc etiam illius subcontraria est vera, quidam homo non est doctus, vt patet ostenso Cotæbo. In materia autem *necessaria*, veræ simul esse nunquam possunt, sed vna semper est vera, altera falsa: vt hæc semper est vera, aliquis homo est animal: & hæc semper falsa, quidam homo non est animal.

Ac de oppositione propositionum Categoricarum, hæc dicta sunt.

Cap.

Cap. IX.

De Æquipollentia Propoſitionum Categoricarum.

QVarta proprietas propoſitionis Categoricæ eſt *Æquipollentia Categorica*: hoc enim ei proprium eſt, vt *omnis propoſitio categorica habeat aliquam categoricam ipſi æquipollentem*. Quod vt intelligatur tria explicanda ſunt. Primo, *quid ſit* Categorica Æquipollentia: ſecundo, *quot modis fiat* hæc Æquipollentia: tertio, *qua ſint leges ſeu regula* de hac Æquipollentia.

Æquipollentia categorica, eſt Æqui valentia duarum propoſitionum categoricarum, virtute negationis, Non, *vel præpoſita ſigno & ſubiecto, vel poſtpoſita ſigno & ſubiecto, vel præpoſita ſimul & poſtpoſita ſigno & ſubiecto, in quibus eſt idem ſubiectum, & idem prædicatum*: vt, Non omnis homo eſt doctus, & quidam homo eſt doctus. Æquipollentia quid.

Hinc liquet ad omnem logicam Æquipollentiam quatuor requiri. Primo, vt ſint *duæ propoſitiones diverſæ quoad vocem, ſed non ſenſu & ſignificatione*; nam ambæ habent eundem ſenſum & ſignificationem, aliter non poſſent dici æquipollere vna alteri; voce autem differunt, nam vna propoſitio quoad vocem non æquipollet ſibi ipſi, ſed plane eadem eſt omni modo. Secundo vt hæc logica æquipollentia fiat inter iſtas duas propoſitiones, *Virtute Negationis huius Non*. Nam ſi æquiualeant vlla alia ratione, puta ratione terminorum qui idem ſignificant, non eſt iſta *logica, & formalis*, ſed *grammatica, & materialis* æquipollentia, vnde hæc non æquipollent formaliter & logice, Homo eſt albus, homo eſt candidus; nec hæc, Maro eſt homo, Virgilius eſt animal rationale. Tertio vt Negatio iſta Non, *præponatur Copulæ quando facit æquipollentiam*. Nam ſi ſequatur Copulam, non facit logicam & formalem æquipollentiam: vnde hæ non æquipollent apud Logicos, Homo eſt indoctus, & homo eſt non doctus. Quarto vt in vtriſque æquipollentibus propoſitionibus, ſit *idem omnino ſubiectum, & idem prædicatum*, per quam vnam notam, exempla iſta omnia iam adducta, ab æquipollentia logica excluduntur. Nam in nullis eſt idem ſubiectum, & idem prædicatum.

Quod ad ſecundum attinet, Æquipollentia Categorica fit tribus modis, propter diverſam collocationem Negationis huius Non. *Æquipollentia fit tribus modis*

Nam

Nam hæc negatio vel *præponitur ſigno & ſubiecto*, & tum facit duas *contradictorias* æquipollere; vt, Non omnis homo eſt doctus, æquipollet huic, Quidam homo non eſt doctus: vel *poſtponitur ſigno & ſubiecto*, & tum facit duas *contrarias* æquipollere, vt, Omnis homo non eſt doctus, æquipollet huic, Nullus homo eſt doctus: vel *præponitur & poſtponitur* ſigno & ſubiecto, & tum facit duas *ſubalternas* æquipollere, vt, Non omnis homo non eſt doctus, æquipollet huic, quidam homo eſt doctus.

Hi tres modi vulgari hoc verſiculo, ita exprimuntur.

Præ, Contradict. *Poſt*, Contrar. *Præ poſtque* Subalter. Quæ æquipollentiæ clarius adhuc alijs verſibus declarantur, qui ſi memoria teneantur, in æquipollentia nunquam errabis.

Non omnis: quidam non: omnis non, quaſi nullus.
Non nullus, quidam: ſed nullus non, valet omnis:
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis:
Non alter, neuter: neuter non, præſtat, vterque:

Dub. Dices, Negatio eſt nota qualitatis, at nota qualitatis, quantitatem date non poteſt, ergo negatio præpoſita aut poſtpoſita non poteſt mutare quantitatem propoſitionis; mutaret autem quantitatem, ſi propoſitionem faceret particularem ex vniverſali, aut contra. Præterea effectus negationis eſt tantum negare: quare affirmationem propoſitioni date non poteſt; daret autem, ſi ex negativa faceret affirmativam; quare negatio præfixa propoſitioni negativæ non facit eam affirmativam, aut æquipollentem affirmativæ.

Sol. Reſpondeo, Negationem ex ſe tantum negare illud quod ſequitur, ſed ex accidente, aut ex conſequenti affirmationem, facit in propoſitione. Nam quia negat ipſum negationem ſequentem, vt hic, non nullus homo eſt doctus, ex conſequenti ponit in ea affirmationem, & facit vt ſit affirmativa. Similiter ex accidente ſeu ex conſequenti dat novam quantitatem propoſitioni. Nam cum negat vlli propoſitioni quantitatem illam quam prius habuit, facit ex conſequenti vt habeat aliam quantitatem: vnde cum negat huic propoſitioni, omnis homo eſt doctus, quantitatem vniverſalem, ponit in ea ex conſequenti quantitatem particularem: & cum negat huic propoſitioni, quidam homo non eſt doctus, quantitatem particularem, ponit in ea ex conſequenti quantitatem vniverſalem. Ex ſeſe ergo, Negatio tantummodo negat, & notat qualitatem, ſed ex accidente, aut conſequenter, & dat novam quantitatem, & dat etiam affirmationem.

Quomodo negatio mutat Quantitatem aut Qualitatem.

Vel ſic reſponderi poteſt. Negatio iſta *Non*, dat ſolummodo qualitatem

qualitatem propoſitioni, *quando, & quatenus extenti ſuam vim negativam in copulam*: dat autem quantitatem propoſitioni, *quando & quatenus extenti ſuam vim negativam in ſignum quantitatis vel vniverſale vel particulare*: Mutat vero qualitatem & facit ex negativa, affirmativam, *quando & quatenus extenti ſuam vim negandi in Negationem* ſequentem.

Hoc tamen meminiſſe, Negationem iſtam *præfixam ſubiecto*, mutare quantitatem in propoſitionibus vniverſalibus & particularibus: *in Singularibus vero nunquam mutat quantitatem, ſed ſolummodo qualitatem*. Præfixa enim propoſitioni ſingulari, vt hic, Non Coræbus eſt doctus, facit eam æquipollere huic ſingulari, Coræbus non eſt doctus. Nam in iſtis etiam hæc regula tenet, *Præ, Contradicit*: ſed non mutat illic quantitatem, nam propoſitiones ambæ manent ſingulares. Obſerva etiam, quod Singularis propoſitio per negationem, *Non*, fieri poteſt æquipollere nulli propoſitioni, niſi ſolum alteri ſingulari, & ſuæ contradictoriæ: & quoties *Non*, ſingulari ſubiecto ſic præponitur (vt in hoc exemplo, *Non Corabus eſt doctus*) vox illa (*Non*) eſt ſolum *negans*, non *infinitans*, neque facit hic terminum ſingularem *infinitum*, ſed facit ſolum vt prædicatum negetur de illo termino finito; ac ſi ita dicas, *Non eſt hæc verum, Corabus eſt doctus*; Et ratio huius non eſt illa quam dat Zabar. in Tab. in lib. de Interp. pa. 31. quemque ſequitur Kecker. lib. 2 ſuæ Log. ca. 2. *Quia ſingulari ſubiecto terminus infinitans addi non poteſt, nec tale ſubiectum infinitari poteſt*. Nam certum eſt, ex ſingulari termino *finito*, vt ex *Socrate*, per *Non infinitans*, præfixum, vere fieri terminum *infinitum*, vt *non Socrates*: quod notat omnia alia præter Socratem; ſed ratio illius eſt, quia ſi *Non* præfixa Coræbo, faceret terminum infinitum in hac propoſitione, *non Corabus eſt doctus*, tum hæc non poſſet æquipollere huic, *Corabus non eſt doctus*, quia non eſt in vtriſque idem ſubiectum, quippe *Non*, quando eſt *Infinitans* eſt pars ſubiecti, debuit ergo eſſe in vtraque propoſitione vnum idemque: & *Corabus*, notat illum vnum ſingularem ſtultum, ac ſtupidum hominem; *Non Corabus* autem (quando *Non* eſt infinitans) notat Socratem, Platonem, & omnes vel ſapientiſſimos, imo omnis entis præter Coræbum. Quoniam igitur per Regulam *Præ, contradicit*. iſtæ duæ, *non Corabus eſt doctus*, & *Corabus non eſt doctus*, ſunt vere æquipollentes: ideo certum eſt, quod *Non* in poſteriori propoſitione, vbi præponitur ſubiecto ſingulari, eſt ſolum vox *negans*, non autem *Infinitans*.

Æquipollentia in Singularibus.

Non *præfixum terminos ſingulari eſt negans, non Infinitans.*

Si obijcias, duas contradictorias propoſitiones pugnare & *quantitate, & qualitate*, ergo non poſſe fieri æquipollentes. Soluitur eſt facilis: Contradictoriæ dum manent contradictoriæ, pugnant, quantitate, & qualitate, nec vnquam dum tales manent, æquipollere poſſunt; ſed per negationem alteri earum præfixam, fit vt ceſſet atque tollatur illa quæ prius fuerat contradictio, & virtute negationis,

Dub.

Sol.

onis, ſiunt æquipollentes, & eiuſdem plane tam quantitatis, quam qualitatis.

Dub. Dubium maius occurrit de Contrarijs. Dicat aliquis, *Omne animal eſt rationale*: Opponens ita ſolet contravenire, *Omne animal non eſt rationale*. At qui legitime opponit, ſumit contradictorium; quare hæc, omne animal non eſt rationale, eſt contradictoria huic, Omne animal eſt rationale; & ideo æquipollet huic, *Aliquod animal non eſt rationale*. At per regulam, *Poſſ contrar.* æquipollere debet huic, *Nullum animal eſt rationale*. Præterea quis non concedat & facile credat, eum ſolide probaſſe, *Omne animal non eſt rationale*, qui probat vel vnum aliquod animal, puta *equum*, non eſſe rationale? Nam ſi equus non ſit rationalis, certe videtur conſequi, quod omne animal non eſt rationale. Quod ſi hæc propoſitio, *Omne animal non eſt rationale* æquipolleret huic, *Nullum animal eſt rationale*, (vt ſecundùm regulam, *Poſſ contrar.* deberet) profectò ineptiſſima eſſet prior probatio: Eſt enim ac ſi quis ita arguat, Equus non eſt rationalis, ergo nullum animal eſt rationale.

Sol. Reſpondeo, modum iſtum, tam opponendi quam probandi, frequentem eſſe, & pro legitima fere ab omnibus admitti. Sed certe id fit, conniuentiâ quadam aut inſcitiâ diſputantium, non vlla iuſta ratione. Accipiunt enim hanc propoſitionem, *Omne animal non eſt rationale*, & ſimiles pro hac, *Non omne animal eſt rationale*, & pro ſimilibus. Inter has vero magna eſt & lata differentia; cum prior ſit revera *vniverſalis negativa*, æquipollens huic, Nullum animal eſt rationale: poſterior *particularis negativa*, æquipollens huic, quoddam animal non eſt rationale. Quare ſi quis legitime in diſputando velit oppugnare hanc propoſitionem, *Omne animal eſt rationale*, non debet accipere hanc, *Omne animal non eſt rationale*, quæ eſt priori contraria, ſed iſtam, *Non omne animal eſt rationale*, quæ eſt priori contradictoria. Deinde certum eſt, infirmam & minime conſequentem probationem eſſe hanc, *Equus non eſt rationalis, ergo omne animal non eſt rationale*, ſicut hæc eſt infirma & inconſequens, *Equus non eſt rationalis, ergo nullum animal eſt rationale*. Manauit autem vt ego conijcio error iſte hinc, quod multi non ſatis aduertunt vim huius propoſitionis, *Omne animal non eſt rationale*, ac ſimilium. Accipiunt enim illi ſignum *Omne*, collectiue, quaſi hic eſſet illius ſenſus, *Omnia animalia ſimul ſumpta non ſunt rationalia*, atque hoc ſolide probatur, ſi vel vnum animal, puta equus, non ſit rationalis. At revera ſignum illud *Omne*, non eſt ibi accipiendum *collectiue*, ſed *diſtributiue*, ita vt diſtribui debeat prædicatum in omnia quæ ſubiecto ſubſunt, vt ſic dicas. De hoc animali dici poteſt, non eſt rationale, itemque de illo, iſto, & ſic de ſingulis; qui autem hoc modo diſtribuit, ille idem plane dicit, ac ſi diceret, *Nullum animal eſt rationale*: ex quo liquidum eſt, hanc, *Omne animal non*

eſt

eſt rationale, æquipollentem eſſe huic *Nullum animal eſt rationale*, & ita neque oppoſitio illa, neque probatio, pro legitima admittenda eſt.

Prior lex de Æquipollentia.

Sequuntur leges ſeu regulæ de Æquipollentia: quæ duæ ſunt. Prior eſt hæc. *Propoſitiones æquipollentes ſunt ambæ, eiuſdem quantitatis, eiuſdem qualitatis, eiuſdem veritatis & falſitatis, eiuſdem neceſſitatis, & contingentiæ.* Patet hoc ex ipſa definitione Æquipollentiæ: Nam aliter non æquivalerent, neque eſſent eiuſdem ſenſus & ſignificationis.

Secunda lex de Æquipollentia.

Secunda eſt hæc. *Cuicunque propoſitioni una earum quæ æquipollent, contradicit, contrariatur, aut eſt ſubalterna vel ſubcontraria, eidem etiam altera ei æquipollens contradicit, contrariatur, & eſt vel ſubalterna, vel ſubcontraria: item, in quamcunque una convertitur, in eandem ſua æquipollens converti poteſt ac debet.* Sequuntur ex priori, quia ambæ æquipollentes ſunt eiuſdem quantitatis & qualitatis; Quare huic, Nullus homo non eſt doctus, contradicit hæc, aliquis homo non eſt doctus; contrariatur hæc, nullus homo eſt doctus, ſubalterna eſt hæc, aliquis homo eſt doctus.

Atque hæc de Æquipollentia.

Cap. X.

De Converſione Propoſitionum Categoricarum.

QVinta proprietas Categoricæ propoſitionis eſt *Converſio*. Nam hoc ei proprium eſt, quod *Omnis propoſitio Categorica in aliam recte & legitime converti poteſt*. Quod vt intelligatur, tria explicanda ſunt. Primo, *quid ſit Converſio*. Secundo, *quotuplex ſit*. Tertio, *quæ leges in bona & legitima Converſione ſint obſervanda*.

Converſio prædicati in ſubiectum, quid.

Converſio eſt talis ſanque apta tranſmutatio, vnius propoſitionis in aliam, vt ex priori qua convertitur, neceſſario conſequatur: in qua tranſmutatur, totum ſubiectum prioris propoſitionis, mutatur in totum prædicatum poſterioris, & contra, manente ſemper eadem qualitate, ſed mutata aliquando quantitate: vt, Omnis homo eſt animal, ergo quoddam animal eſt homo. Sunt igitur in omni Converſione duæ propoſitiones, quarum prior dicitur *Converſa*, quia vere in alium convertitur; poſterior dicitur *Converſio*, quia in eam prior convertitur, & poſterior ex priori neceſſario ſemper conſequitur. Nam

hæc est nota & indicium legitimæ conversionis, *quod conversum ex conversa necessario sequatur*. Quod quoties non fit, Conversio forte dici potest, sed nunquam *legitima*, ideoque reijcienda, & respuenda.

Conversio Simplex, quid.

Conversio est duplex, *Simplex*, & *Per accidens*. Conversio *simplex* est, *mera & nuda transmutatio terminorum, prædicati scilicet in locum subiecti, & contra, manente eadem quantitate, & qualitate; in qua si legitima sit Conversio, conversum ex conversa necessario sequitur, & inferri potest*, vt hic, Nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo. Hæc vero conversio est, sed illegitima, & respuenda, Omnis homo est animal, ergo omne animal est homo, quia *Conversum ex conversa* non sequitur. Dicitur autem conuersio simplex, quia est vnica solum & simplex mutatio terminorum, quantitate & qualitate non mutatis.

Conversio per Accidens, quid.

Conversio per accidens est, *mutatio subiecti totius in locum totius prædicati, manente eadem qualitate, sed mutata quantitate; in qua si legitima sit Conversio ex conversa necessario sequitur conversum*, vt hic, Omnis homo est animal, ergo quoddam animal est homo. Dicitur conversio per accidens; quia per eam propositio non conuertitur secundum se totam, id est, non *secundum omnia quæ prædicato in Conversa subijciuntur*, sed solum secundum partem aliquam, aut secundum aliqua quæ dicto prædicato subijciuntur.

De conversione per contrapositionem.

Nec plura sunt Conversionis genera hoc loco tractanda. Quod si quæras, quare hic omittatur a nobis *Conversio per contrapositionem*, cuius est apud interpretes frequens mentio. Respondeo, Conversiones solummodo illas hoc loco tractandas esse, quæ inserviunt syllogismo, & illius reductioni. Iam duæ istæ Conversiones a nobis explicatæ, huic vsui accommodatæ sunt. Illa autem quam vocant *Conversionem per Contrapositionem*, non omnino inservit, neque vllius vsus est in reductione syllogismorum. Cuius ratio est manifesta, quia in ista Conversione, termini propositionis mutantur, quod in Syllogismi reductione admitti nunquam debet. Imo si rem quis recte perspiciat, videbit Conversionem istam quam *per Contrapositionem* vocant, vere Conversionem non esse. Nam in omni vera conversione debent esse iidem plane termini, at in illa conversione *per Contrapositionem*, sunt alii termini in Conuertente, quam fuerant in Conuersa. Nam in illa termini semper sunt *finiti*, in hac vero sunt semper *infiniti*, vt hic, Omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo. Hinc Arist. lib. 2. prior, cp. 1. nu. 2. diserte ait, *particularem negativam non posse Converti*, non inquam vlla conversione, quæ syllogismo inservit; & tamen per *contrapositionem Converti potest*.

Ne autem ignores quid sibi velint interpretes, cum de conversione per *Contrapositionem* loquuntur, eam quoque conversionem hic definiam.

Con-

Conuersio per contrapositionem, *est mutatio subitili in locum praedicati, & contra, manente quidem eadem quantitate, & qualitate, sed mutatis terminis qui in Conuersa finiti erant, in infinitos terminos, tales esse debent in Conuertente, in qua conuersione si legitima sit, ex conuersa, conuertens necessario sequitur:* vt, omne animal est viuens, ergo omne non viuens est non animal. *Conuersio per contrapositionem, quid.*

Termini tum dicuntur *finiti*, cum rem vnam, certam, & finitam notant, quibusque negatio haec (*Non*) minime praeponitur; vt homo, animal, viuens. Dicuntur termini *Infiniti*, quando rebus omnibus, vno excepto conueniunt, seu quando termino finito praeponitur Infinitans haec negatio (*Non*) vt, *non homo*, non *animal*, *non viuens*. *Termini finiti & infiniti.*

Regulae Conuersionis sunt quatuor. Prima est haec, *In omni legitima conuersione, si conuersa sit vera, etiam conuertens vera erit.* Ratio est, quia a Conuersa ad Conuertentem, ratio necessario sequitur. *Prima Regula conuersionis.*

Secunda est haec, *Nulla propositio simpliciter legitime conuerti potest, nisi vniuersalis negativa, in vniuersalem negativam; & particularis affirmativa in particularem affirmativam:* vt, Nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo. Quidam homo est doctus, ergo quoddam doctum est homo. *Secund Regula conuersionis.*

Tertia est haec, *Nulla propositio legitime per conuersionem, per accidens conuerti potest, nisi vniuersalis negativa in particularem negativam; & vniuersalis affirmativa in particularem affirmativam:* vt, Omnis homo est viuens, ergo aliquod viuens est homo. Nullus homo est lapis, ergo quidam lapis non est homo. *Tertia Regula conuersionis.*

Quarta est haec, *Nulla propositio legitime per conuersionem, per contrapositionem, conuerti potest, nisi vniuersalis affirmativa, in vniuersalem affirmativam, & particularis negativa in particularem negativam:* vt, omnis homo est viuens, ergo omne non viuens est non homo: quidam homo non est doctus, ergo quoddam non doctum non est non homo. *Quarta Regula conuersionis.*

Hi tres modi legitimae Conuersionis hoc versiculo exprimuntur. Ecce, Tibi, Simp, Armi, Geros, Ac, Armi, Bono, Con. In quo obserua. Primo, tres modos cõuersionis, easq; notari per *Simp.* & *Acci.* & *Con.* Secundo, vnicuique Conuersioni duas voces accommodari; & in singulis vocibus, duas esse syllabas: quarum prior in quaque voce notat propositionem *conuersam*, seu eam quae tali conuersione converti legitime potest: posterior syllaba notat *conuertentem* seu propositionem illam, in quam prior legitime converti potest, & debet per istum modum conuersionis. Cuique etiam syllabae, ineſt vna ex his vocalibus A. E. I. O. quarum A notat vniuersalem affirmetiuam; E vniuersalem negativam; I, particularem affirmativam; O particularem negativam, iuxta hos versiculos:

Asserit A, negat E, sed vniuersaliter ambæ:
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

Hinc clare liquet, nullam propositionem conuerti legitime per simplicem Conuersionem, nisi E, in E, & I, in I, iuxta voces *Ecce*, & *Tibi* nullum per accidens legitime conuerti posse, nisi A, in I, & E in O, iuxta duas alias voces *Armi*, & *Gens*: nullam per Contrapositionem conuerti posse, nisi A, in A, & O, in O, iuxta duas alias voces *Arma*, *Bono*.

Dub. Hæc est conuersio legitima. Omnis homo est rationalis, ergo omne rationale est Homo. At hic vniuersalis affirmatiua conuertitur simpliciter in vniuersalem affirmatiuam contra secundam regulam. *Sol.* Respondeo, istam non esse legitimam conuersionem: nam etsi consequentia hic sit bona ratione *materiæ*, quoniam duo isti termini, *homo*, & *rationale*, conuertuntur inter se, & æque late patent; non tamen est bona ratione *formæ* conuertendi. Nam tum semper valeret talis Conuersio, & consequentia ab vniuersali affirmatiua ad vniuersalem affirmatiuam. At sæpissime non valet talis conuersio, vt hic, Omnis homo est animal, ergo omne animal est homo. Si autem vnquam in conuersione, consequentia non valeat, certe modus talis conuertendi non est legitimus.

Dub. Hæc est legitima conuersio, Hic homo est doctus, ergo aliquid doctum est hic homo, & hæc, Socrates est probus, ergo aliquis probus est Socrates, & tamen istæ conuersiones non fiunt per vllum modum a nobis positum. Nam Conuersa in his est propositio singularis, de illius autem conuersione nihil dictum est. Quod si dicas has esse simplices Conuersiones, id non videtur verum, quia in simplici Conuersione semper retinetur eadem quantitas in Conuertente quæ fuerat in Conuersa, per voces *Ecce*, & *Tibi*; at in his *Sol.* mutatur quantitas, singularis nempe, in particularem. Respondeo, has & similes Conuersiones Singularium propositionum esse legitimas simplices conuersiones. Nam propositio Singularis, in Conuersione, eandem omnino rationem habet quam particularis. Et licet quantitas in singulari & particulari non sit eadem quoad *modum enunciandi*, est tamen eadem quoad *modum Conuertendi*. Tales ergo Conuersiones sub voce illa *Tibi* comprehenduntur.

Quinta lex conuersionis. Quinta lex est hæc, *In omni Conuersione diligenter videndum est, vt totum subiectum Conuersæ mutetur in totum prædicatum in Conuertente, & Contra: sine vlla vel casus, vel personæ, vel temporis variatione*: vnde hæc non est legitima Conuersio, Aliquis homo edit cibum, ergo aliquis cibus edit hominem. Nam subiectum in *Conuersa* est *homo* in Conuertente verò mutatur in *hominem*, imo in *eadem hominem*: similiter prædicatum in Conuersa, est, *edens cibum*; at in

Conuertē-

Conuertente mutatur in, *Cibus*: sic ergo conuerti debet, ergo aliquid edens cibum est homo. Itidem hæc propositio, quidam homo est in domo, non conuertitur legitime in hanc, ergo quædam domus est in homine, sed in hanc, quiddam existens in domo est homo. Pari modo non valet hæc conuersio, quidam senex fuit puer, ergo quidam puer fuit senex. Nam verbum illud præteriti temporis *Fuit*, non est copula in Conuersa, sed pars prædicati. Sic enim resoluenda est illa propositio, *quidam senex est ens quod fuit puer*: & tum Conuersio est facilis, ergo quoddam ens, quod fuit puer, est senex. Hoc nisi stricte obseruetur, nulla vnquam Conuersio legitima fiet. Sed de Conuersione hæc satis multa.

CAP. XI.

De Propositione Categorica Modali.

NOn sum nescius *Modales* has negotium Logicis facessere, & vere illorum Crucem esse. Sudarunt hic scilicet, & se miserum in modum torserunt, tot in his spinas esse opinantes, vt in prouerbium iamdiu abierit, *de Modalibus non gustabit Asinus*. Inter omnes miseret me profectò Pet. Fonsecæ, qui totis quinque prolixis Capitibus de Modalibus agens, implicat se misere hisce spinis, nec tamen rem ipsam vllo modo explicat, sed velut alter Sisiphus, *versat saxum sudans nitendo, neque proficit hilum*: & propemodum facit, vt lector intelligendo, nihil quidquam intelligat. Mihi, fateor, res hæc non adeo aspera ac spinosa videtur. Eamque in Tyronum gratiam sic claram ac perspicuam reddam, vt fateantur ingenue Modales has, vere *Mineruam* esse, quod alij instar Medusæ capitis horruerunt, quæque opinor illos in lapides iuxta poetarum fabulas transformarunt. Nouus ego hic Perseus horribile illud, & Gorgonicum Caput, Palladis ope (sic plane confido) amputabo, sic vt quiuis deinceps sine vlla trepidatione, non modo libenter attrectare Modales has, sed easdem deamare velit ac deosculari.

Modales obscuritatis plena putantur.

De illis tria explicanda sunt. Primo *quid sit modalis propositio*. Secundo, *quot sint Modi quibus propositio modificari soleat*. Tertio, *an Modalis propositio sit distincta specie a pura & simplici*.

Modalis propositio Categorica est, per quam prædicatum aliquod significatur, non solum inesse aut non inesse subiecto, sed modus præterea exprimitur, quo inest vel non inest illi subiecto, vt, Necesse est hominem esse animal. Hic enim non solum significatur, quod animal insit homini, sed quod insit *necessario*, deque homine *necessario* prædicetur.

Modalis propositio, quid.

tur. Sic Contingens est hominem esse doctum, notat doctrinam inesse homini, & inesse *Contingenter*.

In omni Modali Dictum, & Modus dicti.

Ex hoc liquet in omni Modali propositione duo obseruanda esse. *Dictum*, & *Modum dicti*. *Dictum* vocatur illud, quod per puram Categoricam, sublato modo, dicitur, vt hominem esse animal, hominem non esse lapidem. *Modus* est conditio dicto addita, per quam exprimitur quomodo prædicatum in Dicto, subiecto illi insit vel non insit: vt necesse est hominem esse viuens. Contingens est hominem esse sanum.

Quot Modi sunt in propositionibus Modalibus.

Quod ad secundum attinet. *Modi* quamplurimi sunt, qui propositionibus addi possunt, easque modificare; vt, pium est obedire parentibus, pulchrum & decorum est pro patria mori. *Vtile* est benevolentiam aliorum conciliare, *certum* est hominem esse risibilem: *incertum* est hominem currere; *verum* est, animal esse sensibile: *per se* homo est animal; *per accidens* fossor inuenit thesaurum: & infinita huius generis. Sed Arist. diligentissime hæc perpendens, quatuor solum modos recenset, vel quia isti quatuor maxime omnium in vsu sunt, vel quia alii ad vnum horum reduci possunt, vel quia *Modus* quo prædicatum subiecto insit, per hos præcipue declaratur. Hi sunt, *Necessarium*, *Contingens*, *possibile*, & *impossibile*. *Necessarium* est illud, *quod iam est, & aliter esse non potest*, Vt hominem esse animal. *Contingens*, est illud, *quod iam est & potest non esse*, vt hominem scribere. *Impossibile* est, *quod nec iam est, nec esse potest*, vt hominem esse lapidem. *Possibile*, quod *iam non est, sed tamen potest esse*, vt aquam esse calidam. Ex his oriuntur quatuor diuersi ordines Modalium propositionum.

Necessarium quid.
Contingens quid.
Impossibile quid.
Possibile quid.

Primus Ordo Modalium.

Primus ordo vocatur *Necesse est esse* & quæ ei æquipollent aut inde consequuntur: Per hunc prædicatum in Dicto notatur subiecto illi *necessario* inesse, ideoque *vniuersaliter* de eo affirmari. Hic ordo sic exprimitur.

Necesse est esse, vt hoc, hominem esse animal, necesse est.
Cui æquipollent ista, ex eo que consequuntur.
Impossibile est non esse, vt hoc, hominem non esse animal, est impossibile.
Non possibile est non esse, vt hoc, hominem non esse animal, non est possibile.
Non contingens est non esse, vt hoc, hominem non esse animal, non est Contingens.

Secundus Ordo Modalium.

Secundus ordo vocatur *Contingens est esse*, & quæ ei æquipollent, quo significatur prædicatum in Dicto conuenire subiecto illi *contingenter*, ideoque non nisi *particulariter* de eo prædicari. Is sic se habet.

Contingens est esse, vt hoc, hominẽ esse doctum est contingens.
Cui æquipollent ista, exque eo consequuntur.

Possibile

Possibile est esse, vt hoc, hominem esse doctum, est possibile.
Non impossibile est esse, vt hoc, hominem non esse doctum, non est impossibile.
Non necesse est esse, vt hoc, hominē non esse doctum, non est necesse.

Tertius ordo vocatur *Impossibile est esse*, & quæ ei æquipollent: quo significatur, prædicatum in Dicto, nec iam conuenire illi subiecto, nec posse vnquam conuenire, ideoque notat prædicatum in Dicto negari *vniuersaliter* de illo subiecto. Is sic se habet. *Tertius ordo Modalium.*

Impossibile est esse, vt hoc, hominem esse lapidem est impossibile: Cui æquipollent ista, exque eo consequuntur.
Non possibile est esse, vt hoc, hominem esse lapidem non est possibile.
Non contingens est esse, vt hoc, hominem esse lapidem, non est contingens.
Necesse est non esse, vt hoc, hominem esse lapidem Necesse est non esse.

Quartus ordo vocatur *Possibile est non esse*, & quæ huic æquipollent aut inde consequuntur: quo significatur prædicatum in Dicto, posse non conuenire illi subiecto, aut posse eidem non inesse, ideoque notat *particularem negatiuam*. Is sic se habet. *Quartus ordo Modalium.*

Possibile est non esse, vt hoc, hominem non esse doctum est possibile: Cui æquipollent hæc, ex eoque consequuntur.
Contingens est non esse, vt hoc, hominem non esse doctum est Contingens non esse.
Non impossibile est esse, vt hoc, hominem non esse doctum non impossibile est esse.
Non necesse est esse, vt hoc, hominem non esse doctum non necesse est esse.

Quid sit Modalis propositio, & quot eius Modi vel ordines diximus: nunc videndum an sit distincta species propositionis a *Categorica pura*. Quamuis autem videantur Modales esse alterius generis, tamen si rem penitus introspicias, videbis reuera eas non differre *essentia ac natura*, sed solum *accidente*, a puris Categoricis. Etenim in Modalibus est solum vnum prædicatum, & illud semper est *Modus*; est etiam vnum solum subiectum, & illud semper est *totum Dictum*, & est vna solum copula, qua Modus cum dicto connectitur. Quare si velis clare ac dilucide conspicere veram formam & faciem Modalis propositionis, pones semper *totum dictum* pro subiecto, & *totum Modum* pro prædicato in hunc modum. Hoc, videlicet, hominem esse animal, est necesse; & hoc, videlicet, hominem esse doctum, est Contingens, & ita in reliquis omnibus. Si vero obscurior modus occurrat, licebit, & præstabit aliquam ex eis, quæ ei æquipollent, in superioribus tabellis, illius loco accipere. *Modalis propositio non est Species distincta a simplici.*

Modalis natura eadē cum pura.

Hinc tria iam consequuntur, primum est, *quod omnis propositio Modalis est eiusdem plane naturæ cum ea pura ac simplici Categorica, quam hactenus tractauimus.* Conueniunt enim in definitione essentiali, neque aliter differunt, nisi quod in *Modali* semper *Modus*, in simplici modus nunquam est prædicatum, tunc enim non esset semplex, sed modificata. Secundum est, *quod omnis propositio Modalis est quoad quantitatem reuera singularis.* In omni eam Modali, pronomen demonstratiuum *Hoc*, aut alia similis *singularis nota*, subiecto præponitur vel *actu, & explicite*, vel *intellectu & implicite.* Nam cum dico, Necesse est hominem esse animal; est ac si dicerem, hoc viz. hominem esse animal est necesse; vel sic, Hæc propositio, Homo est animal, est necessaria, vel in materia necessaria. Tertium est hoc, *Propositio Modalis habet omnes easdem proprietates quas supra Categoricam puram habere diximus.* Primo, *qualitatem*; nam aliæ sunt affirmatiuæ, vt hominem esse animal est necesse; aliæ negatiuæ vt hominem esse lapidem non est possibile. Secundo, *quantitatem*, nam omnes sunt singulares. Tertio, *Oppositionem*, vt huic, hominem esse animal est necesse, contradictoria est hæc, hominem esse animal non est necesse. Quarto *Æquipollentiam*, vt huic, hominem esse doctum non est necesse, æquipollet hæc, Non hoc, videlicet hominem esse doctum est necesse, iuxta regulam *Præ: contradict.* Quinto, *conversionem*, vt hæc, hominem esse doctum est contingens, convertitur in hanc, ergo aliquod contingens est hoc, Hominem esse doctum, per *Tibi.* Quare tantum abest vt Modalis propositio pro distincta specie a Categorica pura censeatur, vt mihi potius videatur Modificatio ista Categorica nihil aliud esse quam *proprietas alia* (Tu si vis sextam voca) *Categoricæ propositionis.* Nam *hoc omni Categoricæ propositioni conuenit, vt categorice modificari possit, aut vt modum recipiendo fiat categorica Modalis.* Sed de Modali hæc satis multa.

Omnis propositio Modalis est singularis.

Modalis habet omnes proprietates, quas pura habet,

CAP. XII.

De Propositione Hypothetica.

DIximus hactenus de propositione *categorica*, quæ est prima species Propositionis. Sequitur nunc altera illius species, quæ est *Hypothetica*: de qua tria declaranda sunt. Primo, *quid sit*: secundo, *quotuplex sit*, seu quot illius species. Tertio, *quæ illius proprietates.*

Hy-

Hypothetica propositio, est propositio, constans ex duabus aut pluribus propositionibus Categoricis, per aliquam coniunctionem, conditionalem, copulativam, aut disiunctivam connexis: vt, Si homo est animal, est viuens. Non est & dies & nox: vel est dies vel nox. Fateor equidem Speciem hanc propositionis multo rectius, atque commodius potuisse vocari *Coniunctam propositionem*, potius quam Hypotheticam: nam & Arist. hic eam vocat lib. de Interp. ca. 5. nu. 5. & vox *Hypothetica*, Conditionalem propositionem (quæ est solum vna species Hypotheticæ) potius notat, quam *Coniunctam propositionem*, quæ est Genus illarum omnium. Quare autem factum sit vt pro *Coniuncta*, Hypotheticam diuerint, equidem non satis intelligo. Sed quoniam vius obtinuit, vt *Hypothetica* vocetur, sic eam cum vulgo dicamus. Certe enim *tenacissimum est consuetudini & vsui*, quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi. Vtamur igitur vocibus minus aptis, magis tamen apertis; & licet minus commodis, tamen magis cognitis; & cum Augustino, si vius postulet, *O fumd* barbare dicamus pro o, & *floriet*, *t*, pro florebit; *malo me Grammatici reprehendant, quam populus*, quam auditores, & discipuli mei, *me non intelligant*; aut quoniam in Logicis versamur, iuxta prudens illud Arist. *monitum non cogamus homines dextra id facere, quod sinistra, velle facere dicuntur*. Hypotheticam itaque, vt vulgus vocat, & nos libenter vocabimus. eius *Materia* sunt duæ Categoricæ propositiones. *Forma* autem est ipsa Connectio quæ duas Categoricas connectit, *quæque est Copula semper in Hypothetica*, vt verbum illud *Est*, in Categorica.

Hypothetica propositio, quid.

An Hypothetica vocanda sit.

d *Aug. lib. 3. de doct. Christ. ca. 3.*

e *ibid. lib. 2. ca. 13.*

f *Citat ex Arist. con. Lagus. in Method Iuris part. 1. ca. 5. nu. 2. & sumptum videtur ex lib. 2. Poster. Arist. ca. 6.*

Hypothetica propositio est triplex, *conditionalis, copulativa*, & *disiunctiva*.

Conditionalis propositio, est propositio hypothetica in qua duæ Categoricæ, per coniunctionem aliquam conditionalem connectuntur: vt, Si dies est, sol lucet. Atque huc refertur propositio *causalis*, qualis est hæc, quia sol lucet dies est: nam in illa, virtute inclusitur connectio conditionalis.

Conditionalis, quid.

Copulativa propositio est propositio hypothetica, in qua duæ aut plures categoricæ per coniunctionem aliquam copulativam connectuntur, vt Homo est animal, & est rationalis.

Copulativa, quid.

Disiunctiva propositio, est Hypothetica propositio in qua duæ aut plures Categoricæ, per coniunctionem disiunctivam connectuntur, vt, homo vel est animal, vel planta.

Disiunctiva, quid.

Quid sit & quotuplex propositio hypothetica diximus. Sequuntur nunc illius proprietates, quæ sunt quinque, similes fere illis quas in Categorica tractauimus, sed non in omnibus eædem. Prima est, *qualitas*: secunda est *quantitas*: tertia est *Oppositio*: quarta est, *æquipollentia*. quinta est *Conuersio*, de quibus ordine sed paucis.

Qualitas in Hypotheticis.

Qualitas in hypotheticis, ſicut in Categoricis tria reſpicit. Primum eſt, *Hypothetica affirmatio, aut negatio*: ſecundum eſt, *Hypothetica veritas aut falſitas*. Tertium eſt, *Hypothetica neceſſitas vel Contingentia*. Vnde tres regulæ de qualitate eius oriuntur.

Prima regula de qualitate. Hypothetica affirmativa & negativa, quid.

Prima eſt hæc; *Omnis hypothetica propoſitio hypothetice aliquid vel affirmat, vel negat, ideoque eſt vel affirmativa hypothetice; vel Negativa.* Hypothetica affirmativa eſt, *quando nulla negatio præponitur copulæ hypotheticæ, id eſt, coniunctioni conditionali copulativæ, aut diſiunctivæ, ſic vt in tam ſuas vires excrcat*, vt, ſi homo eſt animal, eſt viuens. Socrates vel eſt doctus vel indoctus. Hypothetica negativa eſt, *quando negatio vel actu, & expreſſe, vel virtute & implicite hypotheticæ copulæ, id eſt, coniunctioni ſic præponitur, vt vires ſuas in tam exercat*, vt Non ſi homo eſt animal, eſt doctus. Socrates non eſt vel lapis vel leo.

Secunda regula de qualitate.

Secunda regula eſt hæc, *Omnis hypothetica propoſitio hypothetice, id eſt, cum coniunctione aliqua conditionali, copulativa, aut diſiunctiva, ſignificat vel verum, vel falſum, ideoque eſt vel vera, vel falſa.* Pro diuerſitate autem propoſitionum hypotheticarum, diuerſo modo ſunt vel veræ, vel falſæ.

Conditionalis quando vera.

Conditionalis propoſitio *eſt vera, quando ex antecedente vere ſequitur conſequens, ſic vt conceſſo antecedente neceſſe ſit concedere conſequens*: vt ſi homo eſt animal, eſt viuens. Si homo ſit lapis, non eſt animal. Obſerua enim, quod ad veritatem conditionalis propoſitionis, non requiritur vt alterutra illius pars vera ſit, ſed vt ex priori, poſterior ſequatur. Nam in ſecundo exemplo, neutra pars illius conditionalis eſt vera, & tamen conditionalis ipſa tota eſt vera; quia ex antecedente conſequens vere conſequitur. Hinc Axioma illud natum, *conditionalis Propoſitio nihil ponit in eſſe*, id eſt non requirit, vt alterutra illius pars vera ſit, ſed ſolũ vt poſterior, ex priori ſequatur.

Conditionalis quando falſa.

Conditionalis propoſitio *eſt falſa, quando ex Antecedente conſequens non vere ſequitur*: vt ſi homo ſit animal, eſt rationalis. Atque hinc fit vt ad falſitatem conditionalis, non requiratur, vt vlla illius pars falſa ſit, ſed ſolum hoc requiritur, vt ex priori poſterior non ſequatur; vt in exemplo poſito, neutra pars eſt falſa, & tamen tota conditionalis eſt falſa: quia non ſequitur, vt homo ſit rationalis, ſi ſit animal, quia tum omne animal eſſet rationale.

Copulativa quando vera aut falſa. Diſiunctiva quando vera aut Falſa.

Copulativa propoſitio *eſt vera, quando omnes illius partes ſunt verę*: vt homo eſt & ſubſtantia, & viuens, & rationalis. *Falſa* autem eſt, *ſi vna aliqua illius pars falſa ſit, etſi reliqua ſint verę*: vt homo eſt & animal, & rationalis, & volatilis.

Tertia Regula de qualitate. Hypothetica neceſſaria, quando.

Diſiunctiua propoſitio, *eſt vera quando vlla vna eius pars eſt vera*: vt homo vel eſt planta, vel animal. *Falſa* autem eſt, *quando nulla ipſius pars eſt vera*, vt homo eſt vel lapis, vel leo, vel arbor.

Tertia Regula eſt hæc, *Omnis propoſitio hypothetica vel eſt hypothetice neceſſaria, vel hypothetice contingens.* Propoſitio hypothetica eſt *neceſſaria, quando id quod per eam ſignificatur vel eſt ita verum, vt falſum*

sum est non possit, vel ita falsum vt verum esse nonpossit: vt, Si homo est animal, est viuens: est necessaria conditionalis; homo est & animal & viuens: est necessaria copulatiua; homo est vel rationalis vel irrationalis; est necessaria disiunctiua.

Hypothetica contingens, quando.

Propositio hypothetica *est contingens, quando id quod per eam significatur, vel est ita verum, vt falsum esse possit, vel ita falsum vt verum esse possit.* Si sis doctus, & probus, alij te diligent, & colent; est conditionalis contingens. Socrates est & doctus, & probus, est copulatiua contingens. Socrates vel est doctus vel probus: est disiunctiua contingens. Hæc de qualitate propositionis hypotheticæ quæ est prima illius proprietas.

Quantitas in Hypotheticis.

Secunda Proprietas est *Quantitas. Omnis autem Copulatiua, & disiunctiua eandem plane habet quantitatem quam Categorica, ex quibus constant*: vt Socrates est & bonus & sapiens; est copulatiua Singularis. Omnis homo est vel rationalis vel irrationalis; est disiunctiua vniuersalis. *Conditionales autem omnes, sunt virtute vniuersales*, sicut sunt propositiones Categoricæ illæ ipsæ quibus innituntur: vt hæc, Si Socrates sit homo est animal, est *virtute vniuersalis*, sicut est illa Categorica, cui æquipollet & cui innititur, videlicet omnis homo est animal.

Oppositio in Hypotheticis.

Tertia Proprietas est *Oppositio*. Et quidem contraria, subcontraria, & subalterna oppositio in hypotheticis non inuenitur. *Contradictoria autem oppositio Hypotheticæ æque ac Categoricæ per se conuenit.* Nam aliter in disputando non posset Hypothetica refelli: cum opponens contradictorium probare teneatur. *Contradictio autem in Hypotheticis, oritur ex ipsa affirmatione & negatione eius quod hypothetice asseritur*: vt huius affirmativæ, Si sol lucet, dies est; contradictoria est hæc, negativa, non si sol lucet, dies est. Et huius negativæ, Homo non est & animal, & viuens; contradictoria est hæc affirmativa, Homo est & animal & viuens; & huius negativæ, Homo non est vel animal vel planta, contradictoria est hæc affirmativa, Homo est vel animal vel planta.

Æquipollentia in hypotheticis.

Quarta Proprietas est *Æquipollentia*; & hæc quidem in *Copulativis eadem est plane quæ in Categoricis*; vnde hæc, Non omnis homo est animal & viuens, æquipollet huic, aliquis homo non est & animal, & viuens. In disiunctivis æquipollentia nullius omnino vsus est. In conditionali autem æquipollentia sumenda est, *ex ea Categorica vniuersali, quæ virtute in conditionali semper includitur, quæque est fundamentum semper consequentiæ in conditionali*: vnde hæc, Si homo est animal, est viuens: æquipollet huic vniuersali Categoricæ, cui veluti fundamento innititur, Omne animal est viuens: & hæc, Si homo est planta est insensibilis, æquipollet huic vniuersali Categoricæ, omnis planta est insensibilis; & hæc, Si Socrates sit philosophus, est doctus, æquipollet huic vniuersali Categoricæ, omnis philosophus est doctus. Atque ita fit, vt omnis hypothetica

conditionalis æquipollet vni Categoricæ vniuersali cui tantùm, quæque in ea, virtute continetur.

Conversio in Hypotheticis.

Quinta proprietas est *conversio*, & sane copulativa omnis eodem modo convertitur quo suæ Categoricæ, ex quibus constat, vt, omnis homo est viuens & animal, convertitur in hanc per regulam *Tibi*, ergo aliquod viuens & animal, est homo. In disiunctivis vero conuersio nullius est vsus. In conditionalibus autem conversio semper fit *in illam Categoricam cui insistunt, & quæ* in eis virtute includitur, vt hæc, Si homo sit viuens est substantia, convertitur in hanc, ergo omne viuens est substantia. Quo etiam modo ipsa Categorica vniuersalis cui conditionalis innititur, convertitur in conditionalem ex ea consequentem, vt hæc, omnis homo est animal, convertitur in hanc Conditionalem, si aliquid sit homo est animal.

Modi in Hypotheticis.

His quinque proprietatibus propositionis hypotheticæ, addi potest, vt sexta, *Modificatio*. Hoc enim Hypotheticis non minus quàm Categoricis conuenit, *vt quatuor illi Modi de quibus ante dictum est, eis connectis possint, eaque modificare*: vt hæc conditionalis, est modalis in primo ordine, *Necesse est* vt si homo sit animal sit viuens. Hæc copulativa in secundo *contingens est*, vt homo sit doctus & probus. Hæc *disiunctiua* in tertio *Impossibile est*, vt homo sit vel lapis vel leo. Hæc conditionalis in quarto *possibile est*, vt si homo sit animal, non sit bipes.

Hypotheticæ Modales quomodo sunt Categoricæ Singulares.

Hic vero diligenter aduertendum est, quod hæ & similes omnes, etsi *respectu Dicti* quod est propositio hypothetica, dici possint *Hypotheticæ*, tamen si totam propositionem Modalem, id est, *Dictum cum Modo* respicias, *sunt reuera Categoricæ singulares*. Nam in omnibus est vnum tantum subiectum, nempe *totum dictum*, siue sit conditionalis, siue copulativa, siue disiunctiva propositio: & vnum tantùm prædicatum, quod est semper *Modus adiectus Dicto*. Sed de Propositione hypothetica, adzoque de omni propositione hæc tam multa sunt quæ dicantur. Libet nunc eorum quæ de Propositione declaravimus brevem hic Synopsin proponere.

Pro-

Cap. XIII.

De Argumentatione in genere.

Materia argumentationis. Forma Argumentationis.

HActenus *Materiam* Argumentationis tractavimus, tam *remotam*, quæ sunt *voces*, quam *propinquam*, quæ sunt *propositiones*. Materia iam cognita, quæ *forma* sit Argumentationis verbo expediam. *Forma autem est ipsa connexio plurium propositionum per continuentem aliquam Illativam*, quales sunt *Ergo, igitur, ideo*, aut alia similia.

Atque hinc iam quid sit Argumentatio (quod declarandum proposui ca. 1.) facile liquet, sic enim definiri potest.

Argumentatio.

Argumentatio est, *Oratio perfecta, in qua ex una propositione vel pluribus, alia infertur, cum hac illationis nota, Ergo, igitur, aut alia quæ simili, vel expressa, vel intellecta.* vt.

Homo est animal:
Ergo est viuens.

Neque

Neque enim illis assentior, qui has similesque argumentationes, inter propositiones Hypotheticas numerant. Nam etsi plures propositiones in his connectantur per coniunctionem, tamen *coniunctiones illativæ*, notæ sunt *Argumentationis*, non *Propositionis hypotheticæ*, vt sunt coniunctiones conditionales, Copulativæ, & Disiunctivæ. *Causales quidem propositiones*, qualis est hæc, Quia homo est animal, est viuens: *virtute* coniunctionem illativam in se continent, & ideo sunt *virtute & implicite* Argumentationes: quod idem de omni propositione conditionali sentiendum est. Sed *ellæ, & quoad modum proferendi* sunt revera *propositiones hypothetica*, & non Argumentationes.

Tres partes in argumentatione.

Antecedens seu Præmissa.

Ex his nunc liquet, in omni Argumentationes tres esse partes. Prima est illa, *qua infert & probat aliud*: & hæc vocatur vel *Antecedens*, quia antecedit conclusionem, vel *Præmissa*, quia præmittitur conclusioni, vt eam inferat probetque. Quandoque autem in Antecedente, est *vna tantum propositio*, vt hic homo est animal, ergo est viuens. Quandoque sunt *duæ propositiones*, vt hic, Omne animal est viuens, Homo est animal, ergo homo est viuens. Quandoque etiam *tres aut plures*, vt de Sorite post ostendemus.

Conclusio, siue consequens.

Secunda pars Argumentationis, *est ea qua infertur ex Antecedente*, & hæc vocatur vel *conclusio*, quia est illud quod probatur & concluditur; vel *consequens*, quia est illud quod consequitur ex Antecedente. Consequentia autem neque est *Antecedens*, neque *consequens*, sed *ipsa dependentia & cohærentia consequentis ab antecedente*. Et hæc consequentia aliquando *firma est & valida*, quando nimirum *consequens necessario sequitur ex Antecedente*, ita vt si concedatur Antecedens, necesse sit concedi consequens, vt hic homo est animal, ergo est viuens. Aliquando est *infirma & invalida*, quando *consequens non necessario sequitur ex Antecedente*, sed recte concedi potest Antecedens, & tamen consequens negari, vt hic Homo est animal, ergo est rationalis. Ex quo fit vt Argumentationes aliæ sint *validæ*, aliæ *infirmæ & invalidæ*, vtræque autem vere Argumentationes sunt.

Consequentia, quid.

Consequentia firma.

Consequentia infirma.

Copula in Argumentatione.

Tertia Argumentationis pars est ipsa *copula*, seu vinculum quod *connectit Antecedens cum consequente*, & hæc semper est *nota illationis*, *Ergo, igitur aut quid simile*. Nam vt priores partes sunt *Materia* ita Copula ista, est quasi *forma* Argumentationis. Atque vt in propositione Categorica, termini duo nempe subiectum & prædicatum sunt *materia*, Copula autem quæ est verbum substantiuum, aut aliqua eius persona, est *forma*: & vt in Hypothetica propositione duæ propositiones sunt *materia*, Coniunctio autem conditionalis copulativa aut disiunctiva, quæ copulat istas propositiones, est illius quasi *forma*. Ita plane in Argumentatione præmissæ & conclusio, sunt illius *materia*; Illativa autem nota quæ eas in arguendo copulat, est

quasi

quaſi *forma*; Quare ſi hæc deſit, Argumentatio nulla eſſe, dicive poteſt.

Proprietates Argumentationis ſunt duæ. Prima eſt hæc, *Omnis Argumentatio aliquid probat vel probare videtur.* Nam ſi conſequentia ſit *firma*, tum vere probat id quod concluditur. Sed ſi conſequentia ſit *infirma*, tum non probat iſta argumentatio, ſed ſolum videtur probare concluſionem illatam. *Proprietates Argumentationis.*

Secunda eſt hæc. *Quacunque oratio aliquid vel probat, vel probare videtur, eſt Argumentatio.* Nihil enim a quoquam vel vere, vel apparenter probari poteſt niſi per Argumentationem, vel *expreſſam, vel implicitam.*

Hæc de Argumentatione in genere dicta ſint.

Cap. XIIII.

De Syllogiſmo in genere, & de Syllogiſmo Categorico in genere.

PRogrediendum nunc ad ſpecies Argumentationis, ſic enim ſupra ca. 1. agendum propoſuimus. Eſt autem Argumentatio duplex, *Perfecta*, & *Imperfecta*. Agemus primo de Perfecta.

Argumentatio Perfecta, *eſt Argumentatio quæ ad aliud perfectius argumentationis genus reduci non poteſt, ſed ipſa eſt menſura & regula aliarum omnium argumentationum, & hæc vocatur Syllogiſmus.* De Syllogiſmo agendum, primo *in genere*: ſecundo *in ſpecie*. De eo in genere duo explicanda ſunt. Primo *quid ſit*: ſecundo, *quæ illius proprietates*. Definitur autem ſic. *Syllogiſmus, quid.*

Syllogiſmus eſt *Argumentatio perfecta*. Nam in hoc differt ab omnibus alijs. Per Argumentationem, differt ab omni oratione quæ non eſt argumentatio: per id quod dicitur *Perfecta*, differt ab omni argumentatione imperfecta. Vel ſic apertius & plenius. Syllogiſmus eſt *Argumentatio, in qua ex duabus præmiſſis ſunt Categoricis, ſunt hypotheticis, neceſſario infertur concluſio*: vt in his.

Bar Omne animal est viuens,
ba Omnis homo est animal.
ra. Ergo omnis homo est viuens.
Si homo sit animal, est viuens,
at homo est animal:
Ergo homo est viuens.

In omni Syllogismo tres propositiones.

Ex illa definitione duo consequuntur. Primum est: *Quod in omni Syllogismo sunt tres propositiones.* Harum prima, quæque primo loco ponitur, vocatur *Maior propositio*: & sæpe κατ' ἐξοχὴν, *Propositio.* Ea quæ secundo loco ponitur, vocatur *Minor propositio*, aut *Assumptio*, quia assumitur ad Maiorem. Ea quæ tertio loco ponitur, vocatur *Conclusio*, quia ex præmissis infertur, & concluditur.

Dub.

At Arist. 1. Prior. ca. 25. nu. 5. ait, *Syllogismum ex duabus propositionibus, & non pluribus constare.*

Sol.

Respondeo, constat ex duabus tantum propositionibus quæ conclusionem præcedunt, id est, ex duabus tantum *præmissis*, & sic intelligendus est Arist. loco citato. Sed si conclusio addatur, tum constat ex tribus propositionibus.

Conclusio in Syllogismo necessario sequitur ex Præmissis.

Secundum quod consequitur est hoc, quod diligenter observa & tene: *quod in omni Syllogismo conclusio necessario sequitur ex præmissis, ita vt si præmissas concedas esse veras, conclusionem esse veram necessario concedere debeas.* Hoc expresse docet Arist. 1. Prior, ca. 1. num. 9. & 1. Topic. ca. 1. num. 3. vtrobique ait, *Ex eis quæ posita sunt aliud necessario accidere*, id est, conclusionem ex præmissis necessario sequi. Atque hinc constat, nullam Argumentationem *invalidam*, seu in qua consequentia non est firma, vel esse Syllogismum, vel sic dicendam esse: videntur solum Syllogismi esse, sed quia consequentia in illis est *infirma*, ideo Syllogismi non sunt, sed Argumentationes *vitiosæ, & inutiles*; deque singulis Arist. ait 1. Prior. ca. 4, 5. & 6. *Non est Syllogismus, non fit Syllogismus*, aut quid simile. Tales sunt illæ vbi omnes propositiones sunt vel negativæ, vel particulares: vt hic.

Nullus homo est equus:
Nullum hinnibile est homo,
Ergo nullum hinnibile est equus.

& hic

Aliquod animal est rationale,
aliquis equus est animal:
ergo aliquis equus est rationalis.

Proprietas Syllogismi.

Proprietas syllogismi est hæc vnica, *quod si præmissa eius sint vera,*

re, concluſio etiam erit vera; aut ſi præmiſſa concedantur eſſe vera, concluſionem quoque veram eſſe concedendum eſt. Patet ex definitione: nam quia Concluſio neceſſario ſemper ſequitur ex præmiſſis in ſyllogiſmo, ideo ſi illæ veræ ſint, aut pro veris concedantur, eo ipſo concluſio eſt vera, & implicite conceditur eſſe vera. Quoties-cunque igitur concluſio in vlla argumentatione eſt falſa, certiſſimum eſt vel iſtam Argumentationem non eſſe Syllogiſmum, vel ſi ſit, aliquam præmiſſarum in ea falſam eſſe.

Hæc de Syllogiſmo in genere.

Sequuntur ſpecies Syllogiſmi, quæ duæ ſunt. *Syllogiſmus Categoricus*, & *Hypotheticus*. De Categorico prius agendum eſt. Is tractandus primo, *in genere*: ſecundo, *in ſpecie*.

Categoricus Syllogiſmus, eſt *Syllogiſmus cuius omnes tres propoſitiones ſunt Categoricæ*: vt hic. *Syllogiſmus Categoricus, quid.*

Ce Nullum animal eſt lapis,
la Omnis homo eſt animal:
rent. Ergo nullus homo eſt lapis.

Nec neceſſe eſt de eo *in genere*, plura his addi. Nam etſi iuxta accuratam rerum tractationem, atque ordinem, tam *Materia* huius Syllogiſmi quam *Forma*, (quæ vtriſque illius ſpeciebus æqualiter conueniunt) hoc loco tractanda eſſent, tamen quia iſta vtraque & commodius tradi, & facilius multo intelligi poſſunt ex tractatione ſpecierum huius Syllogiſmi, ideo nos iſta vtraque in illum locum reſeruanda, illicque explicanda duximus.

Cap. XV.

De Syllogiſmo Categorico Communi.

Sequuntur illius Species. Eſt autem Syllogiſmus Categoricus duplex, *Communis*, & *Singularis*. De Communi prius agendum eſt: tum quod illius vſus multo maximus eſt, tum quod illius notitia faciliorem longe facit non ſolum Singularis ſyllogiſmi, ſed aliarum plane omnium Argumentationem cognitionem. Sunt autem de hoc *Syllogiſmo categorico communi*, tria explicanda, & tyronibus ad vnguem plane tenenda. Primo, *quid ſit*: ſecundo, *quomodo recte formari debeat*: Tertio, *quæ leges ſeu Regulæ de eo obſeruandæ ſint*, quæ loco proprietatum habendæ ſunt, de hiſce ordine.

Syllogismus Categoricus communis, quid.

Definitur in hunc modum. Syllogismus Categoricus communis, *est Syllogismus Categoricus, in quo vel ambæ, vel una saltem præmissarum est propositio vniuersalis.* Aliquando quidem ambæ sunt; sed nisi vna earum sit vniuersalis, Syllogismus communis seu vniuersalis dici non potest. Memineris vero quod cum definiatur esse Syllogismus, ex eo necessaria in omni tali Syllogismo consequentia declaratur: quod quia superius de Syllogismo in genere obseruatum est, sine vlteriori repetitione hic solum te monendum censui: Hinc enim intelliges, fieri nunquam posse, vt ex veris præmissis falsa conclusio in vllo Syllogismo colligatur: tantopere interest Syllogismorum non certam modo, sed plenam cognitionem habere.

Quod attinet ad secundum, vt recte formetur talis Syllogismus, duo sunt de eo necessariò & diligenter cognoscenda. *Materia* illius, & *Forma*: de quibus ordine agemus.

Materia Syllogismi, quid.

Materia eius est, *id ex quo talis Syllogismus fit, & constat.* Ea duplex est, *Materia proxima, & Materia remota.* Materia illius proxima, seu ex qua proxime fit, *sunt tres propositiones ex quibus constat, nempe Propositio Maior, Minor, & Conclusio.*

Materia Syllogismi proxima.

Materia Syllogismi remota, sunt tres Termini.

Materia eius remota, seu ex qua remotius & mediate fit, *sunt illi ipsi Termini, ex quibus tres illius propositiones sunt.* Hi in omni tali syllogismo sunt *Tres*, neque plures, neque pauciores. Hoc expresse docet Arist. 1. Prior. cap. 25. nu. 1. & 4. vbi ait, *Omnem Syllogismum*, (nempe Categoricum communem) *ex tribus tantum terminis constare.* Primus horum vocatur *Maior terminus*, seu *maius extremum*, qui est in Maiori propositione, & conclusione, sed nunquam in minori. Secundus vocatur *Minor terminus*, seu *Minus extremum*, qui est in Minori propositione & conclusione, sed nunquam in maiori. Tertius vocatur *Medius terminus* seu *medium*, qui est in Maiori propositione & in minori, sed nunquam in conclusione. Quæ omnia ab Arist. fusius traduntur, lib. 1. Prior. ca. 4. 5 & seq. vbi etiam ista ipsa nomina *Medij* & *Extremorum* tribus istis terminis sæpissime attribuit.

Maior Terminus.

Minor Terminus.

Medius Terminus

Medium quare vocatur.

Vocatur autem tertius iste terminus *medium*, seu *medius terminus*, quia mediante hoc termino, probatur & ostenditur vnus extremorum vel convenire alteri, vel non convenire. Nam quia medium inest, aut convenit tam maiori termino, quam minori, ideo vnus eorum alteri convenire debet. Similiter quia medium non inest, aut non convenit Maiori termino, sed inest & convenit minori termino, vel convenit maiori non autem convenit minori, ideo maior minori convenire non potest. Ita mediante *medio* semper ostenditur alter Extremorum alteri vel convenire, vel non convenire. Hinc etiam liquet cur duo alij termini *Extrema* vocentur, nimirum quia habent alium terminum medium inter ipsa, quo mediante vel conuenit vnum alteri vel non conuenit.

Extrema, quare vocentur.

Est

Est etiam & alia horum nominum ratio. Nam in Syllogismis illis qui omnium dignissimi ac præstantissimi sunt, quales sunt Syllogismi qui in *Barbara* contexuntur, in illis, inquam, hoc sæpe euenit, vt inter tres istius syllogismi terminos, *Maior* sit reuera amplissimum, *Minor* angustissimum, & tertius *Medium* inter vtrumque, angustius Maiori, & Minori latius, vt in hoc similibusque omnibus videre licet.

Bar Omne animal est viuens.
ba Omnis homo est animal.
ra. ergo omnis homo est viuens.

In hoc, similibusque omnibus, respectu prædicationis primus terminus vocatur *Maior*, quia est prædicatione amplissimus: secundus vocatur *Minor*, quia est prædicatione angustissimus: tertius vocatur *Medium*, quia est angustior Maiori, latior vero & amplior Minori. Et quoniam in syllogismis his, qui in præstantissimo modo texuntur, hoc sæpe euenit, ideo ista nomina *Medij* & *Extremorum* tribus terminis in quouis syllogismo accommodantur, licet non sit in eis talis ordo inter Media ac **Extrema**, qualem in his nunc ostendi.

Medium quomodo vocatur Argumentum.

Vocari etiam potest Medium alio nomine *Argumentum*: si per hanc vocem intelligas id quod adducitur ad arguendum, id est, probandum vnum extremorum alteri vel conuenire vel non conuenire. Sed Ramus quique eum sequuntur, alio sensu *Argumentum* accipiunt, Id enim *omne quod ad arguendum aptum est*, Argumentum dicunt. Ita apud eos vt videre licet apud G. D. Comment. in Rami Dialect. lib. 1. ca. 2. pa. 85. voces omnes Categorematicæ, per sese, & extra argumentationem acceptæ, *Argumenta sunt* & vocantur. Nulla enim omnino vox talis est, quæ non sit affecta, & apta ad arguendum aliquid vel inesse, vel non inesse. Fruantur per me suo idiomate: non inuideo eis istum huius vocabuli vsum: nec de re tantilla litigandum sentio. Cæterum hoc negari non potest, *Argumenti* nomen vulgo & iuxta frequentem probatorum scriptorum vsum, non pro simplici aliqua dictione, sed vel pro *medio* (licet id raro) vel pro tota ipsa ratione seu *Argumentatione* qua quid probamus vsurpari. Sic Quintil. definit, esse *Rationem quæ probationem præstat, in qua colligitur aliud per aliud.* Sic Cic. in lib. Part. *Quibus rebus potest fides? Argumentis. Quid est Argumentum? Est probabile inuentum ad faciendam fidem.* Et clarius in lib. Top. *Argumentum*, inquit, *est Ratio quæ rei dubiæ facit fidem*: quo loco *Argumentationem a Cicerone per vocem Argumenti significari*, agnoscit ille, qui inter Rameos, est longe doctissimus, Comens. in Ram. dialec. lib. 1. ca. 2. 76. Præstabit igitur meo iudicio, cum Cicerone,

Quinctiliano, cumque ipso vulgo, *Argumenti* nomen ipsi *Argumentationi* tribuere, quàm *Medio termino* in vlla Argumentatione. Omnino enim lex illa tenenda est, *Loquendum cum vulgo.*

Maior & Minor Terminus non vocatur Argumentum.

Quod vero non Medium solum, sed & duos alios Syllogismi terminos *Argumenta* vocat Ramus lib. 2. ca. 9. vbi *Medium tertium Argumentum* nominat; quo nomine *tertij argumenti* nihil frequentius, vel in ore, vel in scriptis Rameorum; quomodo etiam, in omni syllogismo *tria* g *argumenta* faciunt, primum scilicet, secundum, & tertium argumentum: Quis obsecro tantam verborum Cacochresin, & in loquendo confusionem ferre potest? aut quis vnquam *tria argumenta* esse in vno Syllogismo, id est, in vno *Argumento* probabit? Sed nimirum Ramo nouam logicam cudenti, nouus rerum ordo, **noua vocabula**, noua fere omnia excogitanda erant. Hinc *Propositio*, illi *Axioma* dicitur, Syllogismus *dianoia*, Methodus item *dianoia*: vox quæuis, a qua ratio duci potest, *Ratio* & *Argumentum*, tres termini in syllogismo *tria argumenta*, locus a Causa, *Categoria Causæ*, & pro decē antiquis bene notis Categorijs seu prædicamentis, octo Rameis sunt *Categoriæ* seu octo prædicamenta. In hæc aliaque similia (ea sunt supra numerum) veriſſime congruit id, quod in alia causa dixit August. lib. 1. ad Inquisit. Ian. ca. 5. *non tantum vtilitate iuuant, quantum nouitate perturbant.* Fit enim vt dum hoc nouo (id est, suo ac peregrino idiomate) vtuntur, ab alijs intelligi non possint: Nec fas erat ipsis, prisca nomina (vel propter canitiem solam veneranda) ab antiquo & vulgari sensu ad suum, eumque valde incommodum, sensum torquere ac traducere; quanto minus per Ostracismum eijcere: postremo, si aperte loqui, ac vocibus notis ac vulgaribus vti voluissent, certe multo facilius res illæ quas docere contendunt intelligi possent, quam nunc voces ipsorum, & earum significatio intelligitur. Sed satis multa de *Materia* Syllogismi.

Argumentorum extra Syllogismos frequentissimus est vsus, & in Syllogismo duo alia argumentari sunt (quæ vulgo terminus maior, & minor appellantur) quorum respectu Medium, tertium Argumentum appellatur. G. D. Com. in Ram. li. 1. ca. 2. pa. 85.

Forma syllogismi, quid.

Sequitur *Forma*. *Ea est apta & legitima dispositio totius materiæ, tam remotæ, quam propinquæ in syllogismo.* Et quo sit vt per *Formam* tria declarentur, primum est *Figura* Syllogismi: secundum est, *Ordo concludendi* in Syllogismo: tertium est, *Modus* Syllogismi: de singulis ordine dicendum est prout in Syllogismo Categorico communi (de quo hic agimus) inueniuntur.

Figura syllogismi, quid.

Figura Syllogismi, *est apta & legitima dispositio materiæ remotæ, id est, terminorum in præmissis syllogismi.* Et sane si *Medium* in Præmissis recte collocetur, duo alij, non possunt aliter quam recte disponi. *Medium* autem quatuor diuersis modis, & nec pluribus nec paucioribus in præmissis collocari potest. Quare ex ista quadruplici dispositione *Medij* quatuor oriuntur syllogismorum Figuræ.

Figuræ syllogismorum quatuor.

Prima figura.

Primo, *Medium* sic locatur, vt sit *subiectum in Maiori propositione*, & *Prædicatum in minori*, & tum fit *Prima Figura*, vt hic.

Da Omne animal est viuens.
ri quidam homo est animal.
i. ergo quidam homo est viuens.

Secundo *Medium* sic locatur vt sit *Prædicatum in ambabus præmissis, & tum fit secunda figura*, vt hic. *Secunda figura*

Ces Nullus lapis est animal,
a omnis homo est animal,
re ergo nullus homo est lapis.

Tertio sic locatur *Medium*, vt sit *subiectum in vtrisque præmissis*, & tum fit *tertia figura*, vt hic. *Tertia figura.*

Da Omnis homo est viuens,
rap Omnis homo est animal.
ti ergo aliquod animal est viuens.

Quarto sic locatur *Medium* vt sit *prædicatum in Maiori, & subiectum in minori propositione, & tum* fit *quarta figura* vt hic. *Quarta figura*

Di Quidam homo est animal,
ma Omne animal est viuens,
si ergo quoddam viuens est homo.

Numerum istum figurarum hi versus comprehendunt.
Sub, Præ, prima: *bis præ*, secunda; tertia, *bis sub*:
Sed *Præ sub*, quartam vocitabis rite figuram.

Tres primas figuras recipiunt omnes, ipseque Arist. approbat, quare de eis non est dubitandum quin legitimæ figuræ sint. De quarta dubitari potest. Syllogismos enim in ea contextos, vere syllogismos esse & necessario ac syllogistice concludere, certum est; & Zabar. istus figuræ acerrimus impugnator hoc ipsum agnoscit lib. de quarta fig. ca. 13. vbi ait, *Syllogismos in hac quarta figura formatos, esse vtiles in hoc sensu, quia certa conclusio ex præmissis in hac figura colligitur.* Syllogismi igitur vere sunt, qui in hac figura formantur. Esse autem hanc distinctam *figuram* a tribus primis, res ipsa clamat, cum *diuersitas figurarum oriatur a diuersa dispositione Medij*: medium verò hic alio modo disponitur, quam in vlla alia figura. Quia vero hæc quarta figura non est necessaria (sicut neque secunda aut tertia, cum omnis conclusio categorica in vno ex quatuor modis primæ figuræ concludi possit, vt Arist. verè docet lib. *An quarta Figura sit admittenda.*

lib. 1. Prior. ca. 4. nu. 25.) quia etiam hæc figura non concludit tam *naturaliter*, ideoque non tam *vsitate*; ac tres reliquæ, ideo Arist. eam plane omisit. Agens enim de syllogismis *naturaliter concludentibus, ac iuxta vsitatum modum*, sic inquit lib. 1. Prior, ca. 23. nu. 8. *Certe constat necesse esse, vt omnis syllogismus fiat per aliquam ex his* (tribus) *figuris*. & iterum ca. 30. nu. 1. *Ex dictis*, inquit, *constat non solum hac via*, (id est, in his tribus figuris) *compleri posse omnes syllogismos, sed etiam alia via non posse*. Significat nimirum se hanc quartam figuram omisisse, non ideo quia ratio concludendi in ea non est legitima & syllogistica; sed quia non est *naturalis*, & *vsitata*. Ita non reiecit hanc figuram sed omisit: Atque hoc clarè verbis docet Zabar. lib. cit. ca. 13. inquiens, *Aristoteles istos modos neque admisit neque reiecit*. Ecce Arist. non reiecit quartam Figuram, licet non admisit, teste Zabar. Quare vero non admisit, aut quare omisit? Rationem tibi reddit ipse Zabar. *Quoniam via naturali* (id est vsitatâ) *neque procedunt syllogismi huius figuræ, neque procedere videntur*. Sic Zabar.

Ego hic Aristotelis vestigijs libens insisto. Omittam hanc figuram, sed non reijcio tamen. Nam Certum est & liquidò cuiuis demonstrare possum, rationem concludendi in hac quarta figura, *veram, legitimam & syllogisticam esse*. Quod autem vulgo dicitur, syllogismos in hac figura contextos, non aliter quam transpositione terminorum differre a syllogismis in prima figura, profectò non tam est vulgaris iste quam crassus error. Nam in quibusdam Modis quartæ figuræ (vt in *Fesapo*) non omnino transponuntur præmissæ: & in omnibus vbi transponuntur, est alia, eoque maior mutatio quam sola transpositio præmissarum. Etenim ex illa transpositione præmissarum, fit & oritur tam *nova dispositio Medij*, ideoque *nova figura*, quam noua dispositio *terminorum in conclusione* cum diuersa ferè quantitate, ideoque *novus Modus*. Ita per istam transpositionem præmissarum mutatur ipsa *forma & essentia syllogismi*, quæ sita est in *dispositione terminorum*. Hoc idem in alijs modis receptis, & ab Aristotele comprobatis vsu venit. *Cesare*, enim non aliter differt a *Camestres*, nec *Datisi* a *Disamis*, nisi sola transpositione præmissarum, & eâ mutatione terminorum in conclusione, quæ istam transpositionem insequitur. Quare si tum fiat novus syllogismorum *Modus*, quando præmissæ transpositæ faciunt solùm mutationem terminorum in conclusione, certe multo magis erunt & *Modi diuersi*, & *diuersa figura*, quando transpositionem præmissarum insequitur & *nova dispositio Medij* in Præmissis, atque ita noua figura, & *nova dispositio terminorum* in conclusione, atque ita novus modus. Hoc autem semper fit in omnibus modis *quartæ figuræ*, in quibus fit transpositio præmissarum a modis primæ figuræ. Sed nos, vt dixi, Aristotelem sequentes, omissa hac *quarta figura*,

tres

tres primas, vt maxime *naturales*, & *naturaliter*, *ideoque vtiliter concludentes*, vtique maxime idoneas disputationi, amplectimur. Atque hoc de Figuris Syllogismorum.

Secundum quod ad syllogismorum *formam* spectat, est *Ordo concludendi*. Nam vt *figura* indicat quomodo termini omnes disponuntur in præmissis, ita ex *Ordine concludendi* ostenditur quo pacto Maior & Minor terminus disponendi sunt in Conclusione. *Ordo concludendi.*

Hoc vt cognoscatur, sciendum est, syllogismos aliquos *Directe*, alios *Indirecte* concludere. *Directe concludunt illi, in quibus Minor terminus est subiectum, & Maior terminus est prædicatum* in Conclusione. Ita concludunt omnes plane syllogismi hucusque a nobis pro exemplis adducti: omnesque qui ab Aristotele exprimuntur. Nam ille *Modus* illos solum exprimit, qui *naturaliter concludunt*. Maior autem terminus iuxta naturalem arguendi rationem, debet semper prædicari, & minor subijci: quia *Maior terminus* est amplior, quoties est inter eum & minore subordinatio: qualis semper est in Modis omnibus qui affirmatiue concludunt. *Directe concludere, quid sit.*

Indirecte concludunt illi Modi omnes, in quibus Maior terminus est subiectum, & Minor est prædicatum in Conclusione. Istorum ex Aristotele exemplum nullum afferri potest, quia talis *modus concludendi* sit, non est naturalis. Sic in prima figurâ concludunt quinque illi *modi*, qui ab interpretibus fere omnibus (excepto Zabarella) pro legitimis agnoscuntur, quique hoc versu comprehendi solent. *Celarent, Baralip, Dabitis, Fapesmo, Frisesom.* Addam ego exemplum vnum in secunda, alterum in tertia figura. *Indirecte concludere, quid sit.*

In secunda.	Ces	Nullus lapis est animal.
	a	omnis homo est animal.
	rent.	ergo nullus lapis est homo.

Modum istum syllogizandi necessarium & legitimum esse liquido constat. Nam si transponas præmissas, hæc ipsa conclusio *directe* & euidenter sequitur in *Camestres*, quare certissimum est eandem hanc conclusionem, ex eisdem præmissis sequi in *Cesares*: nam transpositio præmissarum non reddit consequentiam infirmam, licet *modum* syllogismi & nonnunquam *figuram* mutet. Præterea Modum hunc syllogisticum esse *Reductio* certissime demonstrat. Nam ex ista *Maiori* in *Cesares* sequitur in Celarent per simplicem conuersionem.

Hæc		Ce Ergo nullum animal est lapis.
ex hac *Maiore* cum *Minore* posita		la Omnis homo est animal.
sequitur euidenter ista conclusio		rent. Ergo nullus homo est lapis.

At ex hac Conclusione quæ est in *Celarent*, sequitur per conuersionem

sionem simplicem, ergo nullus lapis est homo, quæ est Conclusio in *Cesares*. Quare ista ipsa Conclusio, certissime, licet *mediate & per Conuersiones* quasdam, sequitur ex præmissis illis in *Cesares*. Nam quicquid sequitur *immediate ex vlla propositione aut ex pluribus, idem sequitur necessario sed mediate ex illis præmissis vnde ista propositio sequebatur.*

In tertia.	*Da*	Omnis homo est viuens.
	si	quidam homo est animal.
	si	ergo quoddam viuens est animal.

Hunc etiam *Modum syllogizandi* necessarium, ac legitimum esse, ex reductione certissimum est, sed ego breuius sic demonstro. Ex his ipsis præmissis positis in *Dasii* sequitur directe hæc conclusio in Datisi, ergo quoddam animal est viuens. At ex hac conclusione *per conuersionem simplicem* sequitur hoc, ergo quoddam viuens est animal, quæ est Conclusio in *Dasii*. Quare cum Conclusio in *Dasii*, sequatur necessario ex conclusione in *Datisi*, & Conclusio in *Datisi* sequatur directe & immediate ex præmissis in *Dasii*, sine dubio Conclusio illa in *Dasii*, sequetur necessario licet mediate ex præmissis positis in *Dasii*. Nam quicquid sequitur immediate & necessario ex vlla propositione, illud sequitur etiam necessario sed mediate ex præmissis vnde illa propositio sequebatur. Libuit hæc exempla proponere, & insuper demonstrare *Modos* hos esse concludendi necessarios, licet neque ab Aristotele proponantur isti *Modi*, neque *directe* sed *indirecte* concludant.

Illud etiam verbo monendum est, quod Aristoteles sicut nullos *Modos* proponit & exprimit, nisi qui *directe Concludunt*, ita neque omnes qui directe concludunt expressit: sed alios, in prima; alios, in secunda; alios in tertia: Omnes autem in quarta figura omisit, quia licet concludant *directe*, non tamen *iuxta naturalem & vsitatum arguendi modum*. Atque hæc de ratione concludendi.

Modus Syllogismi, quid.

Supereſt tertium quod ad *formam* syllogismorum spectare dixi, illud est *Modus*. Est autem *Modus syllogismi, apta & legitima ordinatio seu dispositio materiæ propinquæ, id est, trium propositionum in Syllogismo, sic vt vnicuique debita sua quantitas & qualitas tribuatur*. Nam vt per *Figuram* & *modum concludendi* disponitur tota *materia remota* in præmissis simul & Conclusione, sic per *Modum* Syllogismi disponitur in eisdem tota *materia propinqua*, secundum quantitatem, & qualitatem.

Vt autem cuique propositioni debita *quantitas* & *qualitas* assignetur in quaque figura, vnicuique *Modo* diuersum vocabulum, velut Nomen proprium confinxerunt Logici. Cuique item *Nomini* syllogismorum *tres syllabas* aptarunt: quarum prima notat *maiorem*, secunda

secunda *minorem* propositionem, tertia verò *Conclusionem*. Cuique etiam *Syllaba* vna ex his quatuor vocalibus A, E, I, O, inest, quæ illius propositionis cui præfigitur debitam *quantitatem*, & *qualitatem indicat*, vt *Barbara* notat omnes tres propositiones esse vniuersales affirmatiuas. *Celarent*, notat Maiorem, & conclusionem esse vniuersales negatiuas, Minorem verò esse vniuersalem affirmatiuam. Atque ita in reliquis.

Quot verò syllogismorum *diuersi Modi* sint, difficile est definire. Aristot. in libris Priorum, *quatuordecim* expressit, qui omnium celeberrimi *Modi atque maximè vtiles sunt*, quique perpetuo consensu omnium, qui cum vllâ laude de rebus logicis scripserunt, approbantur. Hi omnes *directè concludunt*, & eorum *quatuor primi*, sunt in primâ, *quatuor proximi* in secundâ, *sex vltimi* in tertia figura. Eorum nomina his versibus exprimuntur. *Modi Syllogismorum quatuordecim.*

1. Barbara, Celarent, Darij, Ferioque: Reduc his.
2. Cesare, Camestres, Festino, Baroco; Darapti,
   Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

An verò plures hisce sint *syllogismorum Modi*, merito dubitatur. Imo extra dubium est multo plures esse, in quibus *necessario & syllogistice* concludere licet. Nam quatuor ante de inductiâ propositi *Dimasi, Cesares, Dasisi*, & *Fesapo*: quinque etiam *indirectè concludentes* in prima figura, a plurimis interpretibus recipiuntur, nempe *Celantes, Baralip, Dabitis, Fapesmo, Frisesom*; Ac (vt *quartam figuram* præteream, in quâ *ello* minimùm inueniuntur) possunt *Modi* plures quam alij *quatuordecim* in tribus *primis figuris* his adiungi, in quibus omnibus, est tam necessaria syllogizandi forma, vt ex præmissis sic dispositis, prout illi *Modi* disponendas indicauit, Conclusio semper necessario sequitur, neque vnquam fallat talis syllogizandi forma. Et erat quidem mihi in animo, primo nomina horum omnium *Modorum* versibus comprehensa adnotasse; deinde exemplum vniuscuiusque *Modi* proposuisse, & ex ipsius reductione, velut Lydio lapide demonstrasse, eos omnes esse veros ac legitimos syllogismorum modos. Hoc me præstitisse sciunt nonnulli. Cæterum quia nolebam vllo nouitatis studio, ab Aristotelis vestigijs, & trita Peripateticorum semita discedere, & quoniam illi *Modi* licet *vere syllogistici* sint, non sunt tamen *necessarij*: denique quia non est tam *naturalis*, ideoque nec tam *perspicua* in eis concludendi ratio: idcirco stilum hîc verti, & omissis omnibus istis Modis, *Quatuordecim illos celebres ab Aristotele expressos*, vt omnium dignissimos amplectendos censui. Neque dubito quin hoc de Modorum numero a me nunc significatum, & veritati, & logicis principijs consentaneum, ex eisque deductum esse, clarissime perspicient illi, qui in-

genio ſimul & otio abundantes, ad huius cauſæ examen ingenium atque induſtriam adhibebunt. Mihi iſtud verbo monuiſſe ſatis videbatur.

Nihil nunc ſupereſt, niſi vt Tyrones dent operam, vt non modo in quouis iſtorum 14. *Modorum* ſyllogiſmos recte ac prompte ipſi formare, ſed an ab aliis recte formentur primo intuitu dijudicare poſſint. Hoc ſine multa ſcriptione, & magna diligentia, atque attentione adhibita, nunquam præſtabunt. Hic igitur ingenium exerceant & ſtylum. Et quoad ſine cortice natare poſſint, licebit, imo præſtabit in omnibus *modis* qui *affirmatiue* concludunt, accipere hos tres terminos, *viuens, animal, & homo*: In omnibus qui *negatiue* concludunt, hos tres, *Animal, herua & lapis*. Nam ex his terminis vera Concluſio, ex veris præmiſſis in quouis Modo recte colligi poteſt.

Quid ſit Syllogiſmus, & quomodo texendus, hactenus declaratum eſt. Quæ vt facilius memoria teneantur, libet eorum omnium quæ ad formandum ſyllogiſmum ſpectant, breuem hic Synopſin proponere.

In

Sequuntur nunc *leges* seu *regulæ* de Syllogismo, quæ loco præmissarum eius esse possunt. Has etsi ex ante dictis colligere licebit, perspicuitatis tamen gratiâ earum potissimas exprimemus. *Nullus syllogismus Categoricus communis, vel ex solis particularibus, vel ex solis negativis constare potest.* Hanc expresse tradit Aristoteles libro primo Prior. capite 24. numero primo. Hinc metrum hoc natum. *Regula de Syllogismis.* *Prima Reg.*

Ex *particulari* non est syllogizari,
Neque *negativis*, recte concludere si vis.

2 Reg. *In syllogismo categorico communi, propositio singularis eadem lege habenda est qua particularis*: quare hic est syllogismus legitimus in *Darij*.

Da Omne animal est viuens,
ri Socrates est animal:
j. ergo Socrates est viuens.

3 Reg. *In omni syllogismo categorico, termini debent esse impermixti, sic vt nulla pars maioris termini sit in minori propositione, nec vlla pars minoris termini in maiori, nec vlla pars medij in conclusione.* Quare hic videtur solùm esse syllogismus in *Celarent*, sed vere syllogismus non est.

Nullum risibile differt ab homine,
Omnis equus differt a risibili:
ergo nullus equus differt ab homine.

Non inquam est syllogismus. Nam vox *differens*, quæ est pars *maioris termini*, est in *minori propositione*. Præterea mutatur hic *terminus*, Nam (*risibile*) *in maiori propositione* ponitur pro *medio*, at in *minori propositione* mutatur in hunc, *Differens a risibili*, itaque ita sunt quatuor termini. Sic autem contexi deberet hic syllogismus.

Ce Nullum risibile est differens ab homine,
la Omnis equus est risibile:
rent ergo nullus equus est differens ab homine,

Sed tum Assumptio est manifestè falsa.

4 Reg. *Cauendum est diligenter ne sub specie affirmativæ propositionis ponatur negativa*: quare hic videtur esse syllogismus in *Dary* sed vere syllogismus non est.

Quicquid est in hoc oppido, est in Europa,
Vnicum templum est in hoc oppido,
ergo vnicum templum est in Europa.

Non est inquam syllogismus. Nam vox illa *vnicum*, est *negativa*, & virtute in se negationem continet. Idem enim valet ac si dicas, *Non plura templa quam vnum sunt* in hoc oppido. Ex quo fit, vt tam *minor* quam *conclusio* sint propositiones *negativæ*, cum deberent esse affirmativæ si in *Dary* fieret syllogismus.

In

In omni syllogismo, si præmissæ sint veræ, conclusio sine dubio est vera: sed si præmissæ vel ambæ, vel vna sit falsa, Conclusio tamen inde sequens potest esse vera: vt hic. 5. Reg.

Bar Omnis lapis est animal:
ba Omnis homo est lapis:
ra ergo omnis homo est animal.

Hoc expresse tradit Arist. tum 1. Demonst. ca. 29. num 1. tum 2. Prior. cap. 2. nu. 1. *Ex veris*, inquit, *non potest falsum* (syllogistice nempe) *concludi, ex falsis verum potest, non ita tamen vt probetur cur sit, sed tantum quod sit.* Ex quo duplex discrimen oritur inter illationem veri ex falsis, & veri ex veris. Prius est hoc, quod ex præmissis veris conclusio vera semper sequitur in syllogismo; ideo hoc præmissis veris convenit per se, & quia veræ sunt: ita vt impossibile plane sit ex præmissis veris conclusionem falsam vnquam colligere in vllo syllogismo. At ex falsis præmissis conclusio vera non semper sequitur, imo hoc raro fit, ideoque hoc convenit præmissis falsis, non per se, nec quia falsa sunt, sed per accidens & contingenter. *Quomodo ex falsis præmissis verũ sequitur.*

Alterum discrimen est hoc, quòd conclusio vera sequitur ex præmissis veris, non solum *vi consequentiæ*, sed sæpe etiam *vi efficientiæ*, vt veritas quæ est in præmissis sit causa veritatis quæ est in conclusione, vt hic.

Bar Omne rationale est risibile,
ba Omnis homo est rationalis;
ra. Ergo omnis homo est risibilis.

Nam causa, quare homo est risibilis, est quia est rationalis, & ex rationali fluit risibilitas. Hoc inquam *sæpe* fit, sed non *semper* in præmissis veris. At conclusio vera nunquam sequitur ex præmissis falsis *vi efficientiæ*, quasi falsitas illa in præmissis esset causa veritatis quæ est in conclusione. (Nam homo non est idcirco animal, quia est lapis, aut quia lapis est animal) sed vera conclusio sequitur ex præmissis falsis solummodo *vi consequentiæ syllogisticæ*, quia talis est & tam necessaria connectio illorum terminorum in syllogismo, vt si præmissæ (*sive veræ sint, sive falsæ*) concedantur, necesse sit concedere conclusionem quæ ex illis infertur. Hinc isti versus nati.

Ex falsis falsum, verumque aliquando sequetur.
Ex veris poterit nil nisi vera sequi.

In omni syllogismo conclusio semper sequitur deteriorem partem, seu debi- 6. Reg.

debiliorem, & ignobiliorem præmissam. Hæc autem dignitas & ignobilitas præmissarum non est intelligenda, vel *respectu veritatis, & falsitatis*, vel *respectu necessitatis & contingentiæ*, vel *respectu certitudinis, & incertitudinis*. Nam certum est, posse conclusionem esse veram, necessariam, & certam, etsi vna præmissarum sit *falsa, contingens & incerta*; vt in his exemplis; Omne animal est homo, Socrates est animal, ergo Socrates est homo, conclusio hic est vera, & tamen maior est falsa. Omne calidum est corpus, aqua est calida, ergo aqua est corpus. Hic conclusio est necessaria & certa, & tamen minor est contingens, & incerta: Quare cum *falsum, contingens & incertum* sit deterius, ignobilius, & debilius, *vero, necessario, & certo*; & tamen conclusio istam debilitatem, & ignobilitatem non sequatur, perspicuum est, regulam istam de nulla tali debilitate aut ignobilitate posse intelligi.

Debilior pars quomodo accipienda.

Intelligitur autem ista *deterioritas, debilitas, & ignobilitas* in hac regula, quatuor modis. Primo, *respectu qualitatis in affirmatione & negatione*, vt si vna præmissarum sit affirmativa, & altera negativa; conclusio tum erit negativa: quia *negativa propositio in arguendo dignior est & deterior affirmativa*. Atque hoc expresse tradit Arist. lib. 1. Demonst. ca. 22. nu. 13. *Affirmativa*, inquit, *cum sit prior, & natior negativa, vtique melior est.*

Negativa deterior Affirmativa.

Secundo intelligitur *respectu Quantitatis*, vt si *vna præmissarum sit vniversalis, altera particularis; conclusio tum erit particularis*, quia vniversalis propositio dignior est & nobilior in arguendo quàm particularis. Atque hoc etiam tradit Arist. lib. 1. Demonst. ca. 22. nu. 9, 10.

Particularis deterior vniversali.

Tertio intelligitur *respectu Euidentiæ quoad sensum, & incuidentiæ quoad sensum*, vt si vna præmissarum *sit euidens quoad sensum, altera euidens quidem quoad rationem, sed incuidens quoad sensum, conclusio tum erit incuidens quoad sensum*, quia euidentia & cognitio sensitiua dignior est, certior & nobilior in arguendo, quam id quod sola ratione, non autem sensu cognoscitur, & euidens est; quia *omnis nostra cognitio & euidentia intellectiua oritur & dependet a cognitione & euidentia sensitiua*: vt Arist. perspicue docet, lib. 2. Dem. ca. vltimo, & lib. 1. Dem. ca. 15. Quare in hoc syllogismo: Omne album est substantia, nix est alba, ergo nix est substantia. Conclusio hic est *incuidens sensu*, quia maior est incuidens sensu, etsi minor sit sensu euidens.

Propositio incuidens quoad sensum, deterior euidente quoad sensum.

Quarto intelligitur *respectu euidentiæ quoad rationem, & incuidentiæ quoad rationem*, ita vt *si vna præmissarum sit cognita, & euidens ratione, altera autem sit de fide, incognita vero & incuidens quoad rationem, Conclusio tum erit de fide, & incuidens quoad rationem.* Quia etsi propositio omnis de fide sit ex se & in se certior quam vlla cognitio vel intellectiua, vel sensitiua (quoniam omnis propositio de fide nititur

Propositio incuidens quoad rationē, deterior euidente quoad rationem.

nititur testimonio Dei (quid neque falli potest neque fallere) tamen quoad nos qui in arguendo sensu ac ratione ducimur, *propositio de fide* (quia est rationi ineuidens,) deterior habetur ac debilior in disserendo, *propositione illa quæ est euidens quoad rationem aut sensum.* Atque huc spectat id quod Aquinas par. 1. q. 1. art. 5. tradit, *Illud quod est certius quoad naturam* (id est, ex se, qualia sunt omnia quæ fide tenentur) *posse esse quoad nos minus certum, propter debilitatem intellectus nostri, qui se habet ad manifestissima secundum naturam, sicut oculi noctuæ ad lumen solis.* Exemplum sit hoc, Omnis homo resurget, Socrates est homo, ergo Socrates resurget: hic conclusio est *de fide*, licet minor sit euidens quoad rationem, & non de fide.

Hoc, si tu attente adverteris, facilè soluet Sophisma illud cui velut Herculeo ac plane inuincibili argumento innituntur homines, qui videri volunt valde arguti. Docent vti scis, doctissimi Theologi (et rectissime docent) posse fideles de sua electione certos esse: certos inquam *certitudine fidei*, Probatio eorum sic se habet. Qui credit, qui fratrem diligit, qui pœnitentiam agit, is iustificatus, sanctificatus, adeoque electus est. At ego (inquit fidelis) credo, fratrem diligo, & pœnitentiam ago, quare ego me iustificatum, sanctificatum, & electum esse non dubito. *Maior* illa certa est certitudine fidei; quia sacræ literæ hæc esse iustificati, sanctificati, & electi *requirunt*, liquido docent. *Minor* fideli certa est, sed *certitudine interni sensus & experientiæ.* Nam vt verissime ait, Aug. lib. 13. de Trin. ca. 1. *Fidem suam videt quisque esse in corde suo, si credit, vel non esse si non credit*, & lib. 8. de Trin. ca. 8. *Qui diligit fratrem, magis in ea videt dilectionem qua diligit, quam fratrem quem diligit.* Quid hic Sophistæ? Inclamant magno strepitu, nihil hinc aduersus ipsos probari. Quia etsi Maior ista concedatur esse *de fide* & in S. literis tradita (vt certe est) Assumptio tamen illa, non est *de fide certa*, nec vnquam e sacris literis (quod nos vtra fatemur; & omnino fatendum est) efficaciter concluli potest. Quare conclusio quæ ex his sequitur, non potest esse *de fide*, cum propositio quæ non est de fide, deterior sit & debilior ea quæ est de fide; & *Conclusio semper sequitur deteriorem partem.* Vide quam strenue Sophistæ arguant, & dum decipulas aliis tendunt, ipsi seipsos vel maxime decipiunt. Certe enim propositio quæ *certa est de fide*, quoad nos qui ratione ac sensu ducimur, in disserendo & ratiocinando, *deterior est & debilior illa quæ certa est & euidens de sensu & experientia, non autem de fide.* Dedi clarum exemplum, cui hoc aliud addam quod Sophistis omnibus os obstruat. Dixit Sp. S. Iohanni baptistæ. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, is est qui baptizat spiritu sancto.* Propositio sine dubio *certa de fide.* Assumpsit Iohannes, *Ego vidi Spiritum descendentem quasi colum-*

bam cœlo, & manſit ſuper eum (digito Chriſtum demonſtrabat.) Ex illa Maiori quæ eſt *certa de fide*, & hac Minori quæ erat *certa Iohannis ſed de ſenſu & viſu, non de fide*, infert concluſionem hanc certiſsimam *de fide*: *Ecce Agnus Dei ille eſt* (digito Chriſtum monſtrabat) *qui tollit peccatum mundi*. Infinita his ſimilia afferre poſſem. Sed nolo te hic diutius tenere. In his quæ dixi quatuor, & forſitan nonnullis aliis, vera eſt illa regula ore omnium celebrata: *Concluſio ſemper ſequitur deteriorem partem.*

7. Reg. *Reductio ſyllogiſmis convenit*, de qua quia plura declaranda ſunt, ideo illius tractationem in ſequens caput reſervamus.

CAP. XVI.

De Reductione Syllogiſmorum Categoricorum Communium.

Reductionis cognitio neceſſaria.

SEptimam regulam, de Syllogiſmorum Reductione poſuimus. Hanc ni ſi quis cognitam, & plane perſpectam habeat, mancus omnino erit: & inutilis in hac parte Logicæ. Hac velut Lydio lapide probantur ſyllogiſmi an veri ſint & legitimi. *Hoc enim omnibus ſyllogiſmis præter primos quatuor convenit, vt ad vnum ex illis quatuor reduci poſſint, ac debeant; vt ſic neceſſitas ſyllogiſtica quæ illis ineſt manifeſtetur.* Nam ſi vere reduci poſſint, ex eo certum eſt, formam illam ſyllogizandi rectam, ac legitimam eſſe: Sin reduci non poſſint, hinc certum eſt, eos pro ſyllogiſmis habendos non eſſe, nec vere eſſe. Quare monendi ſunt tyrones vt hic velut in palæſtra ſedulo ſe exerceant. Nam præterquam quod ipſorum ingenia hic (quaſi Cote) acuantur, certe ſi Reductionem aut ignorent aut negligant, (quod vel ipſorum, vel docentium culpa haud levi fieri ſolet) profecto in texendis ſyllogiſmis operam omnem ludunt.

Sunt autem de Reductione tria explicanda. Primo, *quid ſit Reductio*. Secundo: *quare aliqui Modi indigeant Reductione, alij non indigeant*: tertio, *quomodo cuiuſque Modi Reductio fiat.*

Reductio Syllogiſmi, quid. Reductio eſt, *Manifeſtatio quod concluſio in modo aliquo qui reducitur, neceſſario ſequitur ex illis præmiſſis.* Ita vſus reductionis non eſt, vt probatio in vllo Modo fiat neceſſaria, (nam *Modi omnes ſyllogiſmorum, neceſſario ex ſe concludunt*, aliter Syllogiſmi non eſſent) ſed vt neceſſitas illa quæ eſt adhuc obſcurior, per Reductionem fiat manifeſta & evidens.

Quod

Quod attinet ad secundum. Sciendum est aliquos *Modos* syllogismorum ita manifeste & evidenter concludere, vt ad alios evidentiores *Modos* reduci non possint, & hi dicuntur *Modi perfecti*, quia plenissima perfectio evidentiæ in illis sic elucet, vt maior desiderari nec possit nec debeat. Huius generis sunt solum quatuor modi, *Barbara, Celarent, Darij, & Ferio.* Alij modi necessario quidem concludunt, etiam tam necessario quam isti quatuor, sed *non concludunt evidenter*, nec necessitas illa consequentiæ manifesta est & evidens in illis, donec ad alium *modum perfectum* reducantur; & hi dicuntur *Modi Imperfecti*, quia non est in eis perfecta evidentia Consequentiæ. Huius generis sunt *omnes Modi omnium figurarum praeter illos quatuor iam nominatos*, ad quos alij omnes reducendi sunt. Hæc vtraque ab Arist. traduntur. 1. Prio. ca. 1 num. 10. & 11.

Modi perfecti quatuor.

Modi Imperfecti omnes praeter 4.

Vt hoc plenius intelligatur, advertendum est quæ sit Radix evidentiæ in Syllogizando. Radix autem evidentiæ in concludendo, est *dictum de omni*, & *Dictum de nullo*, quorum meminit Arist. 1. Prior. ca. 1. nu. 12. Recte Averroes, *Dictum de omni, & Dictum de nullo, Radix est & principium omnium Syllogismorum.* Recte etiam Zabar. lib. de quarta Fig. ca. 6. *Aristoteles*, inquit, *proposuit Dictum de omni, & de nullo, veluti Radicem omnium syllogismorum artificialium quos deinceps tradaturus erat.*

Radix evidentiæ quæ.

Dictum de omni hunc habet sensum, *quod quicquid affirmatur vniversaliter de aliquo, idem affirmatur etiam de omni de quo illud praedicatur.* Atque in hoc Dicto, aperte radicantur conclusiones in *Barbara*, & *Darij*. Nam quia maius extremum dicitur vniversaliter de Medio, & Medium dicitur de Minori extremo, vel vniversaliter vt in *Barbara*, vel particulariter vt in *Darij*, ideo vi *huius Dicti*, evidenter concluditur Maius extremum prædicari de Minori extremo.

Dictum de Omni, quid.

Dictum de nullo hunc habet sensum, *quod quicquid negatur vniversaliter de aliquo, idem negatur de omni cui illud attribuitur.* Atque in hoc Dicto aperte radicantur Conclusiones in *Celarent* & *Ferio*. Nam quia Maius extremum negatur vniversaliter de Medio, Medium autem attribuitur minori extremo vel vniversaliter vt in *Celarent*, vel particulariter vt in *Ferio*, ideo vi huius dicti evidenter concluditur maius extremum negari de minori.

Dictum de Nullo, quid.

Hinc nunc liquet, quare syllogismi in modis illis quatuor perfectis sint ex sese evidentes: quia *nimirum in illis omnibus exprimitur illa ipsa Radix evidentiæ.* Procedunt enim omnes per *Dictum de posse vt reduci, omni* aut *Nullo*, idque ordine naturali, ac maxime evidenti: quia primo accipiunt illud, quod vel vniversaliter negatur de *Medio*, & tum assumunt *Medium illud* attribui alteri tertio. Quo modo probandi nullus magis naturalis, magis evidens aut manifestus excogi-

Cur primi quatuor Modi non dicuntur alios reduci.

tari potest. Quare isti quatuor cum sint *modi manifestissimi*, ad alios reduci nullo modo possunt.

Cur aly omnes Modi reducantur.

Contra ſt in aliis *omnibus modis* præter istos quatuor. Nam in nullis eorum observatur naturalis ille ordo procedendi per *Dictum de omni*, aut *de Nullo*. Quippe in secunda figura *medium* nunquam est subiectum, ita vt aliud de ipso dicatur. In tertia *Medium* nunquam est prædicatum, ita vt ipsum de alio dicatur. In quarta vero invertitur plane *ordo naturalis*, & progressus per *Dictum de omni aut de Nullo*: quia *Medium* prius dicitur de *tertio*, quam de *Medio* dicitur primum. Ita in nullo modo istorum omnium, est *actu & expresse* dictum de Omni, aut de Nullo iuxta naturalem ordinem procedendi, sed solum *virtute ac potestate*. Atque hoc est quod verissimè ait Zabar. lib. citat. ca. 6 *Manifestum est*, inquit, *quod Dictum de omni & de Nullo, solum primam figuram continet, & quatuor eius Modos: alie autem figure* (ac Modi) *sub Dicto de omni & de Nullo non continentur, nisi ad primam reducantur.* Sic etiam Averroes, *Dictum*, inquit, *de omni ac de Nullo, est in prima figura actu, in aliis non actu sed potestate.* Ex quo perspicuum est, *Omnes alios modos cuiuscunque figure reductione ad illos quatuor indigere*, quia cum non sint ex se evidentes, per Reductionem fit vt evidentia probationis, quæ adhuc solum est in eis *virtute ac potestate*, acta appareat: quod tum demum fit cum ostenditur, & manifestatur probationes illas *radicari in dicto de omni, & de Nullo*, licet non *immediate* (vt in primis quatuor) tamen *mediate & per obliquum cursum.*

Fundamentum omnis Reductionis.

Restat tertium quod proposui, quomodo Reductio fieri debet, de quo quinque observanda sunt. Primum est, *Fundamentum omnis reductionis, est Axioma hoc cuius in reductione maximus est vsus. Quicquid necessario, euidenter, & immediate sequitur ex propositione vna, pluribusue, idem necessario sequitur sed obliquè, & mediate ex illis præmissis vnde illa propositio sequebatur.* Exempli gratia, ex his præmissis, Omne animal est viuens, & omnis homo est animal, sequitur, *directe & immediate*, ergo omnis homo est viuens, quæ est conclusio in *Barbara*. Ex hac vniuersali conclusione, per *regulam subalternarum* sequitur ista, *ergo aliquis homo est viuens*, quæ est conclusio in *Barագi* (Modus iste est in prima figura directe concludens.) Ex eadem vniuersali conclusione, sequitur etiam hæc per *Conuersionem per Accidens*, ergo *aliquod viuens est homo*, quæ est conclusio in *Baralip*. Quare ex illis ipsis præmissis in *Barbara* (quæ eædem sunt in *Barագi*, & *Baralip*.) per fundamentum ante dictum, *necessario* sequitur sed *obliquè & mediate*, tum conclusio in *Barագi* quam in *Baralip*,

Reductio duplex, Ostensiva & per impossibile.

Secundo observandum est, duplicem esse Reductionem. *Ostensivam, & per impossibile. Reductio Ostensiva* est, *quando vel per regulas subalternarum propositionum, vel per regulas Conuersionis, vel*

per

per Euenlamentum reductionis ante poſitum, vel per tranſpoſitionem præmiſſarum oſtenditur concluſio in aliquo modo imperfecto ſequi neceſſario ex ſuis præmiſſis. Nam his modis oſtenditur, & manifeſtatur illa euidentia quæ adhuc virtute ſolum ac potentiæ eſt in tali modo.

Reductio per Impoſſibile eſt, quando *aduerſarium proterum* (qui concedit præmiſſas in modo imperfecto veras eſſe, ſed concluſionem inde ſequentem veram eſſe non vult concedere) *cogimus incommodo, & cogimus fateri id quod eſt abſurdum, & impoſſibile* (vt euidenter docemus per modum perfectum) *niſi concedat concluſionem illam in modo imperfecto veram eſſe & ex præmiſſis ſequi.* Etſi vero omnes modi imperfecti poſſunt reduci *per Impoſſibile*, vt liquet ex Ariſt. 2. Prior. ca. 14. nu 3. & ex Zabar. in Tabulis ſuis in libros Prior. pa. 60. & ſeq. tamen quia talis *Reductio* eſt valde obliqua & obſcura, ideo *in nullis modis* hac vtimur, niſi tantum duobus, *Baroco*, & *Bocardo*, qui aliter reduci non poſſunt. In reliquis omnibus ſpreta reductione *per Impoſſibile* vtimur *Oſtenſiua*.

Quomodo Reductio fiat.

Tertio obſeruandæ ſunt literæ Modorum *Capitales*, ſeu *Initiales*, nam *Modi omnes imperfecti* qui incipiunt a B, reducuntur ad *Barbara*; omnes qui a C, ad *Celarent*; omnes qui a D, ad *Darij*; omnes qui ab F, ad *Ferio*.

Quarto obſeruandum eſt vt recte, imo *accurate ſyllabæ omnes in Modis imperfectis diſtinguantur, ita vt Conſonantes debitæ, cuique propoſitioni tribuantur.* Hoc niſi fiat, reduci nullus modus recte vnquam poterit. Et quidem in nonnullis vix errari poteſt, hi ſunt, quos ſic diſtinguere oportet. Ceſ-a-re Diſ-a-mis. Da-tiſ-i. Fe-riſ-on Sunt enim hæ conſonantes ſic diſtinctæ, inſtar fili, quod te in reductionis labyrintho ducat & reducat.

Quinto vſus harum quatuor Conſonantium cum in medio occurrunt obſeruandus eſt, S. P. M. C. Nam cuicunque propoſitioni vllius *modi imperfecti* præfigitur S. notat illam propoſitionem in reductione *conuertendam eſſe Simpliciter*, Cuicunque P. præfigitur, notat quod illa propoſitio in reductione *conuertenda eſt per accidens*, ſi ſic converti poteſt; ſi vero non poteſt ſic converti, tum eius *Conuerſa illius loco accipienda eſt in reductione*, quod in *Bacalip.* vſu venit. Litera M. vbicunque ponitur in vllo modo, notat præmiſſas illius ſyllogiſmi in *reductione tranſponendas eſſe*, & mutandas vnam in locum alterius. C. tantum in duobus modis inuenitur, *Baroco*, & *Bocardo*, & notat illos modos reducendos eſſe *per impoſſibile*, non autẽ *oſtenſiue*. Iſta his tritis verſiculis declarantur.

Simpliciter verti vult S. P vero *per Acci.*
M. vult *tranſponi*. C *per impoſſibile* duci.

Eædem hæ Consonantes eandem plane vim, & vsum habent in reductione eorum modorum qui ab Arist. omissi sunt, cuiuscunque demum sint figuræ. In nonnullis autem ipsorum littera G occurrit, vt in *Baragi*. Hæc autem notat propositionem *subalternantem in reductione substituendam esse loco subalternatæ*: quia ex subalternante subalternata sequitur.

Nihil iam reliquum est, nisi vt tyrones se in reducendis syllogismis sedulo exerceant. Nam obseruatis his quinque monitis, quemuis *modum imperfectum* recte poterunt reducere. Nos vno exemplo eoque difficillimo e quarta *figura* selecto, præibimus ei, & formam ipsam reducendi indicabimus.

In prima figura sumo *Frisesom*, qui est ab Arist. omissus: concludit autem *indirecte*. Syllogismus reducendus sit hic.

Reductio Modi Frisesom.

Fris Quidam homo est animal,
es nullus lapis est homo,
om. ergo quoddam animal non est lapis,

Vt manifestem hanc conclusionem ex his præmissis necessario sequi, sic eum reduco.

Ex Minore posita quam sumo loco Maioris,
sequitur per *simplicem Conuersionem* —— Fe. Nullus homo est lapis.
Ex Maiore posita quam sumo loco Minoris,
sequitur etiam *per simplicem conuersionem*, ergo —— ri, quoddam animal est homo.
At ex his duabus sequitur euidenter &
directe in Ferio. —— —— ergo quoddam animal non est lapis.

Quare cum conclusio ista in *Frisesom* immediate & euidenter per *Dictum de Nullo* sequatur ex præmissis in *Ferio*: eamque illæ præmissæ in *Ferio*, immediate, necessario & euidenter per *regulas Conuersionis* sequantur ex præmissis in *Frisesom*, certe conclusio illa ipsa in *Frisesom* (quæ eadem plane est cum conclusione in *Ferio*) necessario sed *mediate & oblique* sequitur ex præmissis in *Frisesom*. Nam per fundamentum reductionis ante positum, *quicquid sequitur immediate ex vllis propositionibus, idem sequitur necessario sed mediate ex præmissis vnde illæ propositiones sequebantur.*

Reductio Modi Camestres.

In secunda figura accipio *Camestres*, Syllogismus sit hic.

Ca Omnis homo est animal,
mes nullus lapis est animal.
tres. ergo nullus lapis est homo.

Cor-

Concluſionem hanc ex iſtis præmiſſis neceſſario ſequi ſic oſtendo.

Ex Minore poſita (quam ſumo loco Maioris) ſequitur per *Converſionem ſimplicem* —— ergo (Ce) Nullum animal eſt Lapis.

Ex hac, cum Maiore poſita, nempe —— la, omnis homo eſt animal.

Sequitur immediate, & euidenter in Celarent —— rent. Ergo nullus homo eſt lapis.

Quare per fundamentum Reductionis hæc eadem Concluſio, videlicet, nullus homo eſt lapis, ſequitur ex præmiſſis in *Cameſtres*. At ex hac concluſione, nullus homo eſt lapis, ſequitur per *ſimplicem Converſionem*, ergo nullus lapis eſt homo, quæ eſt Concluſio in *Cameſtres*: quare certum eſt eandem hanc concluſionem ſequi neceſſario ex præmiſſis in *Cameſtres*, ſed *mediate*, nimirum *Mediantibus Converſionibus illis iam dictis*.

Reductio Modi Bocardo.

In tertia figura ſumo *Bocardo*. Syllogiſmus ſit hic.

Bo Quidam homo non eſt lapis.
car omnis homo eſt animal.
do. ergo quoddam animal non eſt lapis.

Reducitur hic modus *per Impoſſibile*, in hunc modum. Aduerſarius protervus concedit Maiorem & Minorem eſſe veram, ſed Concluſionem inde collectam non vult concedere veram eſſe. Cui ita dico. Si, vt tu ais, hæc concluſio ſit falſa, Quoddam animal non eſt lapis, ergo eius Contradictoria erit vera, Omne animal eſt lapis. Annuente illo, ego ita in *Barbara* diſputo.

Bar Omne animal (ſic tu ais) eſt lapis.
ba omnis homo eſt animal.
ra. ergo omnis homo eſt lapis.

Tum dico, Ecce, Concluſio hæc in *Barbara* eſt manifeſte falſa, quare neceſſe eſt vnam ex præmiſſis his falſam eſſe, per regulam quintam Syllogiſmorum cap. 15. At hæc Minor non eſt certe falſa, Omnis homo eſt animal. Annuit ille. Ergo Maior iſta, omne animal eſt lapis, eſt ſine dubio falſa. Quod ſi illa falſa ſit, tum eius contradictoria (quæ erat Concluſio in *Bocardo*,) eſt ſine dubio vera, nempe quoddam animal non eſt lapis. Aduerſarius eum ſe videt ad hoc incommodum adduci, vt aut concedat concluſionem illam in *Bocardo* veram eſſe & ex illis præmiſſis ſequi, aut fateatur Concluſionē aliam in *Barbara* (quæ eſt impoſſibilis & abſurdiſſima) veram eſſe, vt vitet hoc poſterius incōmodū, quod euidenter ſequitur

&

& necessario, cessat tandem proterue agere, & victus agnoscit Conclusionem illam in *Bocardo* veram esse, & necessario ex illa præmissis sequi.

Addam vnicum exemplum in *quarta figura*, vt qualis sit illic in syllogismis necessitas appareat. Accipio modum qui vocatur *Fesapo*, quique directe concludit. Syllogismus sit hic.

Fes Nullus lapis est homo.
ap- omnis homo est animal.
o. ergo quoddam animal non est lapis.

Conclusionem hanc, ex his præmissis *necessario* sequi ita per reductionem ostendo.
Ex Maiori posita, sequitur per
Conuersionem simplicem, ergo —— Fe. Nullus homo est lapis.
Ex Minore posita sequitur per
Conuersionem per accidens, ergo —— si. quoddam animal est homo.
Ex his *immediate, directè & euidenter* sequitur hæc conclusio in *Ferio* —— o. ergo quoddam animal non est lapis.

Quare cum ista Conclusio (quæ eadem est omnino in *Fesapo*) sequatur *euidenter & immediate* ex præmissis in *Ferio*, cumque præmissæ in Ferio, sequantur immediate & euidenter *per regulas Conuersionum* ex præmissis in *Fesapo*, sine dubio conclusio etiam ista in Fesapo sequitur *necessario* sed *mediate*, ex illis ipsis præmissis in *Fesapo*. Nam per *fundamentum* reductionis, *quicquid sequitur immediate & necessario ex vna aut duabus propositionibus, idem sequitur necessario, sed mediate ex illis præmissis vnâ ista propositiones sequebantur.*

Hæc est germana & genuina ratio *reducendi* syllogismos. Nam quod vulgus logicorum (non sine magna escitantia ne dicam inscitia) facere solet, vt cum reducant *modum aliquem imperfectum*, nihil aliud omnino conentur nisi vt ex eisdem terminis qui sunt in *Fresom, Camestres* aut alio modo imperfecto, contexant syllogismum in *Ferio, Celarent*, aut alio modo perfecto, istud certe ad *reductionem* ne gry quidem valet. Etenim dum hoc faciunt, nouos syllogismos cudunt, sed *necessitatem Consequentiæ* quæ est in modis imperfectis (quod solum est Reductionis munus) non omnino manifestant, nec sane alio modo, quam ex eo quem iam explicaui, manifestari potest. Sed de Reductione hæc satis multa.

Cap.

Cap. XVII.

De Syllogiſmo Categorico ſingulari.

Hucuſque egimus de *Syllogiſmo Categorico Communi*. Sequitur nunc altera ſpecies *Syllogiſmi Categorici*, quæ eſt *Syllogiſmus ſingularis*: de eo tria explicanda ſunt. Primo *quid ſit*. Secundo *quomodo formetur*. Tertio *quæ eius proprietates*.

Syllogiſmus ſingularis quid.

Syllogiſmus Categoricus ſingularis eſt, *Syllogiſmus Categoricus, in quo ambæ præmiſſæ ſunt ſingulares propoſitiones*. Nam ſi vna ſolum propoſitio ſit ſingularis, ſyllogiſmus erit communis non ſingularis.

Materia Syllogiſmi Singularis.

Quod ad ſecundum attinet, Formatio huius ſyllogiſmi, facile ex eis quæ de *Syllogiſmo communi* dicta ſunt, intelligitur. In plurimis enim conueniunt. *Materia illius remota* ſunt tres termini, *propinqua* ſunt tres propoſitiones Categoricæ.

Figuræ in Syllogiſmis Singularibus.

Ad *Formam* eius itidem tria ſpectant. Primum eſt *figura*, quæ oritur *ex diuerſa diſpoſitione Medij*. Medium autem quatuor Modis diſponitur vel *Sub, præ*, & tum eſt prima figura; vel *bis præ*, & tum eſt ſecunda figura; vel *bis ſub*: & tum eſt tertia figura, vel *præ, ſub*: & tum eſt quarta figura. Hic vero obſeruandum eſt, quartam figuram in Syllogiſmis ſingularibus æque vſitatam eſſe & *æque naturalem*, ac primam: & ratio eſt quia cum præmiſſæ ambæ ſunt ſingulares, non omnino refert, quæ alteri præponatur, neutro enim modo inuertitur ordo naturalis. Ex omnibus autem *figuris*, ſyllogiſmi ſingulares frequentiſſime fiunt in tertia: quia *Medium* ſæpiſſime in his eſt ſingulare. Singularia autem amant ſubijci, potius quam prædicari. Vt magis proprie dicimus: Socrates eſt doctus, quam aliquid doctum eſt Socrates.

Ordo concludendi in Syllogiſmis Singularibus.

Secundum ad *formam* ſpectans eſt *ordo concludendi*, is itidem duplex eſt; nam alij ex his concludunt *directe*, ita vt minor terminus ſit ſubiectum, maior prædicatum. Alij *indirecte* vbi maior terminus ſubijcitur, & minor prædicatur in Concluſione.

Modi Syllogiſmorum Singularium.

Tertium ad *Formam* ſpectans, eſt *Modus*. *Modi autem hic ſunt tam affirmatiui quam negatiui, tam cum concluſio eſt ſingularis, quam cum eſt particularis; tam cum directe quam cum indirecte concluditur*. Et quidem facile fuit, his *diuerſis Modis* ſyllogizandi, diuerſa nomina confingere. Sed quia ratio concludendi in his ſyllogiſmis eſt valde facilis, & cuiuis obuia, non eſt viſum operæ pretium in iſtis immorari.

Hæc omnia tam ad *Materiam* spectantia, quam ad *Formam*, ex subiectis exemplis facile est conspicere.

In prima figura directe	Aristides est vir iustissimus is quem tu vides est Aristides ergo is quem tu vides est vir iustissimus.
In secunda directe	Socrates est deformis corpore Plato non est deformis corpore ergo Plato non est Socrates.
In tertia directe	Homerus fuit cæcus Homerus fuit eximius poeta ergo aliquis eximius poeta fuit cæcus:
In quarta directe	Is a quo Logicam & philosophiam debes discere, est omnium Logicorum & philosophorum præstantissimus. Logicorum & philosophorum omnium præstantissimus est Aristoteles. Ergo Aristoteles est is a quo Logicam & philosophiam debes discere.

Et hi vt vides omnes syllogismi *directe concludunt*. Cæterum in quauis figura possunt syllogismi *indirecte concludere*. Nam si mutes terminos Conclusionis, hi omnes syllogismi *indirecte* concludent: nec minus vere & syllogistice quam si *directe*; nam ex præmissis illis in tertia figura tam vere sequitur, ergo aliquis cæcus fuit eximius poeta, quam sic, ergo aliquis eximius poeta fuit cæcus.

Dub. Sed quare Aristoteles de hoc Syllogismo singulari nihil tradit. Nam *hunc ab alijs reiectum, ab Aristotele vero plane neglectum*, dicunt illi, * qui laudem huius Syllogismi suo Ramo vendicare solent. Vtinam vero Ramus non turbasset hic omnia, nouis vocibus, nouo ordine, nouis commentis, nouis omnibus. Sed quam ille, quantamque laudem mereatur, indicat tibi Iustus Lipsius epist. 89. Centur. 1. *Iuuentus nostra a me hoc audiat, Nunquam ille magnus erit, cui Ramus est magnus.* Indicat iterum vir ille, doctrinâ & ingenio nulli sua ætate secundus, R. Howkerus lib. 1. de Eccles. Polit. sect. 6. vbi Rameam disciplinam graphice describens, ait, *Artem esse, quæ triduo tam belle te argutari instruat quam ter triennio: quæque ne nimium doctus euadas, cauet sedulo ac coerceat.* Verè in hunc ramum quadrat, *laurigeri nulli pauci Phœbi*: sed mitto Ramum. Putasne Aristotelem hanc syllogizandi formam ignorasse? Audi Zabar. lib. ante cit. cap. 7. *Non ignorauit Arist. huiusmodi Argumentationem.* (Singularem) *sed ipse vsus est.* Vere quidem: vsus enim est, & sæpe sæpius. Adi lib. 1. Prior. cap. 6. nu. 6. illic *Expositione* (vt ipse ibidem vocat) id est, *expositorio syllogismo* vtitur. & probat τὸ ρ (puta animal)

* *Com. in Ram. ante cit. lib. 2. cap. 10 pag. 670. & 671.*

animal) alicui ᵛ (puta rationali) ineſſe, quia vtrumque eorum ineſt ⁿᵒ (puta Socrati qui eſt individuum ᵛᵍᵉ, id eſt, hominis; ratio eius ita formatur in tertia figura.

Socrates eſt animal,
Socrates eſt rationalis,
Ergo aliquod rationale eſt animal.

Et clarius adhuc lib. 2. Prior. cap. 27. nu. 5. vbi hunc ſyllogiſmum texit.

Pittachus eſt probus.
Pittachus eſt ſapiens,
ergo aliquis ſapiens eſt probus.

At præcepta, inquies, de hoc ſyllogiſmo nulla tradidit; fateor, idque triplici de cauſa. Primo quia ratio formandi tales ſyllogiſmos facillima eſt. Ille autem inſtar aquilæ non capiebat muſcas ſed in arduis verſari amabat. Secundo quia in ſcientijs tradendis vix vllus huius ſyllogiſmi vſus eſt. Nam ſcientiæ omnes vniuerſalia conſiderant, & ex vniuerſalibus colligunt ſuas Concluſiones, ideoque procedunt per *Dictum de omni & de Nullo*, vt ante oſtenditmus. At in *ſyllogiſmo ſingulari*, vniuerſalia nulla ponuntur, ſed vel ſingularia, vel particularia, & ex his colligunt concluſiones *particulares* ſolum vel *ſingulares*; atque ita non procedunt de *per Dictum de omni & de nullo*. Ariſtoteles igitur qui ſuam Logicam inſtrumentum ſcientificum eſſe voluit, de hoc *ſingulari ſyllogiſmo*, minus fuit ſollicitus. Tertio, quia ſyllogiſmus hic ſingularis non tam *probationem* continet quam *expoſitionem eius quod concluditur*; vnde Ariſt. loco citato expreſſe vocat *Expoſitionem*, & vulgo *ſyllogiſmus expoſitorius* vocari ſolet. Exponitur enim vnum ſingulare aut particulare per aliud ſingulare. Quæ autem proprie probationes dicendæ ſunt, *ex vniuerſali aliquo noto*, colligunt concluſionem aliquam ignotam. *Dub.* *Sol.*

Sed difficultas hic maior exoritur. Nam omnis Ratiocinatio & rationalis diſcurſus, fundatur in *Dicto de omni aut Nullo*, vt ex Ariſt. ante diximus, cap 16. Quare omnis ſyllogiſmus inniti debet alicui vniuerſali propoſitioni. Cum igitur *ſyllogiſmus ſingularis*, tali vniuerſali non innitatur, videtur non omnino pro ſyllogiſmo habendus. *Dub.*

Reſpondeo, in omni diſcurſu rationali, ideoque in omni ſyllogiſmo eſſe *Dictum de omni aut de Nullo*, ideoque vniuerſalem aliquam propoſitionem vel *actu & expreſſe*, vt ſemper fit in Syllogiſmo communi, vel *virtute, implicite, & originaliter* vt in Syllogiſmo ſingulari. Sunt enim in Syllogiſmo omni ſingulari, *duo proceſſus*. Cum concluſio eſt affirmatiua, tum prior proceſſus eſt hic aut ſimilis. *Sol.*

similis. *Quæcunque conueniunt in aliquo tertio conueniunt inter se*, id est, quandocunque duo aliqua de vno tertio dicuntur, illa etiam de se aliquo modo dicuntur. At Petrus duo ista conueniunt, esse probum & esse sapientem, quare duo ista conueniunt inter se & de se inuicem aliquo modo dicuntur. Iam *Maior* huius processus præcognoscitur, & pro præcognito supponitur in *Syllogismo singulari*, ideo illius non fit expressa mentio. *Minoris* autem probatio seu potius *declaratio & expositio* exprimitur in præmissis syllogismi singularis in secundo processu: quia de eo solum dubitatio esse potuit. Conclusio autem colligitur ex *vtroque processu*; sed ex secundo sequitur *actu*, ex prioti *quoad virtutem & potestatem*. Idem fit in syllogismo singulari negatiuo. Nam in isto prior processus est hic aut similis. *Quæcunque differunt in aliquo tertio, differunt etiam inter se*, id est, Quicunque vnum aliquod ineſt aut conuenit, quod alteri non ineſt, aut conuenit, illa differunt inter se, ita vt vnum non sit alterum. At Socrati aliquid ineſt aut conuenit, quod Platoni non ineſt aut conuenit. Ergo Socrates differt a Platone, & non est Plato. Huius primi processus *Maior*, vt præcognitum omittitur: & in secundo processu *Minoris* probatio vel potius *explicatio & expositio* proponitur in præmissis syllogismi singularis hoc modo; Socrates est deformis corpore, Plato non est deformis corpore. Conclusio verò quòd Socrates non sit Plato, innititur vtrique processui, sed prior *virtute solum & radicaliter* ibi continetur; secundus *actu & expresse* ponitur. In hoc autem capite, nihil egimus de priori processu, in quo est vniuersalis propositio, & *Dictum de omni aut de Nullo*, sed solum de secundo processu. In eo autem est vniuersalis propositio seu *Dictum de omni aut Nullo*, non actu sed potestate, & quoad *radicem & originem* discursus. Cuicunque autem syllogismo ineſt propositio vniuersalis, seu dictum *de omni aut Nullo* vtrouis modo, ille vere syllogismus est, & discursus rationalis.

Proprietas Syllogismi Singularis.

Proprietas *Syllogismi singularis* non est alia, quam quòd *in declaratione & Expositione frequentissimus sit illius vsus*. Estne hic tuus equus? Non; nam meus est niger hic vero est albus. Estne hic homo vir iustus? Est; nam hic est Aristides, & Aristides est vir iustissimus, & infinita sunt huius generis.

Atque hæc de *Syllogismo singulari*, adeoque de omni *Syllogismo categorico*, siue sit *Communis*, siue *singularis*.

Cap.

Cap. XVIII.

De Syllogiſmo Hypothetico.

SEquitur Syllogiſmus *Hypotheticus*, quæ eſt altera Syllogiſmi ſpecies. De hoc agit Ariſt. 1. Prior. cap. 29. nu. 5. & ſeq. vt recte obſeruat Iul. Pacius in eum locum. Vt mihi mirum videatur Rameos aliquos (Com. in Pet. Ram. Dial. lib. 2. cap. 13. pag. 713.) voluiſſe dicere, *Ariſtotelem non agnouiſſe vel certe non cognouiſſe Syllogiſmum compoſitum*, id eſt, Hypotheticum. Nam eum & ex profeſſo tractat, & ſæpe vtitur in ſuis ſcriptis: & Ramus ipſe Schol. 7. 12. Ariſt. hoc ſyllogiſmo vſum eſſe, aperte profitetur. Pauca vero de eo tradit, partim quia facilior eſt huius ſyllogiſmi intelligentia: & præcipuè quia ex eis quæ de *Categorico* copioſe tractauit, Hypothetici cognitio peti poſſet. Nos ea quæ ille in anguſtum arctauit vberius proponemus. Tria vero de eo explicanda ſunt. Primo *quid ſit*. Secundo *quotuplex ſit* ſeu quot illius ſpecies. Tertio *qui ſint cuiuſque ſpeciei Modi*. *Hypotheticus Syllogiſmus Ariſtotelis cognitus.*

Syllogiſmus hypotheticus eſt *Syllogiſmus in quo vel omnia vel vna ſaltem præmiſſarum eſt propoſitio hypothetica*. Ex eo quod Syllogiſmus ſit, liquidò conſtat, concluſiones omnes quæ per hunc *Syllogiſmum hypotheticum* probantur, tam neceſſario ex ſuis præmiſſis ſequi, quam ſequuntur Concluſiones in *Syllogiſmo Categorico*. Nam hoc in ipſa natura ac definitione ſyllogiſmi in genere, ponitur, vt *Concluſio ex præmiſſis neceſſario ſequatur*. Quare quod nonnulli poſtulare ſolent, & propemodum imperare, vt illi quibuſcum diſputant Categorice concludant, aut Categorico ſyllogiſmo vtantur, iniquum omnino flagitant. Nam cum hic verè ſyllogiſmus ſit, cur eum repudiant? Cumque in hoc tam neceſſariò Concluſio inferatur, quam in Categorico, cur hunc præ illo deſiderent? Præterea, ſunt nonnullæ propoſitiones probandæ ac concludendæ, quæ in nullo Categorico Syllogiſmo concludi poſſunt. Tenta *Categorico Syllogiſmo* hanc concludere, Si nullum animal ſentit, omnis homo eſt cæcus: aut hanc, Si mundus habuit initium, tum Ariſt. non eſt in omnibus defendendus. Fruſtra certe te fatigas. Hæ ſimileſque omnes nullo alio niſi Hypothetico ſyllogiſmo concludi vnquam, aut probari poſſunt. *Hypotheticus Syllogiſmus quid.*

Secundo loco videndum eſt *quotuplex ſit* hic Syllogiſmus. Sicut autem propoſitio hypothetica, ita etiam Syllogiſmus hypotheticus eſt triplex. *Conditionalis* nempe, *Copulatiuus*, & *Diſiunctiuus*. Nam *Tres ſpecies Syllogiſmi Hypothetici.*

quod Keker. lib. 3. ca. 13. *Copulativum syllogismum expungendum censet*, & eundem vt superfluum omittunt non Ramus solum, sed Zabar. in Tab in lib. Prior. non recte profecto faciunt: Est enim *Copulativus syllogismus* tam vere distincta species Syllogismi hypothetici quam vel conditionalis vel disiunctivus.

Conditionalis syllogismus, quid.

Conditionalis syllogismus *est syllogismus hypotheticus in quo vel amba vt (nonnunquam) vel (vt plerumque) vna præmissarum est propositio conditionalis.*

Copulativus, quid.

Copulativus, Syllogismus *est Syllogismus hypotheticus, in quo vna aliqua præmissarum est propositio copulativa.*

Disiunctivus, quid.

Disiunctivus syllogismus est *Syllogismus hypotheticus, in quo vna aliqua præmissarum est propositio disiunctiva.*

Modus Syllogismi hypothetici, quid.

Quid sit & quotuplex videmus. Nunc de *Modis Syllogismorum hypotheticorum* dicendum est: Modus autem eius est nihil aliud, *quam ipsa legitima forma Syllogismi hypothetici.* Nam figuræ hic nullæ quærendæ sunt, vt in syllogismo Categorico, & *per modum* indicatur tota forma huius syllogismi. De materia autem nihil attinet dicere, cum quivis sciat tres propositiones eius esse illius materiam, vti sunt in Categorico. Quare si *modos* scias, sufficit. Sicut autem in argumentatione Categorica sunt multi *modi invtiles*, in quaque figura, qui videntur quidem esse syllogismi, sed vere non sunt; quia forma ipsa concludendi in illis modis est vitiosa & inconsequens, quare eos aperte reijcit Arist. 1. Prior. ca. 4. 5. & 6. Itidem fit in hypotheticis Argumentationibus: Sunt in his aliqui *modi invtiles* & reiiciendi, qui videntur quidem esse syllogismi hypothetici, sed vere non sunt; quia forma ipsa concludendi in illis modis est vitiosa & inconsequens.

Modi vtiles quo modo ab Invtilibus discernendi.

Sed quonam pacto *modos vtiles* ab *invtilibus & vitiosis* discernemus in argumentationibus hypotheticis? Nonnulli asserunt eos solum modos in hypotheticis argumentationibus *esse vtiles & legitimos, qui ad Categoricos syllogismos reduci possunt, quia Categoricus, cum sit perfectior, est mensura hypothetici.* Cæterum hoc nullo pacto verum est. Nam etsi multi syllogismi hypothetici, & præsertim conditionales, ad Categoricos reduci possint, tamen neque *omnes conditionales*, neque vlli *copulativi* aut *disiunctivi* ad Categoricos reduci possint. Quare etsi *ex reductione* ad Categoricos, hypothetici syllogismi declarentur esse vere syllogismi, tamen hæc *reductio* nō est causa quare iúi vere syllogismi Sed causa huius est, *quia formantur iuxta legitimum modum Hypothetico tali syllogismo peculiarem*: eum enim vere *formam habent* syllogismi talis, ideoque legitimi sunt, sive reducantur ad Categoricos, sive non reducantur. Sed videamus quinam illi *modi* sunt hypotheticorum proprii, & declaremus hoc primo in *syllogismis conditionalibus*; secundo in *Copulativis*:

palativis: tertio in *Disiunctivis*.

Conditionalis syllogismi *septuagin'a modos* recenset Boethus: Vah! quis huius vnius generis syllogismorum tam immensum numerum ferre aut audire potest? *Ramus*, & qui eum sequuntur, *duos* tantum *agnoscit*. Sed nec ille verum numerum attingit. Nam *tres* sunt illius *modi* & res ipsa docet, & ratio evincit. Conclusio in prioribus duobus est Categorica, in tertio hypothetica. Fiunt autem in singulis *horum trium modorum*, syllogismi Conditionales, & affirmativi & negativi, & vniuersales & singulares, & in primis duobus, syllogismi reducibiles ad Categoricos. In tertia illi qui reduci non possunt: Hæ autem differentiæ non variant *modum concludendi*, & idcirco non faciunt *diversos modos*, sed solum diversos syllogismos in *eisdem modis*. *Conditionalis Syllogismi tres sunt modi.*

Primus modus in cõditionalibus est *cõstruitivus*; & modus arguendi est *a constructione antecedentis ad constructionẽ cõsequentis*: in eo enim alleritur & assumitur antecedẽs, ex eoq; cõsequens illius antecedẽtis, seu id quod necessario inde consequitur construitur, & concluditur. Innititur *hic modus* huic Axiomati & infallibili regulæ: *Si Antecedens in vlla conditionali propositione sit verum, tum consequens eius, seu id quod necessario ex eo antecedente consequitur, erit etiam verum*: vt, *Primus modus in Conditionali*

Si homo sit animal est viuens — Bir. Omne animal est viuens,
At homo est animal — ba Omnis homo est animal:
ergo homo est viuens — ra. Omnis homo est viuens.

& hic, Si mundus non sit æternus tum Aristoteles errauit,
At mundus non est æternus,
ergo Arist. errauit.

In his omnibusque similibus *construitur consequens ex antecedente*. Posterius autem exemplum reduci ad Categoricum non potest, & ratio est manifesta. Sunt enim in ea quatuor termini (quod in Syllogismo hypothetico sæpe vsu venit) at nunquam in vllo Categorico plures tribus esse possunt. Termini autem 4. sunt isti, 1. *mundus*, 2. *æternus*, 3. *Aristoteles*, 4. *errauit*. Quorum duo primi sunt in minori propositione, duo alii in conclusione, omnes autem quatuor in Maiori.

Secundus modus in conditionalibus est *Destruitivus*, & modus arguendi est *a destructione consequentis ad destructionem antecedentis*. Nam a negatione consequentis seu eius quod ex antecedente necessario sequitur, negatur in Conclusione & destruitur ipsum antecedens. Innititur hic *modus* huic Axiomati indubitatæ veritatis. *Si id quod necessario ex aliquo antecedente consequitur non sit verum, neque antecedens vnde sequebatur verum erit*: vt hic. *Secundus modus in conditionalibus Syllogismis.*

Si

Si homo sit lapis non est animal — Ce Nullum animal est lapis,
at homo est est animal ——— la Omnis homo est animal:
ergo homo non est lapis ——— ret. ergo nullus homo est lapis.

Hi duo Modi conditionalis syllogismi hoc versu explicantur,
Construit *An*, *Con*: sed contra, *Con*, destruit *Ante*.

Præter hos, (qui soli sunt legitimi modi conditionalis syllogismi, quando conclusio est Categorica) duos alios & vtrosque *modos* destructivos pro validis & legitimis ponit Zabar. in suis Tabulis ad lib. Prior. p. 75. Prior est *a positione consequentis ad positionem Antecedentis*: alter *a destructione Antecedentis ad destructionem consequentis*. At sine dubio in hoc errauit: & exempla quæ adducit non recte accomodantur: exemplum prioris est hic, quem esse infirmum reductio manifestat.

Si equus non sit animal, non est homo ——— Omnis homo est animal,
At equus non est homo ——— Nullus equus est homo:
Ergo equus non est animal ——— ergo nullus equus est animal.

Ecce hic *ponitur consequens*, & assumitur esse verum, quod equus non est homo, & inde *construitur antecedens* & concluditur esse verum, quod equus non sit animal, quæ ratio concludendi reducitur ad eum *modum* quem expresse reiecit Arist. quemque ponit vt primum modum *inutilem* in prima figura lib. 1. Prior. ca. 4. nu. 6. Zabarella autem errauit, cum hic syllogismum in hoc *modo* formavit.

Si non est animal, non est homo — Da Omnis homo est animal,
at est homo ——— ri hic est homo:
ergo est animal: ——— j. ergo hic est animal.

Etenim in hoc syllogismo, non arguis a *positione consequentis ad positionem antecedentis*, sed a *destructione consequentis ad destructionem antecedentis*. Nam consequens est hoc, *Non est homo*. Hoc autem in dicto syllogismo non ponitur, sed *tollitur*, quia eius contradictoria assumitur, *est homo*. Itidem antecedens est hoc, *non est animal*, quod non *ponitur* in conclusione sed plane *destruitur*, quia eius contradictoria asseritur, *Est animal*. Ita exemplum Zabarellæ reuera spectat ad secundum *modum* supra positum, et est validum: sed non spectat ad hunc *modum* a positione consequentis, ad positionem antecedentis, qui reuera est *inutilis*, etsi ab eo pro valido commendetur.

Idem

Idem dicendum de altero *modo*, qui est *a destructione Antecedentis ad destructionem consequentis*. Hic est etiam *inutilis* vt reductio declarat: exemplum huius *modi* est hoc.

Si equus non est animal, non est homo ——— Omnis homo est animal:
at equus est animal ——— Omnis equus est animal.
Ergo equus est homo ——— Ergo omnis equus est homo.

Ecce, antecedens in minori *destruitur*, quia eius contradictoria illic asseritur: eidem consequens *destruitur* in conclusione, quia illius contradictoria ibi asseritur. Esse autem vitiosum *modum* declarat reductio, nam reducitur ad eum Modum *inutilem* quem expresse reiecit Arist. 1. Prior. ca. 5. nu. 11. quia conclusio est affirmativa in secunda figura. Exemplum autem a Zabarella adductum, ad hunc *modum* non omnino spectat, est autem hoc.

Si non est animal, non est homo. — Ca mes — Omnis homo est animal,
at non est animal ——— Nullus lapis est animal:
ergo non est homo ——— tres Ergo nullus lapis est homo.

Non inquam huc spectat; nam hic non *destruitur* vel antecedens, vel consequens; sed vtrumque *asseritur*, prius in minori, posterius in conclusione: quare hic syllogismus vere legitimus est, & spectat ad primum *modum* ante a nobis positum: in quo arguitur *a Constructione antecedentis ad constructionem consequentis*. Reiectis igitur his duobus modis (quos doleo doctissimum Zabarellam pro legitimis probasse) relinquitur non esse *alios Modos syllogismi conditionalis*, quam duos illos a nobis positos, quando conclusio est Categorica.

Tertius modus in conditionalibus est, *quando conclusio* (ideoque amba praemissa) *sunt propositiones conditionales; in quo quia ex primo consequente* (quod ponitur in maiori) *sequitur aliud consequens* (quod ponitur in minori) *ideo concluditur, hoc posterius consequens sequi ex primo Antecedente*. Regula cui hic *modus* innititur est haec, quam ante posui, ca. 17. *Quicquid sequitur immediate ex vlla propositione, idem sequitur mediate ex ea aut iis vnde illa sequebatur*, vt hic. *Tertius modus in conditionalibus Syllogismus.*

Si Socrates sit homo, est animal,
si sit animal, est viuens:
ergo si sit homo, est viuens.

et hic. Si mundus non sit æternus, tum Arist. errauit.
Si Arist. errauit, non est in omnibus defendendus:
ergo si mundus non sit æternus, Arist. non est in omnibus defendendus.

Prior modus Syllogismi copulativi.

Hæc de *Modis Syllogismi Conditionalis*. Sequuntur modi Syllogismi copulativi. Et quidem huius sunt *duo Modi*, sed prior per omnia *formam habet Syllogismi categorici, & in omni figura ac modo formari potest*. In hoc solum ab eo differt, quod in *Syllogismo copulativo*, sunt duæ semper propositiones copulativæ: illæ tamen speciem præ se ferunt propositionum Categoricarum; ideo Syllogismi ex his contexti in omnibus formam sequuntur syllogismi Categorici: talis est iste.

Bar Omne animal habet gustum & tactum,
ba Omnis homo est animal:
ra. ergo omnis homo habet gustum & tactum.

Etsi vero hic, & omnes similes *hypothetici syllogismi copulativi sint*, quia in eo sunt semper duæ propositiones copulativæ, tamen quia *formam* omnino habent syllogismorum Categoricorum, ideo pro Hypotheticis a paucis censentur. Ego hoc monuisse vno verbo satis duxi.

Secundus modus Syllogismi copulativi.

Secundus Modus Syllogismi copulativi sequitur formam Hypothetico syllogismo propriam: is est, *cum positione vnius partis propositionis Copulativæ, tollitur altera siue vna sit, siue plures.* Syllogismi autem omnes huius *modi*, qui legitimi sunt, *concludunt negative*, vt hic.

Homo non est & rationalis & irrationalis,
at est rationalis:
ergo non est irrationalis.

A *negatione* vero vnius partis ad *positionem* alterius, non valet consequentia: vt hic.

Socrates non est & lapis & leo,
sed non est lapis,
ergo est leo.

Non inquam valet, quia neutra pars propositionis copulativæ de Socrate affirmatur, & tamen vera est propositio copulativa, quia *si vlla vna pars Copulativæ sit vera, propositio est vera*, multo magis, si amb-

ambæ sint veræ, vt in exemplo posito. Euenit quidem nonnunquam, vt sic verum concludatur, sed hoc fit, non vi *formæ syllogisticæ*, sed ratione materiæ, quia illa copulativa propositio quam accipis, est talis vt altera pars semper conueniat subiecto, altera semper negetur: vt hic.

Homo non est & animal & planta,
at non est planta:
ergo est animal.

Vera quidem est conclusio, *ratione materiæ*, quia homo vere est animal, & planta esse non potest. Sed vbi copulativa propositio est in *materia contingenti* non autem in necessaria, *hic modus arguendi affirmative*, non valet. Is autem *modus* qui in vllo fallit, non est vtilis aut legitimus.

Sequuntur *Modi syllogismi disiunctivi*. Hi etiam *duo sunt*. Prior per omnia *sequitur formam Syllogismi categorici*, & *in quavis illius figura ac modo formari potest*: in hoc solum differt, quod in hoc duæ propositiones sunt hypotheticæ disiunctivæ: vt hic. *Prior modus Syllogismi Disiunctivi.*

Omne animal est vel rationale vel irrationale,
Socrates est animal:
ergo Socrates est vel rationale vel irrationale.

Secundus modus Syllogismi Disiunctivi sequitur formam Disiunctivo syllogismo propriam, & est, *Cum a negatione vnius aut pluriũm partium disiunctiuæ propositionis, vna altera pars ponitur & concluditur.* Ideo omnes syllogismi disiunctivi, *affirmativi sunt*, & *affirmative concludunt*: vt hic. *Secundus modus Syllogismi Disiunctivi.*

Homo vel est animal, vel planta,
at homo non est planta:
ergo est animal.

vt hic Homo vel est lapis vel non lapis,
at homo non est lapis.
ergo est non lapis.

Scio Ramum lib. 2. ca. 16. eiusque sectatores, nec non & Zabar. in suis tabul. in lib. Prior. pa. 58. alium adhuc Syllogismi disiunctivi *Modum* addere, nempe *cum a positione vnius partis concluditur negatio alterius*, sic vt syllogismi isti sint negativi, & negative concludant: vt hic.

Homo vel est rationale vel irrationale,
at est rationale:
ergo non est irrationale.

Sed sine dubio hic arguendi *modus* est *inutilis & inconsequens*. Nam etsi aliquando eueniat vt conclusio in hoc *modo* sit vera, tum scilicet quando propositio est *in Materia necessaria*, sic vt vna disiunctionis pars semper subiecto conueniat, altera nunquam (quod fit in exemplo allato,) tamen hoc fit *ratione Materiæ*, non autem *ratione formæ syllogisticæ*. Nam si sequeretur *ratione formæ*, valeret consequentia in *omni materia*, at in *materia contingente* non est valida: vt hic.

Socrates vel est vir doctus vel probus,
at est vir doctus:
ergo non est vir probus.

Non valet consequentia, quia potest esse, ac vere fuit & vir doctus & probus. Et quidem, si rem serio perpendas, videbis hunc & similes omnes syllogismos, quos illi huc referunt, vere & quoad sensum *Copulatiuos esse*, non *Disiunctiuos*. Nam conclusio in illis non sequitur ratione *disiunctionis*, sed quia vna tantum illius pars subiecto conuenit, non vtraque: sic igitur formandæ sunt.

Socrates non est & vir doctus & probus: hoc est si disiunctiue proferre placet, vel est tantum vir doctus, vel tantum vir probus,
at Socrates est vir doctus:
ergo non est vir probus.

Hic autem syllogismus vere, & quoad sensum *copulatiuus est secundi modi* quem supra posui. Quare *certum est legitimos omnes syllogismos copulatiuos negatiue, Disiunctiuos vero omnes affirmatiue solum concludere.*

Sed hæc satis multa de *Syllogismo Hypothetico*, adeoque de omni *Argumentatione perfecta* (quæ Syllogismus vocatur) siue *Categorica* sit, siue *Hypothetica*.

Cap.

Cap. XIX.

De Enthymemate.

Sequitur nunc *Argumentatio imperfecta*. Ea definitur esse *Argumentatio qua ad Syllogismum veluti ad perfectum argumentationis genus, & aliarum omnium regulam revocari potest ac debet.* Huius sunt quatuor species, *Enthymema, Inductio, Exemplum*, & *Sorites*, de quibus paucis. *Argumentatio Imperfecta.*

Enthymema est *Argumentatio imperfecta, in qua ex unica præmissa infertur conclusio*: altera vero præmissa non exprimitur, sed mente reservatur, ideoque *Enthymema* vocatur, quasi ἐν θύμῳ, quia una præmissarum subintelligitur, & mente gestatur. De hoc agit Arist. lib. 2. Prior. ca. 27. Si vero illa quæ subintelligitur exprimatur, tum fit *perfecta argumentatio & Syllogismus*, vt hic. *Enthymema quid.*

Socrates est animal,
ergo est viuens. Adde istam *Maiorem*, Omne animal est viuens, & est *Syllogismus communis in Darij*.

Itidem hic: Socrates est philosophus, ergo aliquis Atheniensis est philosophus. Adde istam *Minorem*, Socrates est Atheniensis, & est *Syllogismus singularis in tertia figura*.

Itidem hic. Socrates non est brutum: ergo est homo. Adde istam *maiorem*, Socrates vel est brutum, vel est homo, & est *Syllogismus Hypotheticus disiunctivus secundi modi*.

Hinc liquet in *Enthymemate*, aliquando subintelligi *Maiorem propositionem*, aliquando *Minorem*: quando autem hæc, & quando illa intelligitur, etsi facile discernas, sic tamen paucis explicari potest. Supponendum est in *Enthymemate quovis* Conclusionem directe inferri, sic vt Maior terminus sit in ea *prædicatum*, & Minor terminus *subiectum*: Quia hæc arguendi ratio est maxime naturalis & prompta. Iam hoc supposito, *Si subiectum conclusionis in Enthymemate hic exprimatur*, tum deest *maior propositio*: vt in primo exemplo. *Si vero prædicatum conclusionis hic exprimatur*, tum deest *Minor propositio*: vt in secundo.

Si Enthymema reuocetur ad syllogismum hypotheticum, tunc vt opinor, *semper subintelligitur Maior propositio*, vt in his, Est dies, ergo sol lucet in nostro hæmispherio. Socrates est homo, ergo non est brutum; homo non est planta, ergo est animal. Hæc omnia Enthymemata reuocantur ad syllogismum hypotheticum, & in omnibus subintelligitur *Maior propositio*, quæ si addatur, ex primo Enthymemate fit *Syllogismus Conditionalis*; ex secundo *Copulatiuus*, ex tertio *disiunctiuus*. Atque hæc de Enthymemate satis multa.

Cap. XX.

De Inductione.

Inductio quid. Secunda species, est *Inductio*. Ea sic definitur: *Inductio est Argumentatio imperfecta, in qua ex plena enumeratione singularium omnium quibus prædicatum aliquod conuenit*, (quod fit in vna præmissa) *concluditur idem prædicatum vniuersaliter conuenire speciei illorum individuorum*: vt,

Socrates est risibilis, itemque Plato, Aristoteles,
et cæteri quotquot extant homines.
ergo omnis homo est risibilis.

Fit etiam Inductio, *ex plena enumeratione specierum vnius generis, & partium integralium vnius totius*; Nam par est ratio arguendi ab omnibus speciebus ad genus, & ab omnibus partibus ad totum, atque ab omnibus Individuis ad speciem. Quare hæ legitimæ Inductiones sunt.

Homo est viuens, itemque brutum,
ergo omne animal est viuens.

Et hæc. Caput, pectus, fæmora, tibiæ, & reliquæ partes
Corporis, sunt sana.
ergo omnis pars Corporis est sana.

In Inductione debet esse plena enumeratio. De Inductione tria obseruanda sunt. Primum hoc est, vt *in Inductione fiat plena & perfecta enumeratio omnium particularium*. Nam si vel vnum tantum omittatur, Inductio est *inualida & inconsequens*. Quod non ratio solum tibi indicat, sed & Arist. 2. Prior. cap. 24. nu. 3.

Secun-

Secundum est hoc. *Nulla Inductio vnquam probat aliquid nisi quatenus vel sensus, vel aliqua euidentia liquet, prædicatum illud inesse singularibus omnibus, quod inesse vniuersali probare volumus.* Vt cum probandum sit omnem hominem esse bipedem, si inducas singularia omnia, & vere possis oculo demonstrare, ecce, Socrates est bipes, itemque Plato, itemque Aristoteles, & ita de cæteris, cum hæc ex inductione, manifesta iudicio sensus fecisti, omnem hominem esse bipedem recte concludes. Quoties vero non est euidenter manifestum, prædicatum illud inesse omnibus singularibus quæ inducuntur, certe nihil dici potest vere tum *probari*, sed solum asseri. Nam *probare aliquid*, est per illud quod notum est ducere nos ad cognitionem eius quod est ignotum. At nisi sit aliquo modo manifestum, Prædicatum illud omnibus singularibus inesse, probatio solum est ignoti per ignotum: quæ vere est Petitio principij. Vt si mihi nescienti omnem vermem habere gustum, tu ita arguas. Hic vermis, itemque ille, & cæteri omnes habent gustum, ergo omnis vermis gustum habet: petis plane principium. Etenim non accipitur hic vllum medium notum, quo probes gustum vermi vlli inesse, sed inducis omnes vermes, de quibus affirmas quod habent gustum, quos tamen omnes gustum habere, æque mihi ignotum est, ac omnem vermem habere gustum, estque ac si sic arguas, Omnis vermis habet gustum, ergo omnis vermis habet gustum. Atque hinc est quod Arist. profunde considerans vim Inductionis lib. 2. Prior. cap. 23. nu. 3. & 4. ait, *Syllogismum fieri per medium*, (puta notius eo quod probatur) *inductionem vero per verum quorum non est medium*, (nempe notius eo quod probatur.) quare inquit, *Inductio quodam modo opponitur Syllogismo, Syllogismus enim per Medium* (notius) *probat maiorem terminum inesse minori, Inductio autem solum probat* (vel potius asserit) *Maiorem terminum inesse medio per Minorem.* Ex quo fit vt Inductio non sit admittenda, vt *legitima probatio*, quia non affert medium vllum quo probat maiorem terminum inesse minori, sed solum admittenda est vt *illustratio vel declaratio* propositionis probandæ; nec tum etiam admitti debet, nisi quando prædicatum probandum de subiecto conclusionis, *sensu vel alia euidentia* discernitur inesse singularibus omnibus illius subiecti, vt Arist. docet, 8. Top. cap. 1. nu. 7. *Inductio ex sensu aut Euidentia liquet debet.*

Tertio obserua, quomodo Enthymema, & Inductio inter se differant. Differunt autem tribus modis. Primo quia semper fit in Inductione, enumeratio particularium omnium: hoc nunquam fit in Enthymemate. Nam tum *Enthymema* non vocandum esset, sed Inductio. Secundo quia semper in Inductione subintelligitur *Maior*, at in Enthymemate modò *Maior*, modò *Minor* deest & intelligitur. Tertio, quia Enthymema ad quamuis syllogismi speciem reduci potest, vel ad *Categoricum communem*, vel ad *Categoricum singularem*, *Differentia inter Inductionem & Enthymema.*

singularem, vel ad *Syllogismum hypotheticum* siue *Conditionalem*, siue *Copulatiuum*, siue *disiunctiuum*. At Inductio ad nullum alium syllogismum reduci potest & reuocari, nisi solum ad *Hypotheticum Conditionalem*. Vt in primo exemplo, si vis ex Inductione facere Syllogismum, hic, & nullus alius esse potest. Si Socrates sit risibilis, itemque Plato & cæteri omnes homines, tum omnis homo est risibilis. At Socrates est risibilis, itemque Plato & cæteri omnes homines, ergo omnis homo est risibilis. Quod idem de alia omni Inductione dicendum est.

Dub. At videtur ista prima Inductio reuocari posse ad Syllogismum Categoricum hoc modo. Socrates, Plato & cæteri, sunt omnes qui sunt homines; at Socrates, Plato & cæteri sunt risibiles, ergo omnis homo est risibilis.

Sol. Respondeo, hanc argumentationem non esse vel *Syllogismum Categoricum communem*, quia ambæ præmissæ sunt singulares; vel *Categoricum singularem*; quia Conclusio est vniuersalis, quod nunquam fit in syllogismo singulari. Ita non est omnino syllogismus Categoricus. Nec vero talis dici potest, quia sunt in ea quatuor minimùm termini. Nam Socrates, Plato & cæteri, faciunt *vnum terminum*; *omnes homines*, facit *alium*; *risibiles*, facit tertium, & *homo* facit quartum. Ita non est omnino Syllogismus Categoricus. Non igitur ad istum aut vllum similem Inductio vlla reduci potest, sed solum vt ante dixi, ad *Syllogismum hypotheticum Conditionalem* primi modi.

Atque hæc de Inductione.

Cap. XXI.

De Exemplo.

Exemplum quid. Tertia species Argumentationis imperfectæ, est *Exemplum*, quod ita definitur. *Exemplum est Argumentatio imperfecta, in qua ex vno singulari noto, aut ex pluribus, probatur aliud singulare sed ignotum*, vt.

> Malum fuit Thebanis bellum gerere contra Phocenses finitimos, ergo malum etiam est Athenienſibus, bellum gerere contra Megarenses finitimos.

Quoniam autem transitus non potest fieri ab vno singulari ad aliud, nisi per medium aliquod vniuersale, ideo Arist. lib. 2. Prior. cap. 24.

24. diligenter ac profunde vim huius Argumentationis conſiderans, docet duplicem eſſe in omni exemplo proceſſum.

Prior eſt ab *vno ſingulari noto, ad vniuerſale ignotum* hoc modo. Thebanis malum fuit bellum gerere contra Phocenſes finitimos, ergo bellum gerere contra finitimos eſt vniuerſaliter malum. Hic prior proceſſus eſt Inductio, ſed valde debilis & imperfecta, quia hic ex vno aut paucis ſingularibus colligitur vniuerſale. *Prior proceſſus in Exemplo.*

In ſecundo proceſſu, *vniuerſale hoc ſic probatum, accipitur vt notum, & inde concluditur ſingulare ignotum*, hoc modo. *Secundus proceſſus in Exemplo.*

> Bellum gerere contra finitimos eſt vniuerſaliter malum,
> at Megarenſes ſunt finitimi Athenienſium.
> Ergo malum eſt Athenienſibus bellum gerere contra Megarenſes.

Similis proceſſus in quouis exemplo inuenitur, nec aliter exemplum vim arguendi habet, niſi quatenus ex eo concluditur, primo *vniuerſale*, ex quo poſtea *ſingulare* aliud probetur. Sed omiſſis alijs partibus in vtroq; proceſſu breuitatis cauſa, ſolummodo exemplum notum cum ſingulari ignoto coniungitur.

Hinc fit vt minima vis arguendi ſit in Exemplis, idque duplici de cauſa, primo quia omnes tales argumentationes in primo proceſſu, colligunt vniuerſalem Concluſionem ex *fundiliant imperfecta* & valde manca; quæ ratio probandi eſt penitus inefficax: ſecundo quia ſi recte volumus rem aliquam exemplo probare, oportet *ambo ſimilia eſſe*. Iam rarum eſt vt non inueniatur diſſimilitudo inter exemplum illud quod probat, & exemplum aut ſingulare illud quod probatur. *Diſſimilitudo autem eorum vim exempli*, niſi conſtet ea in alijs rebus diſſimilia eſſe, *in eo verò quod probatur, aut ad quod probandum exemplum affertur, ſimilia eſſe*. Nam ſatis eſt ſi *in eo* quod probamus *ſimilitudo ſit*, licet in alijs quam plurimis ſit *diſſimilitudo*. *In Exemplis vis minima probandi.*

Nullum autem arguendi genus eſt *efficacius ad perſuadendum*, quam hoc ab *exemplo*. Nulla enim re facilius ducimur quam aliorum exemplis, quæ id factum eſſe demonſtrant, quod faciendum eſſe perſuademus: nec diffidimus nos ipſos idem effecturos, quod effeciſſe alios videmus. Quare apud Oratores & poetas (quorum ſcopus eſt perſuadere) frequens eſt & præcipuus *Exemplorum* vſus, multo certe maior quam apud philoſophos. Sed de Exemplo hæc ſatis multa. *Exemplum efficax ad perſuadendum.*

Cap. XXII.

De Sorite.

Sorites quid.

VLtima Argumentationis ſpecies eſt *Sorites*, hæc ita definitur. *Sorites eſt Argumentatio imperfecta, in qua tres, quatuor aut plures præmiſſæ exprimuntur, & ita diſponuntur, vt prædicatum prima propoſitionis ſit ſubiectum ſecundæ, & prædicatum ſecundæ, ſubiectum Tertiæ, & ſic deinceps, donec tandem concludamus vltimum prædicatum de primo ſubiecto prædicari aut eidem conuenire*, vt.

Homo eſt animal
Animal eſt viuens
viuens eſt Mixtum
Mixtum eſt Corpus
Corpus eſt ſubſtantia
Ergo a 1. ad vltimũ homo eſt ſubſtantia.

Immodicus potus gignit crudos humores in ſtomacho,
Crudi humores in ſtomacho vitiant & corrumpunt ſanguinem.
Sanguis corruptus facit malam aſſimilationẽ alimenti in partibus corporis.
Mala aſſimilatio nutrimenti in partibus, gignit hydropem.
Ergo a primo ad vltimum immodicus potus gignit hydropem.

Hinc liquet Soritem nihil aliud eſſe niſi cumulum ſyllogiſmorum in vnum acerum ac veluti faſciculum colligatorum. Atque hoc facile conſtabit, ſi Soritem diſſoluas & ad ſyllogiſmos vnde conſtat reuoces, id quod fieri poteſt vel aſcendendo vel deſcendendo, in hunc modum.

Omne Corpus eſt ſubſtantia
omnis homo eſt Corpus. probatur.
Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.

Omne Mixtum eſt Corpus.
omnis homo eſt Mixtum. Probatur.
Ergo omnis homo eſt Corpus.

Mixtum probatur.

Omne viuens eſt Mixtum
omnis homo eſt viuens. probatur.
Ergo omnis homo eſt mixtum

Omne animal eſt viuens
omnis homo eſt animal
ergo omnis homo eſt viuens.

In aſcendendo autem contrario plane modo eſt procedendum. Nam tum prima concluſio eſt probanda per proximum ſubiecti genus, & Maior ſemper eſt probanda, Minore vt euidenti omiſſa, aut conceſſa. Sed de Sorite hæc monuiſſe ſatis eſt. Liber vero hic

breuem

breuem Synopsin eorum quæ de Argumentatione a nobis declarata sunt proponere, vt facilius memoria teneantur.

Atque hæc de Argumentatione generaliter sumpta, prout neque ad vllam certam *materiam*, vel *necessariam* vel *probabilem*, neque ad certum vllum *finem*, vel *docendi* vel *disserendi*, vel *persuadendi* restringitur, dicta sunt.

Finis lib. tertii.

LIB. IIII.

DE DEMONSTRATIONE.

CAP. I.

De Syllogiſmo Demonſtrativo in genere quid ſit, et de triplici Neceſſitatis Gradu. De Omni, Per ſe, et Quatenus ipſum.

Species Argumentationis.

HActenus egimus de *Argumentatione in genere* ſive reſpectu vel *materiæ* in qua, vtrum neceſſaria ſit an probabilis; vel *finis* propter quem ſit, vtrum docendi an differendi, an perſuadendi cauſa ſiat. Sequuntur nunc *Species Argumentationis*, quæ ſumuntur vel reſpectu *materiæ* in qua; vel *finis* propter quem ſit. Sunt autem duæ ſpecies illius. Argumentatio ſeu *Syllogiſmus Demonſtrativus*, quæ dicitur Demonſtratio, & *Syllogiſmus probabilis*, qui ſi ad verum inueniendum afferatur, dicitur *Syllogiſmus Dialecticus*; ſi ad ſuadendum, dicitur *Syllogiſmus Rhetoricus*. De his igitur ordine dicendum eſt. Et primo de Demonſtratione.

Et quidem in animo mihi fuit, totum hunc de *Demonſtratione* locum omiſiſſe. Tractauit enim hunc Syllogiſmum, omnique ad eum ſpectantia tam docte, tam diluciđe, tamque abunde &c. Zabarella (quem ego poſt Ariſt. in Logicis doctiſſimum ſentio) vt nihil omnino de Demonſtratione dici aut ſcribi poſſit, quod ab ipſo non ſit, & locupletius traditum, & multo luculentius. Quia vero

de

de omnibus Logicæ partibus agendum ſuſceperam, ne Tractatio noſtra manca eſſet ac mutila, in eâ præſertim parte quæ Logicæ Caput eſt, & vere ſcientiarum omnium clauis, animum verti, & ſtilum: Et pauca aliquot de hac etiam parte tradere, vel potius leuiter ac deſultorio pede proponere decreui. Agamus autem primo de *Demonſtratione in genere*, tum de illius *ſpeciebus*. Ea in genere ſic definiri poteſt.

Demonſtratio eſt *Syllogiſmus, in quo ex præmiſſis veris, certis, Nobiſ. Demonſtratio quid.*
euidentibus, nobiſque notioribus, docemus, Concluſionem inde ſequentem eſſe veram, certam, & neceſſariam. Hoc enim omni Demonſtrationi, quæ eſt Demonſtratio conuenit, vt & Concluſio in ea ſit vera, certa, & neceſſaria; & præmiſſæ ex quibus illa Concluſio infertur ſint veræ, certæ, neceſſariæ, nobiſque notiores quam concluſio. Sunt igitur quatuor demonſtrationis Conditiones, *Veritas*, *Certitudo*, *Neceſſitas*, & vt Præmiſſæ ſint *nobis notiores*: quæ omnes, ordine explicanda ſunt.

De *veritate* primùm ſciat, quòd *Omnes in omni Demonſtratione propoſitiones veræ ſunt.* Concluſio vera, quia falſum cognoſci, docere, aut diſci non poteſt, nedum demonſtrari: nam cum falſum ſit Inadæquatio rei & orationis, profecto quod falſum eſt, fictio eſt, cui res non reſpondet; non ens eſt; Quis vero id quod non eſt demonſtrare poteſt? Præmiſſæ quoque veræ ſunt, nam ideo cognoſcis concluſionem eſſe veram, quia præmiſſas veras eſſe cognoſcis. Magis ergo cognoſcis præmiſſas eſſe veras, quam concluſionem, quia *quicquid facit tale eſt magis tale*, iuxta regulam Ariſt. 1. Demonſt. cap. 2. nu. 14. *Veritas propoſitionum.*

De *Certitudine* ſimiliter dicendum; *Omnes in omni Demonſtratione propoſitiones certæ ſunt.* Certitudo autem eſt tanta, ac talis firmitas veritatis, vt debeat quiſque ſine vlla dubitatione ei aſſentiri. Certitudo hæc duplex eſt, vna *ex parte obiecti*, per quam res in ſe talis eſt, vt quaſi oculis cerni poſſit. Alia *ex parte ſubiecti*, cum ita firmiter quis aſſenſum obiecto vero ac certo præbet, ac ſi eam oculis ſuis cerneret. Nam participium hoc *Certus* a *Cerno* (quod te lexicographi doctiſſimi docent) deducitur. Cerno autem regulariter in præterito, *Creui*, in ſupino *Certum* facit, vt *ſino*, *ſiui*, & *ſitum*: & licet verbum *Cerno*, & præteritum ſuum, & ſupinum a *video* mutuetur, (ex quo etiam fit, vt quod certum eſt, a cognato verbo quod eſt video, *euidens* dicatur, quaſi exterius ac palam illud videri poſſet,) tamen veſtigium antiqui & regularis tam præteriti quam ſupini, in participio hoc *Certus* quod inde deductum eſt, remanet. Vtraque autem certitudo in demonſtratione inuenitur, quoties quis per demonſtrationem aliquid cognoſcit. Nam & omnes propoſitiones ſunt in ſe tam certæ, ſic vt quaſi videri poſſint, & ſi tu per Demonſtrationem quid cognoſcis, ſunt etiam omnes tibi tam certæ ac ſi *Certitudo propoſitionum.*

tu eas palam oculis conſpiceres. Et quidem quod ſenſu cognoſcitur certum eſt, *certitudine aut euidentia ſenſus*, qua maior certitudo homini qua eſt homo, contingere non poteſt. Quod autem ratione ac diſcurſu cognoſcitur, certum eſt, *formaliter* quidem, *certitudine & euidentia rationis*, ſic vt ratio hæreret, & ſine vlla dubitatione ei aſſentiatur: ſed primariò & *originaliter*, certum eſt etiam, *certitudine & euidentia ſenſus*, & in certitudinem ſenſitiuam vltimo reſoluuntur. Omnis enim demonſtratiua cognitio nititur Intellectiuæ; Intellectiua autem omnis, experientiæ ſenſitiuæ. Nam vt Ariſt. vere docet ſecundo Demonſt. cap. vlt. *Omnis noſtra cognitio* (quæ cum diſcurſu fit) *oritur a ſenſu*, & ſenſitiua cognitione, quæ per ſe ac ſine omni diſcurſu, per ipſos ſenſus res apprehendit. Atque hinc fit vt quia homo, (*qua homo*) rationem habet, ideo quod ratione certum eſt, apud omnes homines qua homines ſunt, certum eſt. Ea vero quæ certa ſunt *Certitudine fidei*, (talia omnia enim ſunt ipſa dei verba,) *etſi in ſe, & reſpectu obiecti* certiſſima ſunt, tam certa, quam ſolem meridie lucere, tamen quia fides (quæ ſola eſt inſtar oculi quo talia obiecta cernuntur,) non eſt omnium hominum, ſed tantummodo fidelium, quibus deus mentis oculos aperuit, vt hæc eſſe ipſiſſima illius verba cernant, ex eo fit vt hæc obiecta licet in ſe ſint certiſſima, non tamen ſunt certa homini qua homo, neque in *ſenſitiuam certitudinem* vnquam reſolui poſſunt. Ideoque certitudo fidei, vt alibi monui in ratiocinando (quod homini qua homo eſt conuenit) deterior exiſtimatur, quam id quod ratione & ſenſu certum eſt. Hoc autem poſito (quod fidelibus omnibus certum & conſpicuum eſt, vel ſaltem eſſe debet,) Deum qui nec falli poteſt, nec fallere, hæc omnia quæ pro obiectis fidei proponuntur dixiſſe, ea omnia eam certa nobis ſunt, quam ipſa principia vllius Demonſtrationis; & quæcunque inde conſequuntur, Demonſtrationum vim obtinent. Sed de his non eſt hic nobis agendi locus. Hoc vnum eſt quod nunc contendo, propoſitiones omnes in omni demonſtratione certas eſſe, *in ſe, & reſpectu obiecti* certas, certas etiam *reſpectu ſubiecti*, ei nimirum qui demonſtrationem rei vllius habet, quia is certus eſt Concluſionis, per certitudinem præmiſſarum; præmiſſarum etiam certus eſt, certitudine intellectus, qui illa principia ab experientia ſenſitiua deduxit, quique eaſdem in ipſam certitudinem ſenſuum reſoluere poteſt. Nemo igitur vllius rei Demonſtrationem habet, nec quiſquam per vllam demonſtrationem cognoſcit, donec certus ſit, & Concluſionem illam veram ac certam eſſe propter veritatem & certitudinem præmiſſarum, & præmiſſas veras eſſe ac certas, propter veritatem & certitudinem iudicij ſenſuum, in quod Intellectus eaſdem reſoluere poteſt. Quæ omnia, niſi breuitati ſtuderem, clariſſimis exemplis conſpicua hic feciſſem. Sed monere hæc volui non demonſtrare.

De

De neceſſitate tertio dicendum eſt; *Propoſitiones omnes in omni demonſtratione Neceſſarias eſſe*, idemque ait Ariſt. 1. Dem. cap. 4. nu. 1. Eſt autem Neceſſarium, definiente Ariſt. & loco citato, & 4. Metap. ca. 5. *quod aliter eſſe non poteſt*, quo ſenſu propoſitiones omnes in omni demonſtratione neceſſariæ ſunt. *Neceſſitas propoſitionum.*

Vt autem intelligatur qualis, quantúque ſit in omnibus Demonſtrationibus neceſſitas, Ariſt. tres *gradus Neceſſitatis* optime obſervavit, eoſque omnes tractavit 1 Dem. ca 4. primus vocatur *de Omni*, Secundus *Per ſe*, tertius *Quatenus ipſum*. *Tres Gradus Neceſſitatis.*

Propoſitio dicitur eſſe *De omni, quando prædicatum continet ſubiectum, omnibuſque ſub eo contentis, idque omni tempore*, vt, omnis homo eſt riſibilis. Atque hinc facile diſcernas diſcrimen inter id quod in Priorib. Analyticis dicitur eſſe de omni, & quod in libris hiſce Demonſtrationis: Nam illic vbi nihil reſpicitur niſi *forma enunciandi*, multæ propoſitiones contingentes, vt omnis homo vigilat, multæ etiam falſæ, vt omnis homo eſt lapis, dicuntur propoſitiones *de omni*. *De omni* inquam *Priorifice*, in quibus nihil aliud requiritur, niſi vt ſubiecto communi præponatur ſignum vniverſale. Sed in lib. Demonſtrationū, vbi materia Syllogiſmi accurate conſideratur, ad omnem propoſitionem *de Omni*, duo iſta requiruntur, primo vt prædicatum conveniat ſubiecto omnibuſque ſub eo contentis; ſecundo vt conveniat illis, omni tempore, vel *ſimpliciter*, vel omni *quando cauſa neceſſaria illius accidentis ponitur*: ſi alterutrum horum deſit, non eſt propoſitio *de omni Poſteriorifice*. *Propoſitio de Omni quid.*

Secundus gradus Neceſſitatis eſt *Per ſe*, cui opponitur propoſitio *per Accidens*. Hæc autem Conditio Per ſe invenitur vel in propoſitionibus *ſecundi adiacentis*, vel in propoſitionibus *tertij adiacentis*. In illis quæ ſunt ſecundi adiacentis tum dicitur eſſe propoſitio *per ſe, quando ſubiectum per ſe exiſtit, & nulli alteri inhæret*: vt homo eſt, viuens eſt; & vbicunque vlla ſubſtantia eſt ſubiectum in propoſitione ſecundi adiacentis. Omnis autem propoſitio ſecundi adiacentis dicitur eſſe *Per accidens*, ſi ſubiectum non exiſtit per ſe ſed alteri inhæret, vt albedo eſt: & omnes omnino in quibus accidens eſt ſubiectum in tali propoſitione. Atque hic modus *Per ſe* eſt tertius modus apud Ariſt. lib. 1. Demonſt. cap. 4. nu. 5. Sed huius modi vel nullus omnino, vel valde exiguus vſus eſt in Demonſtratione. Nec ego attigiſſem hunc modum, niſi multos in illius tertij modi explicatione turpiter erraſſe viderem. *Propoſitio Per ſe, quid.* *Tertius modus Per ſe.*

Reliqui tres modi *Per ſe* ſunt in propoſitionibus tertij adiacentis, vbi prædicatum non continetur in Copula, ſed vt diſtinctum quid a ſubiecto exprimitur. In his autem quæ huius generis ſunt, Propoſitio tum dicitur eſſe Per ſe, *quando inter prædicatum & ſubiectum eſt talis tamquè neceſſarius nexus, vt vnum vel ſit cauſa alterius, vel in ſe ac ſua eſſentia cauſam alterius contineat*, vt homo eſt rationalis. Et

contra

contra, omnis propoſitio vbi talis nexus non eſt, vocatur propoſitio per accidens, quia per ſeſe, vnus terminus non eſt alteri connexus vt cauſa effectui, vt, homo eſt doctus.

In his autem propoſitionibus tertij adiacentis, vel *cauſa interna* & eſſentialis coniungitur cum ſuo effectu, vel *cauſa externa* quæ non eſt de eſſentia effecti. Si cauſa interna cum effectu coniungatur, tum fit *primus modus* dicendi per ſe. Si externa nempe *efficiens per emanationem* cum effectu coniungatur, tum fit *ſecundus modus* dicendi per ſe. Si cauſa externa vel *finalis*, nempe vel *efficiens per externam aſſumtam* cum effectu coniungatur, tum fit *quartus modus* dicendi per ſe. Atque hinc facile eſt vnumquemque modum Per ſe deſcribere.

Primus modus Per ſe. Propoſitio eſt Per ſe primo modo, *quando interna cauſa*, (ſcilicet vel materia vel forma compoſiti, vel ea quæ proportione his reſpondent, genus nempe aut differentia, vel definitio quæ ex vtriſque conflatur) *cum effectu coniungitur, & de eo prædicatur*. Vt, homo eſt animal; animal eſt prædictum anima ſenſitiua; homo eſt animal rationale. Eadem etiam ratio eſt cum ſpecies prædicatur de ſuis individuis, nam tota eſſentia individui in ſpecie continetur.

Secundus modus Per ſe. Propoſitio eſt Per ſe ſecundo modo, *quando prædicatum ineſt ſubiecto, & ſubiectum vel eſt cauſa externa (efficiens puta, per emanationem) prædicati*, vt hic Rationale eſt riſibile; *vel continet in ſe inquit ſua eſſentia cauſam efficientem, per emanationem prædicati*, vt, hic homo eſt riſibilis, animal eſt ſenſibile: Corpus eſt quantum. Ita quandocunque proprium vllum accidens prædicatur vel de ſuo ſubiecto, vel de eo quod eſt cauſa illius per emanationem, fiunt propoſitiones Per ſe ſecundo modo. Nam omnia propria Accidentia inſunt in ſuis ſubiectis, & dependent ab ipſis, idque duobus modis, vno vt *a materia in qua*, alio vt a *cauſa efficiente a qua fluunt & emanant*; & aliquando quidem exprimitur ſolum materia in qua, vt hic homo eſt riſibilis, ſed in illa materia in qua implicatur, & eſſentialiter continetur cauſa efficiens per emanationem, vt in homine continetur rationale. Aliquando e contra exprimitur cauſa efficiens per emanationem, vt hic rationale eſt riſibile, ſed includitur in ea, & implicatur materia in qua, vt in rationali implicatur homo. Vtouis autem modo exprimas has cauſas, ſit propoſitio Per ſe ſecundo modo.

His duobus modis Per ſe Ariſt. opponit vnum modum dicendi *per Accidens*; is eſt quando prædicatum ineſt ſubiecto, & tamen neque prædicatum eſt cauſa interna, aut eſſentialis illius ſubiecti, neque accidens proprium, fluens ab eſſentia illius ſubiecti. Talia ſunt illa, homo eſt doctus, homo ridet: omneſque omnino propoſitiones in quibus accidens vllum commune de ſubiecto aliquo prædicatur. Et ſatis quidem eſt hunc vnum modum dicendi *per accidens*, oppo-

opponere duobus illis modis dicendi *per se*, quia hic vnus modus *per accidens* opponitur illis duobus secundum rationem vtrisque communem. Hoc enim vtrisque modis per se convenit, vt prædicatum insit subiecto, vel vt eius essentia, vel vt consequens essentiam illius. In omnibus autem quæ sunt *per Accidens*, prædicatum est Accidens commune subiecti, neque essentiale ipsi, neque consequens illius essentiam.

Propositio est per se quarto modo (sic cum Arist. recenseo) *quando vel prædicatum est causa necessaria sed externa* (nempe vel finalis, *vel efficiens, non per emanationem sed per externam actionem*) *subiecti, vel subiectum talis causa necessaria & externa prædicati, sed neutrum tamen eorum inest in altero, vt in suo subiecto inhæsionis.* Vt Eclipsis est interpositio corporis opaci inter corpus illuminans, & corpus illuminatum. Hic causa efficiens & necessaria non *per emanationem*, sed per *externam actionem* (nempe interpositionē opaci) coniungitur cum suo effectu, nempe eclipsi; & neque eclipsis inest interpositioni tali, neque talis interpositio inest eclipsi. Eclipsis quidem subiectum vocatur & est in hac propositione, sed est subiectum quoad modum enunciandi, non quoad modum inhærendi, ideoque hic modus vocatur, modus dicendi Per se, non quia est naturalis & ordinata prædicatio vnius de altero, sed quia est necessaria concomitantia vnius cum altero, quomodocunque propositio fiat; neque enim refert, vtrum causa sit subiectum, an prædicatum in propositione. Quartus modus per se.

Ad hunc autem quartum modum per se spectant propositiones omnes in quibus *causa finalis necessaria* coniungitur cum eo cuius est causa; vt si vis cibum bene concoquere, oportet ambulare post cenam; vel *causa efficiens per externam actionem*, vt immodicus potus digestionem impedit, & hydropem gignit. Dico semper *efficiens per externam actionem*, nam quandocunque causa efficiens *per emanationem*, coniungitur cum suo effectu, fit propositio per se secundo modo, non quarto.

Propositio *per accidens* quæ huic quarto modo opponitur, est ea in qua aliquid coniungitur cum aliquo effectu, quod non est vel necessaria causa, vel efficiens, vel finalis illius effecti, sed accidentaliter solum, & per accidens ei coniungitur: vt ambulante Socrate coruscavit: neque enim coruscatio fuit causa ambulationis, nec ambulatio coruscationis, sed accidit vt vnum alterum concomitaretur: sic cum effodiens thesaurum invenit, effossio quidem causa est inventionis thesauri, sed accidentalis, non necessaria, nam aliter semper effodiendo inveniretur thesaurus.

Hi sunt 4. modi dicendi *per se* ab Arist. declarati, quorum tres illi a nobis postremo tractati efficiunt secundum gradum necessitatis. Et is quidem in omni demonstratione invenitur. *In omni enim, aliquæ*

quæ propoſitiones ſunt Per ſe aliquo horum trium modorum, vt poſt oſtendemus.

Propoſitio quatenus ipſum, quid.

Tertius gradus Neceſſitatis eſt *Quatenus ipſum*, ſeu (vt frequenter vocari ſolet) quando prædicatum eſt *vniuerſale*. Cauè vero ne hic accipias *vniuerſale*, vt in tractatu de Prædicabilibus. Ibi notat quodvis Prædicabile, ſeu terminum quemvis ſimplicem pluribus communem: ſic album eſt vniuerſale reſpectu charæ, & cygni: hic notat, conditionem ſummæ & arctiſſimæ coniunctionis prædicati cum ſubiecto, ſic vt neutrum ab altero ſeiungatur, & ſic definitur ab Ariſt. cap. cit. nu. 9.

Vniuerſale prædicatum illud dicitur, *quod ſubitilo ſuo ita conuenit vt inſit Omni, Per ſe, & quatenus ipſum.* Senſus eſt, illud quod vocatur *vniuerſale*, ſic ineſt ſubiecto, vt vel ſit illius propria ac peculiaris eſſentia, vt homo eſt rationalis, vel vt à propria ac peculiari eſſentia fluat & emanet, vt homo eſt riſibilis: vtrouis enim horum modorum prædicatum conueniat, convertitur & reciprocatur cum ſubiecto, & nihil convenit alicui quatenus ipſum, niſi quod cum eo ſubiecto reciprocatur: vt liquido docet Ariſtoteles, cap. illo 4. iam citato, nu. 12. Ideo enim *vniuerſale* prædicatum dicitur, quia *vniuerſum in hoc ſubiecto eſt, neque vſpiam extra ſubiectum illud reperitur.*

Quæ non conueniunt quatenus ipſum.

Hinc iam liquido conſequitur, *nullum genus, nullam etiam differentiam remotam* prædicari de ſpecie cum hac conditione *Quatenus ipſum*, non enim convertuntur cum tali ſpecie: liquet etiam *nullum accidens commune* prædicari de ſuo ſubiecto *quatenus ipſum*, quia talia accidentia non conveniunt *per ſe*, multo minus *quatenus ipſum*: liquet denique nihil omnino prædicari de vllo cum hac conditione *quatenus ipſum*, niſi ſit vel *differentia propria* & proxima ſpeciei, vel *definitio* eiuſdem ſpecici, vel *accidens illius proprium* quod ab eius eſſentia fluit ac emanat. Hæc & hæc ſola reciprocantur cum ſpecie, hæc & hæc ſola conueniunt ei *quatenus ipſum*.

Dub.

At Ariſt. ca. illo 4. nu. 11. ait *Per ſe, & quatenus ipſum, idem eſſe*, quare quicquid per ſe convenit, convenit etiam quatenus ipſum. Genus igitur omne convenit ſuis omnibus ſpeciebus quatenus ipſum, nam convenit eis per ſe primo modo. Idem obiici poteſt de differentia omni remota. Imo ſiuſtra ponitur hæc vt noua conditio Neceſſitatis, ſi idem ſit *Quatenus ipſum*, & *Per ſe*.

Sol.

Scio quid alij reſpondent, & quam ſe hic torquent; mihi facilis videtur & apertus ſenſus Ariſt. Loquitur ille loco citato, de Accidentibus propriis reſpectu ſuorum propriorum ſubiectorum. *Iuxta*, inquit, *idem plane eſt, conuenire per ſe & quatenus ipſum*: nam ideo homini per ſe conuenire dicitur riſibile, quia convenit ei ex propria hominis eſſentia, nempe rationali; & eadem plane de cauſa, convenit

convenit homini quatenus eſt homo, id eſt, quatenus eſt rationalis, non vlla alia ratione. In his, penitus idem eſt, *per ſe*, & *quatenus ipſum*. Sed quia multa conveniunt ſubiectis per ſe quæ non ſunt *accidentia propria*, ideo ſi *Per ſe* ſumatur, prout ad omnia alia, quæ *per ſe* ſunt, extendit, ſic non eſt idem cum hac conditione *quatenus ipſum*. Nam omnia eſſentialia *per ſe* conveniunt, nulla autem ex iis conveniunt ſecundum *Quatenus ipſum*, niſi ſolum differentia propria & proxima: non enim vere dicas hominem quatenus eſt homo eſſe ſenſibile, aut vegetativum, ſic enim nihil præter hominem eſſet ſenſibile, aut vegetans; ſed homo eſt ſenſibile quatenus eſt animal, & eſt vegetans quatenus eſt viuens. Si autem quæras vtrum animal conueniat homini *quatenus eſt homo*, quia certum eſt quod non conuenit homini quatenus eſt quidquam aliud quam homo. Reſpondeo, animal quidem non conuenire homini qua eſt quidquam aliud, ſed tamen non conuenit ei peculiariter, nec vt propria ſed vt communis illius eſſentiæ: ideo non conuenit ei *quatenus eſt homo*, ſed quatenus eſt *vna ſpecies immediate contenta ſub homine*. Ex quo fit vt non magis conueniat homini qua homo, quam bruto qua eſt brutum. Neutri enim qua ſunt talia, conuenit, ſed qua ſunt ſpecies contentæ ſub vno proximo genere. *Genus non conuenit ſpeciei quatenus ipſum.*

Habes nunc tertium gradum Neceſſitatis, eumque arctiſſimum & præcipuum, qui alios præſupponit, ſed non contra. Nam *quicquid conuenit quatenus ipſum, conuenit etiam Omni & Per ſe*: quicquid etiam *Per ſe conuenit*, *illud conuenit Omni*. Sed multa conueniunt *omni*, quæ non *per ſe*, & multa conueniunt *per ſe*, quæ non *quatenus ipſum* conueniunt.

Et quidem in omni Demonſtratione ſunt *aliqui* gradus neceſſitatis: in *quamplurimis etiam omnes tres gradus in omnibus demonſtrationis propoſitionibus* inuenitur. Sed de his fuſius erit poſtea agendi locus: nunc ſatis eſt tenere, & *Concluſionem omnem quæ demonſtratur neceſſariam eſſe, ſecundum aliquem Neceſſitatis gradum & eandem ex neceſſariis præmiſſis inferri ac demonſtrari*.

Quarta conditio definitionis antepoſitæ, erat, *quod præmiſſæ ſunt nobis notiores quam concluſio*: & hoc plane in omni Demonſtratione verum eſt: nam præmiſſæ in omni demonſtratione faciunt nos cognoſcere Concluſionem; at quod *facit tale illud eſt magis tale*, vt in hac ipſa cauſa ait Ariſt. Quare neceſſe eſt, nos magis ac melius cognoſcere præmiſſas eſſe veras, certas, & neceſſarias, quam ſcimus Concluſionem, in cuius cognitionem per præmiſſas ducimur. *Præmiſſa notiores nobis quam Concluſio.*

At aliquæ demonſtrationes probant effecta per cauſas. Cauſæ autem ſunt *natura priora*, ideoque *notiora* effectis: quæ autem natura notiora ſunt, ea nobis ſunt notiora: diſerte enim Ariſt. ait. *Dub.*

1. Dem. cap. 2. num. 10. *Idem non eſt notius natura, & notius nobis.*

Cognitio rei duplex, confuſa & diſtincta.

Diligenter hic notanda eſt illa diſtinctio, cuius magnus eſt & frequens vſus. Duplex eſt noſtra rerum cognitio, vna *confuſa & imperfecta*, qua ſingularia per accidentia quædam, non per naturam ſuam cognoſcimus, & effecta non per cauſas, ſed per alia aduentitia. Altera *diſtincta & perfecta*, qua ſingularia per ſua vniuerſalia, ac naturas; & effecta per ſuas cauſas cognoſcimus. Iam certum eſt, nos in *confuſa & imperfecta* rerum cognitione, prius cognoſcere ſingularia quam vniuerſalia, & effecta prius quam cauſas, ideoque in hac *confuſa & imperfecta* rerum cognitione, ſingularia nobis notiora ſunt vniuerſalibus, & effecta ſuis cauſis. Sed quando res *plene, perfecte, ac diſtincte* cognoſcimus, tũ vniuerſalia & rerum cauſæ, *nobis* notiora ſunt, & prius cognita, quã ſingularia aut effectus. Nemo enim diſtincte & perfecte hominem cognoſcere poteſt, antequam diſtincte ſciat animal, & viuens, et corpus et ſubſtantiam; quia cum hæc omnia ſunt eſſentialia homini, perfecte hominis naturam et eſſentiam non poteſt quis ſcire, antequam hæc, et omnia alia quæ ſunt ei eſſentialia perfecte cognoſcit: ſic nec effectum diſtincte, plene et perfectè vnquam poteſt quis cognoſcere, antequam propriam et proximam cauſam illius effectus cognoſcit; quia perfecta cognitio effectus, eſt ſcire illius veram ac propriam cauſam. Hoc obſervato, clara eſt ad argumentum reſponſio. *Idem*, vt ait Ariſt. *non eſt notius nobis confuſe & imperfecte res cognoſcentibus, ac naturæ*: ſed tali cognitione ea quæ nobis ſunt notiora, ſunt natura ſua minus cognita. At quando rem vllam ſingularem aut vllum effectum *plene, perfecte, & diſtincte* cognoſcimus, tum *idem eſt nobis notius quod eſt naturâ ſua notius*. Iam quia in omni demonſtratione gignitur in nobis cognitio, ideo omnis demonſtratio procedit ab iis quæ nobis ſunt notiora. In omni demonſtratione quidem cauſæ per effectum, proceditur a cognitione effecti quod eſt nobis notius, ad cognitionem cauſæ, quæ eſt nobis ignotior: in demonſtratione autem effectus per cauſam, proceditur ab eo quod eſt et naturâ ſua notius, et ſimul etiam nobis notius, perfecte ac diſtincte effectum illud cognoſcentibus. Hoc ſi recte teneas, complures difficultates facile expediet.

Axiomata & Theſes alia non ingrediuntur demonſtrationem.

Explicui nunc integram Demonſtrationis in genere definitionem. Quæres fortaſſe quare *Axiomatum*, & *Theſium* omiſſa ſit mentio, præſertim cum hæc inter Demonſtrationis principia reconſeat Ariſt. 1. Dem. ca. 2. nu. 13. Dicam paucis. Ego ea tantum principia quæ *interna ſunt*, & *intrinſeca*, quæque *actu & expreſſe* Demonſtrationem ingrediuntur, explicui; ea autem ſunt ſolummodo præmiſſæ ipſæ, ex quibus Demonſtratio fit & conſtat. *Axiomata* vero & *Theſes*, principia ſunt etiam Demonſtrationum, ſed *externa & extrinſeca*, quæ *virtute* ſolum & *implicite*, nunquam actu

et

& expresse demonstrationem ingrediuntur, sed sunt instar valli & septimenti, quo præmissæ ipsæ muniuntur. Nam cum te magistro aliquid nisi credendum in aliqua scientia tradis, quoties opus est, præmissas suas doctrinales explicabit ille tibi inductione aliqua, aut docebit eas inniti Axiomati alicui aut Thesi, eoque velut vallo defendi earum veritatem: probare vero illas per alia media quæ natura sua notiora sunt, non potest; quia medium notius nullum est aut dari potest. De his igitur quæ extra demonstrationem sunt, non erat necesse in definitione demonstrationis mentionem facere. Sed ne hæc omissa queri possis, brevi quantum ad ea satis erit, expedium.

Axioma est *Propositio seu Principium indemonstrabile, in aliqua disciplina, tam clara & conspicua veritatis, vt tam ignorare vix possit qui disciplinam illam discere velit.* Tale est hoc in Metaphysica: De omni verum est dicere, aut esse, aut non esse; vel esse hoc aut non esse hoc: & illud, Impossibile est idem simul esse & non esse. In Mathematica, omne totum esse maius sua parte. In Physica, Deus & Natura nihil frustra faciunt. In Ethica, Omnia, (quæ appetunt) bonum appetunt, & similia. Lucent nimirum hæc sua luce, ideoque hoc tam amplo & vere augusto nomine, *Axiomatum, Dignitatum*, & *Maximarum* merito vocantur: quia propter suam maximam euidentiam digna sunt, quibus maxime fidem adhibeas. Certe enim bilem mihi ac stomachum semper facit, quod nouitius & ruperus homo Petrus Ramus, qui suique deque omnia versat, *Propositiones omnes axiomata* vocare audeat, lib. 2. ca. 2. & suos sectatores sic eas appellare instituit: apud quos nihil frequentius legas, vel audias quam *Axiomata contingentia, Axiomata probabilia*, imo *Axiomata falsa*, & *Axiomata* etiam *absurda & impossibilia*. Apage hos idiotissimos. Sed mittamus Ramum; vapulat ille sæpe, nec vnquam tamen satis, in Peripateticorum scholis. Nos sicum, sicum, ligonem, ligonem, propositionem, propositionem dicamus; *Axiomatis* vero hoc augustum nomen, eis quæ vere *Axiomata* sunt, *Maxima & Dignitates*, vti dignum est, relinquamus. *Axioma quid.* *Ram. lib. 2. Dial. ca. 3.*

Thesis est *Propositio seu Principium indemonstrabile in aliqua disciplina, quod licet is qui instituitur ignorat quando ad discendum accedit, tamen magister sine probatione ponit illud, & postulat a suo discipulo, imo vero imperat, vt pro vero, certo ac indubitato assipat credatque.* Nam discentem oportet primo credere, post vero in progressu scientiæ merito illud credendum esse videbit ac intelliget. *Thesis quid.*

Thesium duæ sunt species, *Suppositio qua rem aliquam esse aut non esse ponimus*, & *Definitio qua quid res sit ponimus*. Nam vtrum res sit vel non sit, Definitio non docet, sed sive sit, sive non sit, *quid sit*, & quæ illius rei essentia ac natura sit, quæ per illam vocem notatur indicat. Exempli gratia. Accedis ad naturalem philosophum, *Suppositio, quid. Definitio, quid.*

inſtrui rogas: quia corpus eſſe vllum in communi adhuc neſcis, & demonſtrari non poteſt, iubet te paulíſper ponere hoc pro certo, eſſe tale Corpus. Tum quia quid ſit illud corpus ignoras, definit alle quid per illam vocem notetur: & poſtulat, vt ei in his fidem habeas. Ecce in vtríſque eſt *Theſis*, in priori, vbi ponitur corpus eſſe, eſt *Suppoſitio*; in poſteriori vbi ponitur quid ſit Corpus, eſt *Definitio*. Idem in alijs omnibus ſcientijs fit. Magiſtri illarum ponunt, (ſi tu ea ignoras) & quod ſint talia ſubiecta de quibus acturi ſunt, & quid ſint: teque vt in his ei fidem habeas iubent. Hic ſi annuis, libenter ille vlterius inſtruet te, & erudiet in illa diſciplina; ſin te iſta vel noſſe, vel non poſſe capere, aut credere reſpondebis, ille, ſicut par eſt te, non ſolum vt indoctum, ſed vere indocilem dimittet, & cum Alabandenſi magiſtro ad alias artes, ad aratrum opinor aut paſcua, vt bubulcum agas, amandabit.

Sed de Demonſtratione in genere illiuſque definitione hæc ſatis multa.

CAP. II.

De Demonſtratione a Cauſa.

SEquuntur nunc Species Demonſtrationis. Fæ duæ ſunt, vna eſt *a Cauſa*, altera *ab Effectu*. De priori agamus, primo *in genere*; ſecundo, *in ſpecie*.

Demonſtrationis *a cauſa*, duæ ſunt definitiones: prior quæ ſumitur tam a fine propter quem fit, quam ab effectu quem producit, eſt hæc, quæ traditur ab Ariſt. 1. Dem. c. 1. nu. 5. Demonſtratio a cauſa, *eſt demonſtratio, qua facit nos ſcire aliquid quare ita ſit*. Nam demonſtratio *a cauſa* eſt in hunc finem fit, vt ſciamus quare hoc ita ſit, et cum demonſtrationem habes, illa facit te id ſcire: vt quando riſibile demonſtratur ineſſe homini per Rationale, per illam demonſtrationem ſcimus non modo quod homo ſit riſibilis, ſed quare ſit riſibilis. Etenim vt ibidem docet Ariſt. nu. 1. *Scire, eſt rem per cauſam ſic cognoſcere, vt ſciamus hanc eſſe veram, propriam & proximam Cauſam eius tale accidens alicui ſubiecto inſit, ita vt aliter eſſe non poſſit quin propter hanc cauſam inſit.*

Demonſtratio a cauſa, quid.

Nihil proprie ſcitur niſi accidens.

Ex hoc liquidò conſtat, *ſcientiã proprie dictã eſſe nullius rei niſi ſolum accidentis*, neq; ſubiecti cui ineſt, neq; cauſæ: nam quid ſit ſubiectum cognoſcitur quidem, non autem proprie *ſcitur*, ſed habitus ille quo quid illud ſit cognoſcimus, eſt *Intellectus*, (nõ ſcientia:) quo ſolo habitu principia omniũ ſcientiarũ, et diſciplinarũ cognoſcuntur. Quod etiam

etiam hoc sit causa quare accidens illud huic subiecto inest cognoscimus, sed habitu tantum idem intellectus; proprie autem non scimus, nam tum Causæ illius alia prior Causa daretur, & illius alia, & sic in infinitum, quare sequeretur nihil vnquam sciri posse. Ambæ igitur præmissæ cognoscuntur esse certissimæ quod ita sunt, sed neutra *scitur*, quia quare ita sunt non scitur. Sola Conclusio, in qua accidens hoc vel illud, huic aut illi subiecto inesse demonstratur, ea sola *sciri* dicitur, quia huius solius causa quare insit scitur.

Alia definitio Demonstrationis a Causa.

Altera definitio sumitur a materia, ex qua fit talis Demonstratio, ea hæc est, quæ ex Arist. colligitur, 1. Demonst cap 2. nu. 6. & seq. Demonstratio a Causa, *est Demonstratio, in qua ex præmissis non solum veris, certis, ac necessarijs, sed etiam causis conclusionis, eiusque immediatis, nobis simul ac naturâ notioribus, accidens, quod subiecto alicui necessario conuenit, demonstratur eidem subiecto conuenire.* Hæc definitio ex priori consequitur; nam si præmissæ debent facere nos scire Conclusionem, debent etiam omnes has antedictas Conditiones habere; cum scire rem aliquam, sit nihil aliud quam eam ex præmissis talibus veram esse certam ac necessariam cognoscere.

Quomodo præmissæ sint causa Conclusionis.

Et quidem quod præmissæ debeant esse veræ, certæ, ac necessariæ, hæc habet Demonstratio a causa, a Demonstratione in Communi. Omnis enim Demonstratio, qua est Demonstratio, tales præmissas habet ac habere debet. Tres autem illæ posteriores Conditiones, propriæ sunt Demonstrationis *a causa*, & hic mihi explicandæ videntur. Prima est quod præmissæ debent esse *causa conclusionis*. Dicuntur autem causæ, tam *in essendo*, quia causant rem ita esse, quam etiam *in cognoscendo*, quia causant nos scire istam Conclusionem; nam quia rationale est causa risibilitatis, & conuenit homini, ideo risibilitas etiam homini conuenit: etiam, quia nos per habitum intellectus certe cognoscimus tam rationale esse causam risibilitatis, quam rationale conuenire homini, ideo certo scimus risibilitatem conuenire homini.

Fundamentum Demonstrationum omnium a Causa.

Atque hinc obseruandum est diligenter Axioma indubitatum & vere *fundamentum* cui innituntur omnes omnino Demonstrationes a causa. *Cuicunque subiecto conuenit proxima causa alicuius accidentis, eidem illud ipsum accidens conuenire necesse est.* Individuo enim atque inseparabili nexu semper coniunguntur, & se mutuo concomitantur causa proxima, & effectus ipsius, ita vt cui vnum conuenit, & alterum conuenire necesse sit.

Quomodo præmissæ sint immediatæ.

Secunda Conditio est, quod Arist. dicat propositiones in Demonstratione a causa, esse *Immediatas seu primas*. Idem enim hæ duæ voces apud Arist. hoc loco sonant: Nam *primum*, hic non significat id, quod est remotissimum ab effectu, sed plane causam effectui proximam, qua posita iam primo ac immediate effectus ponitur, nulla omnino alia Causa mediante aut interueniente. Hoc

vt

vt intelligas tene diligenter hanc distinctionem. Propositio dicitur *Immediata* duobus modis, primo modo dicitur immediata *Immediatione Causæ*, quando vnus terminus propositionis est proxima ac immediata causa alterius, ita vt nulla omnino sit causa qua mediante prædicatum insit illi subiecto: vt hic, homo est rationalis, rationale est risibile. Nulla enim omnino causa est, qua mediante vel rationale inest homini, vel risibile rationali. Alio modo propositio est immediata *immediatione subiecti*, quando vnus terminus est immediatum & proximum subiectum alterius, sit vt prædicatum immediate insit illi subiecto, nullo alio subiecto mediante, licet insit eidem mediante aliqua causa. Vt hic, homo est risibilis, homo est rationalis. Hæ vero, non sunt *immediata*, sed *mediata*, homo est sensibilis, Socrates est risibilis, quia sensibile inest homini mediante alio priori subiecto, nempe animali, cui prius inest sensibile; sic risibile inest Socrati mediante alio subiecto, nempe homine. Idem plane dicendum de *Primo*; nam exempla prioris modi sunt propositiones primæ, *primitate causæ*; exempla posterioris modi, sunt propositiones *primæ primitate subiecti*, non autem primitate causæ.

Immediatio duplex, Causæ & Subiecti.

Hoc obseruato, facile videas quæ propositiones in vlla Demonstratione sunt immediatæ, & primæ, quæ vero non sunt. Et sane *Conclusio in nulla Demonstratione a causa, est immediata immediatione causæ*; quia semper accidens demonstratum inest in eo subiecto mediante aliqua causa: *sæpe vero est immediata immediatione subiecti*; quia accidens debet de suo proximo & immediato subiecto demonstrari, si illud inueniri possit. *Maior semper est immediata immediatione causæ*, (quam immediationem Arist. præcipue spectauit.) Vtrum vero sit immediata, *immediatione subiecti*, non multum refert. *Minor sæpe est immediata immediatione & Causæ & subiecti, sed non semper*: nam aliquando est immediata solum immediatione subiecti, non causæ, aliquando non est immediata vel immediatione subiecti vel causæ. Neque an sit immediata vel non, parum refert. Satis est ad Demonstrationem si per *immediatam Causam*, accidens demonstretur de immediato ipsius subiecto (si inueniri possit) tunc enim Demonstratio vere dicetur ex immediatis constare, quia & Maior erit immediata immediatione Causæ, & Conclusio immediata immediatione subiecti.

Conclusio an sit immediata.

Maior semper immediata immediatione Causæ.

Minor an immediata.

Tria in omni Demonstratione.

Ex hoc verò quod Causa proxima & immediata accidentis semper accipi debet, ista consequuntur. Primum est quòd *in omni Demonstratione a Causa tria requiruntur*. Primo id quod demonstratur, & hoc semper est *accidens* quod subiecto inest aut conuenit. Secundo, id de quo fit demonstratio, & illud semper est *subiectum* cui accidens quod demonstratur inest. Tertio, id per quod fit demonstratio, & illud semper est *causa proxima* atque immediata illius accidentis, quod illi subiecto inesse demonstratur.

Secun-

Secundum eſt, quod *nemo vnquam ſcire quidquam dicendus eſt niſi ſciat cauſam proximam illius, & ſciat etiam hoc ac nihil aliud, eſſe cauſam proximam illius*, ſic vt cuicunque illa Cauſa conueniat, neceſſe ſit effectum, ob iſtam cauſam eidem conuenire; & cuicunque cauſa illa negetur conuenire, neceſſe ſit effectum illud, eidem hac de cauſa non conuenire. Quare ſi quis probet aliquid per cauſam remotam, neque ſyllogiſmus talis ſcientiam vnquam gignet, neque *Demonſtratio a Cauſa* (ſed ſolum *probatio a cauſa remota*) vocanda eſt; Etenim Argumentatio tum ſolum Demonſtratio vocanda eſt, quando nulla potior eſt & præſtantior ratio probandi Concluſionem, quam illa quæ adhibetur: at probatio per cauſam proximam, longe potior & præſtantior eſt, quam per cauſam remotam, quare hæc non eſt vere Demonſtratio appellanda. Pleræque vero tales probationes a cauſa remota, *negatiua eſſe ſolent*, quomodo ſi probem arborem non reſpirare, quia non eſt animal, cauſam certam quidem dedi, quia nihil niſi animal reſpirat; ſed non cauſam proximam. Quia, ſi *non eſſe animal*, eſſet proxima cauſa *non reſpirandi*, tum *eſſe animal*, eſſet cauſa proxima *reſpirandi*; at multa animalia non reſpirant, vt in piſcibus, vermibus & inſectis apparet. Sed ſi probem arborem non reſpirare, quia non habet pulmones, Demonſtrationem dedi negatiuam a cauſa proxima: quia proxima cauſa reſpirandi ſunt pulmones.

Nemo ſcit niſi cauſam rei proximam cognoſcit.

Probatio per cauſam remotam, non eſt Demonſtratio.

Tertium eſt, quod *Medium in omni Demonſtratione a Cauſa eſt Cauſa maioris extremi, ſeu accidentis quod ſubiecto ineſſe Demonſtratur.* Certant hic inter ſe interpretes. Fatentur omnes medium ſemper eſſe Cauſam, ſed cuius cauſa ſit digladiantur. Aquinas vult eſſe Cauſam *tantum maioris* extremi, Ægidius *tantum Minoris*; Tomitanus *vtriuſque*. Vere illi ac ſtrenue nugas agunt, & nodum in ſcirpo quærunt. Euenit quidem in quammultis demonſtrationibus, vt medium ſit cauſa vtriuſque extremi, formalis cauſa minoris, efficiens maioris. Sed ſemper eſt, & eſſe debet Cauſa maioris extremi, aliter Demonſtratio a cauſa dici non poſſet. Nam *locus arguendi ſemper accipitur ab eo reſpectu quem medium habet ad maius extremum*, vt in Topicis diximus; vtrum vero medium ſit Cauſa minoris extremi vel non ſit, id ad Demonſtrationem ne gry facit.

Medium ſemper eſt Cauſa maioris extremi.

Quartum eſt, quod *Medium ſicut eſt cauſa, ita eſt ſemper Definitio maioris extremi, vel accidentis quod ſubiecto inſſe demonſtratur.* Hoc diſcere docet Ariſt. lib. 2. Demonſt. cap. 17. nu. 6. vbi ſic ait, *Medium autem eſt definitio primi extremi, & ideo omnes ſcientiæ per definitionem comparantur*: & lib. eod. cap. 8. nu. 11. *Quærere*, inquit, *Cur ſit, nihil aliud eſt quam quærere quid ſit*; & lib. 2. cap. 2. nu. 4. *Idem eſt, quid eſt, & quamobrem eſt*, & alibi ſæpe. Miſere ſe in hoc torquere ſolent interpretes. Labyrinthus vere hoc ipſis erat; et eſſet credo adhuc, niſi Zabarella filum ſuum porrexiſſet. Rem ſic accipe.

Medium ſemper eſt Definitio maioris extremi.

Aliter res se habet in substantijs, aliter in accidentibus. Substantia & ea omnia quæ subiecti rationem in vlla scientia habent, non habent aliam quam *essentialem definitionem*, quæ constat ex genere & differentia. At Accidentia, ea saltem quæ demonstrantur omnia, præter essentialem suam definitionem quæ constat ex suo genere & differentia, habent aliam *causalem definitionem*, in qua exprimitur causa, vel efficiens vel finalis, quare insint aut conueniant subiecto: habent etiam tertiam definitionem ex *vtrisque his constantem*, quæ est virtute integra demonstratio. Vide hoc in Eclipsi cuius *essentialis definitio* est, priuatio luminis in corpore illuminato; eius *causalis definitio* est, interpositio alicuius opaci Corporis inter Corpus illuminans & illuminatum, ita vt vmbra opaci comprehendat seu operiat Corpus illuminatum. *Definitio perfecta* eclipsis ex vtrisque his constat, & continet virtute totam demonstrationem, vt in Demonstratione illa de eclipsi lunæ liquidum est. Idem in omnibus alijs accidentibus quæ de vllo subiecto demonstrantur certum est. Hinc nodi omnes soluuntur in omni Demonstratione *a Causa*, medium est *definitio causalis maioris extremi*: in quam multis accidit, quidem vt *medium sit definitio vel pars præcipua definitionis minoris extremi*, non quidem definitio illius Causalis, sed essentialis; vt in exemplo de homine & risibili clarum est. Verum vero medium sit vel non sit definitio minoris extremi, ad Demonstrationem nihil omnino interest.

Præmissa & natura & nobis notiores Conclusione.

Tertia Conditio in definitione demonstrationis a Causa posita est hæc, *quod præmissa sint notiores, & priores non nobis solum sed natura sua.* Nobis notiores esse, necesse est, quia aliter non possent facere nos cognoscere Conclusionem. Et hoc præmissis Demonstrationis in genere, qua est demonstratio, conuenit, vt ante dictum est, quia quicquid fecit tale est magis tale. Naturâ vero, præmissæ in hac Demonstratione a causa sunt notiores & priores Conclusione, quia omnis Causa prior est naturâ, seu notior naturâ effectu; præmissæ autem in hac Demonstratione a Causa, sunt vt ante diximus, Causæ conclusionis: sunt igitur simul, & naturâ suâ priores & notiores, & etiam nobis priores, distincte ac perfecte effectum illud cognoscentibus.

Ac de Demonstratione a Causa in genere hæc dicta sint.

CAP.

Cap. III.

De prima specie Demonstrationis a Causa, quæ est a Causa efficiente per Emanationem.

Quid generatim omni Demonstrationi a Causa cõueniat diximus. Nunc ad illius species accedamus. Eas ego *tres esse aut plures aut pauciores* sentio. Omnis enim Demonstratio a *causa*, vel est a *causa efficiente per emanationem*, vel a Causa *efficiente per externam actionem*, vel a *Causa finali*. *Tres species Demonst. a Causa.*

Demonstratio a Causa efficiente per emanationem est, *quando Medium est Causa efficiens per emanationem, eaque proxima & immediata, maioris termini, id est, illius effectus, qui subiecto inesse demonstratur.* Atque hoc modo demonstrantur omnia omnino accidentia propria de suis proprijs subiectis, sed non omnia tamen propria eiuldem subiecti, per idem medium demonstrantur de illo subiecto. *Demonst. a Causa Efficiente per emanationem.*

Obseruandum est enim sedulo atque accurate, quod licet omnia propria accidentia vnius subiecti, emanant ab vna & eadem essentia subiecti, non tamen emanant omnia *immediate* ab illa essentia, sed certo quodam ordine, sic vt vnum proprium accidens, sit sæpe numero immediata Causa alterius. *In viuente*, ab anima vegetatiua immediate fluit vita, a vita fluit potentia primo nutriendi, ideoque recipiendi, digerendi, atque assimulandi alimentum, & expellendi excrementa. Secundo potentia augendi donec ad statutam mensuram viuens pertingat. Tertio generandi sibi simile in specie. Sic *in animali*, ab anima sensitiua immediate fluit Sensibile, (quæ est naturalis potentia sentiendi:) a potentia sentiendi, fluit potentia imaginandi per phantasmata recepta: ab hac, potentia iudicandi ea quæ sunt iucunda vel molesta sensui; ab hac, potentia tam appetendi quæ sunt iucunda, quam fugiendi quæ sunt molesta: ab hac, amor iucundi obiecti, & odium molesti; ab hac rursus, voluptas in fruendo quod iucundum est, & dolor in ferendo quod molestum est. *Propria omnia fluunt ab essentia, sed quodam ordine.*

Ab anima rationali immediate fluit potentia ratiocinandi; ab hac, primo fluit potentia iudicandi verum & falsum in omni re; & ab hac, potentia tam inueniendi, quam discendi quasuis artes & disciplinas, easdemque alijs docendi. Secundo potentia iudicandi

(humano more scilicet, per phantasmata recepta) quæ bona sunt, quæ mala; ab hac, potentia humano more, volendi ea quæ bona, & nolendi ea quæ mala iudicantur: ab hac, potentia humano more bene agendi, sic vt fias bonus; & male, sic vt euadas malus; ab hac, potentia beate viuendi, aut miserè. Tertio potentia iudicandi quid aptum ac secundum rationem decorum cuique sit, quid item indecorum & ineptum vel dicere vel facere; ab hac, potentia voluptatem capiendi in rebus serijs cum apprehenduntur vt decora, in rebus ludicris, cum apprehenduntur vt rationi indecora, & deridenda; ab hac, potentia ridendi. Etenim vt risus non immediate oritur a ratione, (nam multi ratione vtuntur quando non rident,) sed ex hoc, quod quis iudicat aliquid esse rationi indecorum, & tamen ludicre, sic vt animus in eo gestire debeat, ac risu voluptatem exprimere; itidem potentia ridendi, non immediate fluit vel ab anima rationali, vel a potentia ratiocinandi, sed a potentia iudicandi aliquid quod ludicre est, esse rationi indecorum, ineptum ac ridendum. Similiter a potentia indicandi quod aliquid iustâ ratione molestum vel iam sit vel fuerit, vel futurum nobis sit, oritur potentia flendi. Nam vt fletus non oritur a dolore quouis nec ab apprehensione obiecti cuiusuis molesti, non enim a sensitiuo, (cum dolorem habeant bruta quibus fletus non conuenit) sed ab obiecto tali, quod ratio apprehendit vel esse, vel fuisse, vel fore molestum valde nobis, ideoque dolendum ac deplorandum; itidem risus, non oritur ab apprehensione obiecti cuiusuis grati ac iucundi, nec a quauis voluptate, (non enim a sensitiua; quia nec bruta rident, quibus tamen voluptas sensitiua inest, nec homines etiam in multis sensuum voluptatibus; sed nec ab omni voluptate animi, nam in rebus serijs, vt in contemplatione animi, in agendo secundum virtutem, in fruitione amicorum, magnam sine dubio capit animus voluptatem,) sed risus tum oritur cum mens apprehendit aliquod obiectum, non solum vt iucundum sed vt rationi incongruum, & vt leue, etiam ac ludicrum, ideoque tale, vt merito in eo lætari animus debeat & voluptatem quam capit risu exprimere.

Idem in alijs dici posset. Fluunt certo ordine diuersæ proprietates ab essentia Materiæ primæ, Spirituum, Corporis, Elementorum, Corporis Mixti, lapidum ac mineralium, Plantarum, arborum, & herbarum omnium, Bruti, Quadrupedum omnium, itemque piscium, auium ac serpentium. Quis in istis alijsue vel omnes proprietates fluentes ab vlla forma, enumerare potest, vel ordinem quo se inuicem sequuntur declarare? Opus non dico arduum, sed vere impossibile, vt merito mortales nos magnam nec verbis vllis exprimendam imbecilitatem nostrorum omnium ingeniorum agnoscere hic debeamus, & plane aut cum Heraclito deflere inscitiam nostram, aut cum Democrito apud Ciceronem

b excla-

[b] exclamare, *veritatem & Causas veras rerum in profundo abditas & penitus abstrusas esse.* Specimen ego in his paucis exemplis dare volui, quo intelligamus, primo infinitas esse rerum formas ac essentias, quarum vix vlla, aut si forte aliqua, certe quidem minutissima earum pars nobis adhuc cognita est. Deinde vt videamus quantillum hoc sit, quod nos scire putamus. Vere dico, tam exile est atque exiguum, si ad immensum illud pelagus, imo infinitum Chaos & mundum, rerum quas nescimus conferatur; vt nobis omnibus sit cum Socrate [c] agnoscendum, *nihil nos scire, nisi quod nihil scimus.* Et cum Hier. [d] *Nos vermiculi, & culices, solam debemus scientiam inscientiæ profiteri.* Et quanto quis magis doctus, sciens, ac sapiens est, eo magis perspiciet quam longe, & vere infinitis parasangis, abest a perfecta sapientia & absoluta illa tam infinitarum rerum scientia. O spes hominum fallaces! o vanas & inanes cogitationes nostras! Scire nos & sapientiæ thesauros tenere putamus, cum vix vmbram eius habeamus, cumque eam, non dico intus & in cute, sed ne de vultu quidem ac facie cognoscamus, quique vt Theophrastus apud Laertium dicere solebat, *Cum incipimus sapere, tunc morimur.* Audi igitur Sapientiæ ipsius verissimam vocem, *Admonitus ex istis esto, fili mi; faciendi ac legendi multos libros nullum esse finem: Summa omnium ac Caput hoc est, Deum reuerere, & præcepta eius obserua, quia hoc est totum hominis.* Hoc si scis satis est si cætera nescis, absque hoc, scire omnia, nescire est. Verissime Aug. lib. 5. Confessionum cap. 4. *Infœlix homo qui sciat illa omnia. Te autem nescit; Beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat: Qui vero & te, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est.* Sed redeo vnde digressus sum.

[b] *Lib. 1. Acad. quæst. pag. 22.*

[c] *Vide Hier. tom. 1. Epist. ad Paulinum quæ est. 1.*

[d] *Tom. 3. Epist. ad Euagriam, quæ est, 24.*

Ex eis quæ dixi duo hæc cernere potes, primum est, quod *omnia propria accidentia* vllius subiecti manant ac fluunt ab essentia, natura aut forma illius subiecti, vel *immediate vel mediate*, ideoque forma seu essentia illius subiecti, est *Causa efficiens per emanationem* omnium talium accidentium quæ illi subiecto insunt; sed est causa aliquorum *immediata, & proxima*, aliorum vero *mediata ac remota.* Secundum est, quod multa propria accidentia fluunt, & emanant immediate, non a forma aut essentia subiecti, sed ab alio *accidente proprio*, quod prius emanauerat ab illa forma, ideoque *Causa proxima talium accidentium propriorum, non est forma aut essentia subiecti, sed aliquod proprium accidens emanans ab illa essentia.*

Propria omnia fluunt a forma vel immediate vel mediate.

Vnum proprium vt causa proxima alterius.

Atque ex istis duæ regulæ consequuntur, per quas omnes demonstrationes a causa efficiente per emanationem facile intelligi poterunt. Prior est hæc, *Omne proprium accidens quod immediate fluit ab essentia aut forma alicuius subiecti, demonstratur de illo subiecto per illam formam aut essentiam subiecti.* Vulgare exemplum est illud de rationali & risibili: & quidem, vt exemplum admisti potest,

In quibus forma subiecti est Medium.

test, quomodo nos sæpe ante admisimus; quia illustratio, non exacta veritas quærenda est in exemplis. Sed quoniam (vt mihi quidem videtur) *Rationale non est vere essentia aut essentialis differentia*, sed potius naturalis potentia, ideoque accidens proprium, quod ab essentia & differentia hominis (quæ verè est, *prædictum esse animæ rationali*,) emanat: & quia risibile non fluit immediate, vel ab animali rationali, vel ab illa potentia ratiocinandi, (etiamsi differentiam esse ponamus) sed ab alio accidente inde fluente, vt ante ostendimus; det mihi veniam lector, si hic à vulgo dissentiam, & exemplum illud ad sequentem regulam referam, vti revera referendum est. Quanquam positis eis, quæ vulgo (licet non vere,) ponuntur, quod rationale sit vera differentia, & quod risibile immediate a rationali fluat, his inquam positis, pro exemplo huius regulæ adhiberi potest. Et quod de rationali dixi, idem omnino pari modo de *Sensibili*, & *vegetativo* dicendum sentio, exempla vero hæc subijcio huius primæ Speciei Demonstrationi.

Omne prædictum animæ rationali est rationale, seu habet naturalem potentiam ratiocinandi: Omnis homo est prædictum animæ rationali, ergo omnis homo est rationalis seu potentiam habet naturalem ratiocinandi.

Sit hoc aliud: Omne prædictum animæ sensitivæ potest sentire, vel est sensibile: omne animal est prædictum animæ sensitivæ: ergo est sensibile.

Sic hoc, Quicquid habet formam corporis (quæ Corporietas dicitur,) est extensum in longum, latum &, profundum: Omne corpus habet formam Corporis: ergo omne Corpus est sic extensum.

Sic & hoc, omne materiatum seu habens materiam est mutabile: omnis substantia completa est materiatum seu materiam habet, ergo omnis Substantia completa est mutabile.

Similiter de omnibus omnio formis atque essentialibus differentijs substantiarum dici potest.

An sit Demonstratio aliqua potissima.

Id vero observa de hac prima Demonstrationum classe: quod si vlla Demonstratio sit, certe hæc & nulla alia demonstratio est *potissima* vocanda. Nam quæcunque in vlla Demonstratione requiri possunt, hic inveniuntur omnia. Propositiones hic omnes, *veræ sunt, certæ* ac *necessariæ*, & *necessariæ iuxta* omnem gradum necessitatis; omnes enim sunt *de Omni*; omnes *Per se*, maior & conclusio per se secundo modo, minor per se, primo modo, omnes etiam *Quatenus ipsum*. Subiectum hic semper est *proprium ac mediatum*, accidentis demon-

demonstrati subiectum. Accidens est proprium & proximum accidens illius subiecti. Causa quæ est Medium, est tamen *immediata ac proxima causa* vtriusque extremi; maioris quidem causa *efficiens per emanationem*, minoris *causa formalis*. Propositiones omnes etiam sunt *immediatæ*, maior & minor *immediatiue Causæ*, Conclusio *immediatiue subiecti*. Præmissæ denique sunt *Causa Conclusionis*, ideoque & *priores ipsa*, & *notiores* tam *natura* sua, quam *nobis* distincte & perfecte conclusionem illam scientibus. Ita nihil omnino in Demonstratione vlla desiderari potest, quod in omnibus huius Classis demonstrationibus non cumulate præstetur. Quare si vlla, hæc certe potissima nancupanda est. Sed ego nullâ illius *potissimæ demonstrationis* mentionem apud Arist.me legisse memini, nec inter eas quæ sunt a Causa *potissimam vllam* agnosco,

Altera Classis Demonstrationis a Causa efficiente per emanationem hac Regula explicatur. *Omne proprium Accidens alicuius subiecti, factus immediate ab alio proprio illius subiecti, demonstratur de illo subiecto per illud proprium accidens, quæ est proxima eius & immediata causa a qua fluit.* Exemplum huius ponit Arist. 1. Dem. ca. 10. nu. 5. *Proprium omnis demonst. aliud de subiecto.*

5. Omne globosum, & non translucidum, recipiens lumen aliunde, paulatim augetur, & per Cornua: Luna est globosa, & recipit lumen aliunde, & non est translucida: ergo luna accrescit paulatim. Simile est hoc, Omne rationale habet potentiam iudicandi quid sit aptum & decorum, quid item ineptum, indecorum, ludicre ac ridiculum, vel in factis, gestu, vel dictis; potestque illud si ludicre sit & ridiculum, cum voluptate animi apprehendere: Omnis homo est rationalis, ergo omnis homo habet potentiam iudicandi, &c. Iterum, Quicquid habet potentiam iudicandi & cum voluptate apprehendendi id quod est indecorum, ludicre ac ridiculi, potest ex illa apprehensione, risu suam voluptatem animi exprimere, vel est risibile; omnis homo habet istam potentiam; ergo omnis homo est risibilis.

Sic hoc, Quicquid habet phantasiam qua iudicat aliquod obiectum sensibile, vel esse sensui suo gratum ac iucundum, vel ingratum ac molestum, illud potest tam obiectum iucundum appetere, prosequi, & amare, quam obiectum molestum fugere, declinare ac odisse: omne animal habet talem phantasiam, ergo omne animal potest obiectum iucundum appetere, &c.

Sic hoc, Omne extensum in longum, latum, ac profundum, est & divisibile in infinitum, in longum, latum ac profundum, & locabile in loco circumscriptivo; omne corpus est sic extensum: ergo omne Corpus est divisibile in infinitum, & locabile in loco circumscriptivo.

Sic

Sic & hoc. Quicquid potest nutriri, potest alimentum sumere, digerere, assimulare & convertere in suam substantiam: omne viuens potest nutriri, ergo omne viuens potest alimentum sumere &c. Similiter dicendum est de omnibus alijs propriis accidentibus, quorum causa proxima non est forma aut essentia subiecti cui insunt, sed aliud accidens proprium fluens ab illa essentia. Hæc exempli causa apposuisse sufficit.

Discrimen inter hanc & primam Classem.

Hic vero obserua Demonstrationes omnes huius secundæ classis esse per omnia similes illis quæ sunt in prima Classe, nisi quod in his minor semper est mediata, *mediatione Causæ*, licet sit *immediata immediatione subiecti*, ideoque minor in his semper est demonstrabilis per aliam priorem causam. Et certe in Demonstratione non requiritur, vt minor sit immediata et indemonstrabilis: satis est *si prius demonstrata sit per immediatam Causam*; tunc enim, licet sit *alia* demonstrabilis, virtute tamen est *indemonstrabilis*, quia *postquam aliqua propositio demonstrata est, tantum ponderis est ac valoris ad demonstrandum, ac si reuera esset alia immediata & indemonstrabilis.*

Propositio prius demonstrata vim habet propositionis indemonstrabilis.

Et hoc in Mathematicis liquidum est. Nam cum sint innumerabiles apud eos Demonstrationes, paucæ, quidem primæ, ex simpliciter immediatis constant, ex scilicet in quibus proprium aliquod accidens, (puta trianguli, quadranguli aut aliorum) demonstratur de suo proprio subiecto per essentiam illius; reliquæ omnes, quæ multo plures sunt, et prope infinitæ, *ex accidente aliquo subiecto* ante demonstrato fiunt, tantamque tum vim habent, ac si immediate essent et penitus indemonstrabiles.

Hæc dicta sint de prima Specie Demonstrationis a Causa, quæ est ab *efficiente per emanationem*. Nam hæ duæ Classes, non faciunt duas diuersas species Demonstrationis, cum in vtrisque *medium* eundem omnino respectum habeat ad *maius extremum*: est enim in vtrisque *Efficiens per emanationem*, quare locus arguendi in vtrisque idem omnino est.

Cap.

Cap. IIII.

De Demonstratione a Causa efficiente per externam actionem.

SEcunda ſpecies Demonſtrationis a Cauſa, eſt à *Cauſa efficiente per externam actionem*, non per emanationem: vt cum demonſtramus lunam eclipſari, quia inter ipſam et ſolem terra interponitur. Ea ſic definitur.

Demonſtratio a Cauſa Efficiente per externam actionẽ quid.

Demonſtratio a Cauſa efficiente externa eſt, *quando Medium eſt Cauſa efficiens externa, eaque proxima & immediata motoris termini, id eſt ſubiecti effectum, qui ſubiecto ineſſe demonſtratur.* In omnibus enim demonſtrationibus huius generis, accidens tale demonſtratur de ſubiecto, quod non omnino manat aut fluit ab eſſentia ſubiecti, ſed ab extrinſeca Cauſa, quam neceſſario concomitatur tale accidens in illo ſubiecto. Scio nonnullos in ea eſſe ſententia, quòd, ſi veras ac genuinas formas atque eſſentias rerum cognoſceremus, earumiſtorum etiam accidentium inueniremus Cauſam aliquam internam ab eſſentia ſubiecti fluentem; ſed quia eſſentias rerum ignoramus, ideo cogimur ad externas earum Cauſas confugere, efficientem nempe externam, aut finalem, & per illas accidentia iſta demonſtrare. Hoc mihi nullo modo probandum videtur. Nam aliud eſt, quærere Cauſam, quare luna poſſit eclipſari, aliud quare actu eclipſetur: Certe enim ab eſſentia lunæ fluit, vt poſſit luna eclipſari, & illud proprium eſt lunæ: at quare eclipſetur, & ſuo lumine actu priuetur, non eſt propriũ lunæ, magis quã riſus hominis, nec ab eſſentia lunæ fluit, ſed ab extrinſeca Cauſa & nulla alia, ſicut riſus in homine: quare huius generis demonſtrationes nunquam poſſunt ad priores reuocari.

Quæ Accidentia demonſtrentur in hac ſpecie demonſtrationis

Exempla huius generis demonſtrationum ſunt quamplurima, *omnia enim accidentia quæ certam vllam neceſſariam & proximam cauſam externam conſequuntur aut concomitantur, quoties de illo ſubiecto demonſtrantur, hoc ſolo modo, nec vllo alio demonſtrari debent.* Dixi neceſſariam Cauſam: nam ſi non ſit neceſſarius nexus inter cauſam efficientem, externam, & effectum, ſic vt cauſa illa poſita, ponatur neceſſario ille effectus, & contra; non eſt cauſa talis quæ demonſtra-

monstrationem vllam vnquam efficiat.

Capiamus primo vulgatissimum exemplum de eclipsi lunæ, eoque libentius eo vtor, quia in illa formanda turpiter multi hallucinantur. Sic autem vt ego arbitror formari debet. Omne Corpus illuminatum ab alio, inter quod, & Corpus illuminans, opacum corpus sic interponitur, vt vmbra opaci corporis operiat, & comprehendat corpus illuminatum, eclipsatur seu priuatur suo lumine: at luna est corpus illuminatum (a Sole) & inter solem ac lunam, corpus opacum (quæ est terra) sic interponitur, vt vmbra eius operiat & comprehendat corpus lunæ; ergo luna eclipsatur seu priuatur suo lumine.

Sic & hoc: Omne corpus cuius excrementa humoribus conglutinantur ei, per talem humorum propter externum frigus congelationem, sic vt cohærere amplius non possint, defluxum, casum, aut amissionem illorum excrementorum patitur: at omnis arbor est corpus, cuius folia, (quæ ipsis excrementa sunt,) & fructus, per humores conglutinantur ei, ergo omnis arbor per talium humorum congelationem, defluxum, casum, & amissionem fructuum ac foliorum patitur.

Sic & hoc, Quicquid commode facit cibos descendere ad fundum stomachi, vbi concoqui eos oportet, adiuvat digestionem, & ideo salubre est; at moderata ambulatio post cœnam, aut prandium, facit cibos commode descendere ad fundum stomachi, vbi concoqui debent: ergo moderata ambulatio post cœnam aut prandium adiuvat digestionem, ideoque salubris est. Infinita huius generis hic addere possis: ex his formam vides & faciem huius secundæ speciei demonstrationis a causa.

Qualis sit Necessitas in propositionibus huius speciei.

In hac autem secunda Specie non reperiuntur omnes conditiones quas in priori specie vidisti, sed omnes tamen quæ ad demonstrationem istorum accidentium requiruntur aut desiderari debent. Propositiones omnes hic *veræ* sunt & *certæ*, etiam & *causa Conclusionis notiores ac priores* tam naturâ sua quam nobis, distincte illud effectum cognoscentibus. Sed necessitas talis propositionum omnium non est hic qualis erat in priori specie. Nam *Maior quidem hic semper est de omni, & per se quarto modo.* Minor autem & Conclusio, neque est *per se* vllo modo, neque de omni simpliciter, id est, omni omnio tempore, tamen sunt eo modo *De omni*, qui ad hanc demonstrationis speciem sufficit: its scilicet, vt semper effectus ille ponatur, posita causa: & causa semper ponitur, posito effectu: sic luna eclipsatur, non quidem semper simpliciter, sed semper posita hac causa: & terra non simpliciter semper interponitur, sed semper posito hoc effectu: sic arbori non simpliciter semper defluant folia, sed semper posita congelatione illa humorum quibus arbori conglutinantur. Ad Demonstrationem quidem primæ speciei,

speciei, vbi proprium fluens ab essentia subiecti demonstratur de illo subiecto, requiritur conditio illa De omni, simpliciter & absolute, quia causa talis accidentis semper inest subiecto: sed in Demonstrationibus huius secundæ speciei (quod itidem de tertia specie dicendum est) quia accidens tale demonstratur, quod non fluit ab essentia subiecti, sed ab externa causa, non requiritur, vt vel causa vel effectus semper & omni simpliciter tempore ponatur, sed hoc satis est (vt ex Arist. liquet, 1. Dem. ca. 7. num. 9) si semper vno eorum posito alterum ponatur: ita propositiones sunt de omni *respectu Causæ*, non *respectu temporis aut subiecti*, & causa dici potest de omni, *respectu effectus*, non respectu *subiecti aut temporis*.

Quod vero ad immediationē hic attinet, *Maior in his est semper immediata immediationi Causæ*. Minor nullo modo est immediata, quia in minori coniungitur semper Causa accidentis cum subiecto accidentis, quorum neutrum alteri inest vel immediate vel mediate. Conclusio autem est immediata, *immediatione subiecti*, si accidens de primo ac immediato suo subiecto demonstretur: vt luna est primum ac immediatum subiectum eclipsis lunaris, licet non simpliciter eclipsis. Nam Venus & Mercurius propter eandem omnino causam eclipsantur, propter quam luna. Quare vt ego sentio, ad demonstrationes huius secundæ speciei non requiritur subiectum proprium accidentis demonstratis sed satis est si de subiecto vllo cui accidens tale necessario (posita causa) inest, demonstretur. Qua etiam de causa non requiritur in hac specie demonstrationis vt subiectum sit Species, quod in priori demonstrationis a causa specie, semper evenit & necessario requiritur. Etenim certum est, de luna eclipsin demonstrari, & hoc diserte asserit Arist. 1. Dem. ca. 7. nu. 9. & 2. Dem. ca. 8. nu 8. & ca. 2. nu. 2. & sæpe alibi: & tamen luna pars est conticui sui orbis, non aliquod totum, & ita non magis species, quam caput aut manus, quæ non sunt species, sed partes integrantes individuorum speciei. Quia enim non quæritur in demonstratione quidquā aliud, quam causa proxima, quare accidens hoc vel illud inest huic subiecto, quid refert vtrum subiectum sit proprium an commune: vtrum pars, an totum; vtrum species an individuum; modò certo appareat hanc esse causā proximam cur insit? Quare etsi tanta non sit omnium propositionū necessitas aut immediatio in hac specie, quanta fuit in priore, tamen tanta est, quanta ad hanc demonstrationem, & ad demonstrandum hoc accidens de suo subiecto, necessaria est, imo quanta, vel quæri ab vllo debet vel dari ab vllo potest.

Dices si hoc ita sit, tum fatendum est illas demonstrationes priores speciei, esse potiores his, & has non esse vocandas potissimas demonstrationes, cum aliæ his potiores sunt, quia plures conditiones necessitatis in se habent. *Dub.*

Sol.

Reſpondeo, quod ſi Demonſtratio illa dicatur *potiſſima* quæ habet omnes, & illa *potior* quæ habet plures conditiones neceſſitatis, tum vere agnoſcendum eſt, eſſe aliquas his quæ in ſecunda ſpecie ponuntur potiores. Nam quæ ſiunt in prima claſſe primæ ſpeciei, (vbi accidens proprium demonſtratur de proprio ſubiecto per formam ſubiecti & eſſentiam,) hoc ſenſu omnium *potiſſima* ſunt; quia nulla omnino Conditio requiſita ad demonſtrationem a Cauſa, in illis deeſt. Itidem illæ quæ ſunt in ſecunda claſſe prioris ſpeciei, (vbi proprium accidens demonſtratur de ſubiecto proprio per aliud accidens proprium) ſunt *potiores* hoc ſenſu illis quæ ſiunt in hac ſecunda ſpecie, aut etiam in tertia, licet non ſint omnium potiſſimæ. Sed reuera hæc non eſt ſatis iuſta cauſa, quare vel illæ in prima Claſſe dicantur potiſſimæ, vel illæ in ſecunda claſſe primæ ſpeciei, dicantur potiores his quæ ſunt in hac ſecunda, aut tertia ſpecie. Sed omnes illæ dicendæ ſunt *potiſſima quæ generant perfectiſſimam ſcientiam quæ de tali accidente haberi poſſit, cur inſit huic ſubiecto.* Si hoc præſtet & generet hanc ſcientiam, (quod eſt finis omnis Demonſtrationis,) ſiue præſtet per plures, ſiue per pauciores Conditiones Neceſſitatis, nihil omnino refert, nec quidquam facit ad dignitatem demonſtrationis. Nam quod aliæ habeant pauciores Conditiones aliis, non prouenit ex eo quod indigniores ſunt aliis, ſed quia materia iſta neque admittit, neque requirit tot gradus aut Conditiones neceſſitatis. Illæ vero quæ habent pauciores, tot habent, vt potior nulla in illa materia demonſtratio dari poſſit. Simile habes in claue aurea, & ferrea. Si finem ac vſum clauis, (qui eſt aperire oſtium) reſpicias, ferrea æque præſtans eſt ac aurea: ſin materiam reſpicias, aurea multo eſt præſtantior. Idem fit in demonſtrationibus huius & in illis prioris ſpeciei. Ambæ ſunt vſu pares, quia æqualiter aperiunt tibi ſcientiæ oſtium, ſed materia longe impares ſunt.

CAP. V.

De Demonſtratione a Cauſa finali.

Demonſtratio a Cauſa finali, quid.

TErtia Species Demonſtrationis a Cauſa, eſt *a Cauſa Finali.* Ea ſic definitur. Demonſtratio a Cauſa finali, eſt *Demonſtratio in qua Medium eſt Cauſa finalis Maioris extremi.* Nam Medium hic ſemper exprimit finalem Cauſam quæ mouet efficientem ad agendum; & maior terminus, eſt ipſa actio efficientis qui agit propter illum finem. Finis autem non alio ſenſu cauſare dicitur, aut eſſe

Cauſa

Causa *quam quia mouet efficientem*, nec alius est effectus finalis causæ, quam *ipsa actio efficientis*. Finis autem mouet efficientem non *Physice* sed *moraliter*, suadendo aut excitando, dum finem illum vt bonum atque appetibile intuetur, ad agendum ea quibus illum finem desideratum assequi possit. Exemplum hoc cape, ex Arist. lib. 2. Demonst. cap. 11. nu. 6. Qui cibos non vult fluitare in stomacho, sed descendere ad fundum ventriculi, vt ibi bene concoquantur, vt sic per bonam concoctionem sanitatem recuperare possit, idem vult post prandium aut cœnam moderate deambulare: Febricitans vult sanitatem recuperare, ideoque vult cibos non fluitare in stomacho sed in fundum ventriculi descendere, vt illic bene concoquantur; ergo frebricitans vult post prandium & cœnam moderate deambulare. Vides hic finalem Causam deambulationis esse *medium*, & actionem ipsam febricitantis (nempe deambulationem) esse *maiorem terminum*, & per hanc finalem causam, hic demonstrari cur Febritans deambulet vel agat: simile de omnibus alijs iudicium est.

De his autem Demonstrationibus a Causa finali quatuor sunt obseruanda. Primum est: *Quod non est in his tanta vel Necessitas vel immediatio propositionum, quanta est in propositionibus Demonstrationum prima specici, vbi accidens demonstratur de proximo subiecto, per causam efficientem per emanationem.* Nulla enim hic est propositio simpliciter necessaria; quia neque simpliciter necessarium est, vt vel febricitans velit sanitatem recuperare, aut cibos bene digerere, vel vt deambulet post cœnam. Tota autem Necessitas hic oritur ex fine; nam si febricitans vult finem, qui est vt cibi bene digerantur, & sanitas recuperetur, necesse est vt velit media ad illum finem, ideoque vt deambulet. Quare propositiones hic sunt de omni non simpliciter *sed posito fine*: Maior in his non solum est de omni, sed etiam per se quarto modo, quia talis est tamque necessarius nexus, inter finem qui est Medium, & actionem efficientis, quæ est maius extremum, vt vnum alteri necessario cohæreat, & ex eo consequatur. Sicut ergo dictum est de Demonstrationibus secundæ speciei, ita de his, hic dicendum est. Licet in his non sit tanta necessitas, quanta in illis quæ sunt in prima specie Demonstrationum, est tamen tanta, quanta ad generandum plenam ac perfectam scientiam eius quod quæritur, sufficit; & quâ maior in hac materia, nec dari potest, nec quæri debet. Ideo omnes in hac specie Demonstrationes vere potissimæ dicendæ sunt, quia potior aut præstantior Demonstratio illius effectus, qui hic demonstratur, nulla dari potest.

Necessitas & Immediatio qualis sit in Demonstrationibus tertiæ Specici.

Secundo obseruandum est, quod *sicut Efficiens demonstratur per finem, ita semper vice versa finis demonstratur per efficientem.* Nam sicut demonstramus febricitantem ideo deambulare post cœnam, (quod

Efficiens & Finis se mutuo demonstrant.

(quod est efficiens Causa sanitatis) per finalem causam, quia vult bonam digestionem & sanitatem: ita per efficientem causam, (quæ est deambulatio post cœnam) demonstramus finem (quæ est bona digestio & quæ inde consequitur sanitas) Nam qui moderate deambulat, facit vt cibi descendant in fundum ventriculi, & bene digerantur, & ita sanitas amissa recuperetur. Ratio autem quare Finis & efficiens se mutuo demonstrent, est ea quam tradit Arist. 2. Phys cap. 3. vbi ait, *efficiens & finis sunt sibi mutuo causæ*. Possunt ergo se mutuo demonstrare. Ex quo consequitur tot esse numero demonstrationes a causa efficiente ad probandum finem, quot sunt a fine ad demonstrandum efficientis actionem; & rursus, tot esse demonstrationes a fine, ad probandum efficientis actionem; quot sunt ab efficiente ad demonstrandum finem.

Dub. Sed hic dubium occurrit non leuis momenti. Videtur enim hoc plane impossibile, vt vtrumque alterius causa sit: quia causa semper prior est naturâ suo effectu: quare si efficiens, & finis, essent sibi mutuo causæ, vtrumque altero esset naturâ prius; & sic idem esset & prius natura, & posterius natura respectu eiusdem: deinde si vtrumque posset alterum a priori demonstrare, tum vtrumque esset notius, & sua natura, & nobis, altero. Quia causa semper notior est & natura sua, & nobis distincte rem scientibus, suo effectu.

Sol. Respondeo, vtrumque horum & prius esse, & notius natura altero, sed non eodem modo, aut non in eodem genere prioritatis & notitiæ secundum naturam. Finis enim (quod sedulo obseruandum est) dupliciter consideratur: primo *vt per efficientis actionem iam actu productus est*, secundo *vt intenditur ab efficiente & ab eo producendus est*. Priori modo, non est dicendus finis aut Causa mouens efficientem, sed effectum efficientis; & quia hoc modo efficiens Causa est cur finis producitur, ideo efficiens est prior naturâ fine seu effectu. Posteriore modo, prout finis producendus intenditur, finis non est effectum efficientis, sed causa excitans et mouens efficientem ad agendum id quo producatur. Et hoc modo finis vere prior est naturâ efficiente; quia nisi finis moueret efficientem, nihil efficeret. Ita finis, prout vere finalis causa est, et prout excitat efficientem, est prior naturâ efficiente; prior inquam *quoad intentionem*; & efficiens hoc modo est natura posterior fine, quia posterius est natura vt agamus propter finem, quam vt intendamus illum finem propter quem agimus. Sed finis prout est effectum, et iam actu productum, est posterior natura efficiente, posterior inquam *quoad executionem*: et efficiens hoc modo est natura prior fine, nam actio efficientis producit finem; quod autem producit aliud, prius est natura eo quod producitur. Similiter vtrumque notius est altero, tam natura quam nobis. Nam rei natura postulat, vt prius scimus esse aliquem finem intentum, qui mouet efficientem ad agendum, prius-

Finis dupliciter considerandus.

priusquam possumus cognoscere quod efficiens agat propter illum finem. Et natura rei postulat etiam, vt prius sciamus efficientem agere priusquam scire possumus hunc finem, aut hoc effectum produci ab efficiente. Impossibile vero est, vt finis eodem modo acceptus, sit & prior natura & posterior natura efficiente, si prius ac posterius natura, eodem modo capiantur: sed vt vtrumque alicro prius sit & posterius, sumendo tam finem in diuerso sensu, quam prius & posterius natura, in diuerso sensu, non solum possibile est, sed verum, imo & plane necessarium.

Tertio obseruandum est, Omnes demonstrationes a Causa finali, inniti huic Axiomati & Maximæ indubitatæ fidei: *Qui vult finem, vult media ad finem.* Ratio est, quia ad finem nisi per media illuc ducentia perueniri non potest; quare quicunque vere, & efficaciter vult finem vllum assequi, necesse est vt media omnia illuc ducentia velit. Atque hoc est quod verissime Bonau. in lib. 2. sent. distinct. 38. nu. 6. aliique scholastici tradunt, quod quando quis vult finem sub ratione finis, *in eo vna est voluntas finis, & eorum quæ ordinantur ad finem*, sed finem vult explicite, media implicite; sicut contra, qui vult media sub ratione mediorum, licet explicite sæpe non nisi de medijs cogitet eaque velit, tamen implicite semper in illa ipsa mediorum volitione, vult etiam & finem. Et ridiculus plane esset qui finem se velle assequi diceret, sed non velle media ad eum finem; quia dum se nolle media dicit, sibi ipsi contradicit, dum finem se velle assequi dicit: cum in ipsa volitione finis, implicite dicat se velle media ad finem. Fit quidem sæpissime vt optemus, & cupiamus obiectum aliquod quod finis esse potest, cum tamen media non cupimus: vt si dicam, Vtinam iam essem Londini: imo vt impossibilia sic optemus, vt, O mihi præteritos referat si Iupiter annos: quo sensu Arist. 3. Eth. cap. 2. ait voluntatem esse impossibilium: sed *optio talis, appetitus* obiecti, aut cupiditas, aut vt Aquinas loquitur part. 1. quæst. 19. art. 6. *velleitas*, potius quam voluntas dici debet. Aut si voluntatem appellare libet, tamen volumus illud solum vt obiectum appetibile, non vt finem, aut non sub ratione finis. Cum vero finem aut quidquam sub ratione finis volumus, tunc voluntas nostra sic in illud fertur, vt vna ac eadem voluntate sicut ex Bonau. monui, licet implicite, in media quibus finis ille actu obtineri potest, feratur. Hoc igitur pro fundamento in omnibus demonstrationibus a fine constituitur, *Quod qui vult finem vult media ad finem.* *Fundamentum omnium Demonstrationum a Fine.*

Quarto obseruandum est, latissime patere vsum Demonstrationum a Causa finali: In omni pene disciplina, in omni arte, in omnibus rebus agendis, conspicuus est & illustris eius vsus. Noli ægre ferre mi adolescens, si exempla compluria & hic, & alibi sæpe in alijs causis apponam. Facio id in tuum vsum atque commodum, certe *Vsus Demonstrationum a Causa finali.*

certe enim longâ experientiâ iam didici, vtiliſſimum eſſe illud Monitum, *Da mihi magiſtrum in præceptis parcum, in exemplis prodigum.*

In Phyſica. Cape prima e Phyſica. In ea Dignitas hæc eſt & quidem dignitatum Dignitas, quam tradit Ariſt. lib. 1. de Cœlo. cap. 4. *Deus ac Natura nihil fruſtra faciunt.* 1. nihil, cuius non ſit finis aliquis aut vſus a Deo intentus. Sic enim ibi, *fruſtra*, accipit Ariſt. non vt 3. Phyſ. cap. 6. vbi id *fruſtra* fieri dicit, quod ſit in aliquem finem, ſed agens eum finem non aſſequitur. Nec mireris, quod Naturam ob finem ſemper agere dicam, licet eum finem ipſa nec intendit, nec ſciat. Agit enim *Natura* ſolùm vt inſtrumentum, vt miniſtra, & pediſſequa Sapientiſſimi moderatoris Dei. Ille rebus omnibus Naturam, id eſt, *naturalem vim*, indidit, qua ad finem a Deo præſcriptum & propoſitum aguntur ſingula quantum poſſunt: vt ſagitta neſcit ſcopum quò pergit, pergit tamen vi illi a ſagittante indita, ad ſcopum quem ille intendit; ita rebus ſingulis vim ſuam naturalem indidit Deus, quando dixit illis, *Creſcite & multiplicate*: & *Producat vnumquodque ſemen in ſpecie ſua*: verbum illud non erat qualia noſtra omnia, *ſignificativum tantum*, ſed *Operativum*, efficiens atque operans id quod ille fieri imperauit. Circumſpice iam res omnes naturales, nihil in eis fruſtra fieri, ſed omnia ſic fieri, propter eum finem in quem facta ſunt, videbis. Quare dedit hiſce animalibus oculos? vt videre poſſint: quare pedes? vt progredi: quare venas? vt ſanguinem a iecinore in ſingulas corporis partes ferant: quare neruos? vt ſenſitiuos ſpiritus, & motiuam vim, a cerebro ad alias partes vehant: quare arterias? vt vitales ſpiritus, & in eis vitam, a corde in omnes partes deferant. Nullum eſt omnino membrum, nullum os, aut cartilago, nullus articulus, aut particula Corporis, quæ non mirabili artificio ob eum finem quem propoſuit opifex ille maximus, ſic & quidem aptiſſime ac ſapientiſſime formatur. Cæcutimus in his plus quam talpæ, & ideo ſtultiſſimos Momos agentes carpimus quod feneſtrata corda hominis non habeant: quod bobus Cornua in Capite, non armo ſint; & ſimilia multa; ſic nimirum reprehendimus quæ non comprehendimus. Quod ſi oculis intueri poſſemus, quam mirabili artificio cœlum hoc aſtris velut luminibus ornauit Deus, elementa ſingula diſpoſuit, mixta omnia compoſuit, lapides, gemmas, arbores, herbas, animalia omnia & præ omnibus hominem fabricauit, & vnicuique tam multas, tam miras & ineffabiles vires ac virtutes indidit, certe non ad hæc ſolum magna & mirifica Dei opera obſtupeſcere nos æquum eſſet, ſed cum Ethnico Galeno, (qui nihil Deo, omnia naturæ tribuebat,) ad pedum noſtrum calcem, imo ad pulicis aut Culicis contemplationem admirabundi erumperemus in illam eius vocem, *Compoſui hic Carmen in laudem Creatoris mei.* Vix adhuc

maius

maius quid hic dicam? Ex fine, mundum hunc vniuersum conditum, & sic conditum demonstrare poteris. Qui voluit diuitias infinitæ suæ bonitatis, sapientiæ, potentiæ aliis manifestare, voluit Creaturas, in quibus velut clarissimis characteribus ista omnia inscripta sunt, condere, & hominibus angelisque rationem dare, qua ista omnia, & in eis Dei potentiam, bonitatem & sapientiam intueri, contemplari, ac æternis encomijs celebrare possent. Deus optimus maximus, pro suo beneplacito illud voluit, ergo etiam & hæc.

Ex hac Philosophiæ parte pullulat *Medicina*. Ars illa omnis a *fine* demonstrationes suas ducit. Qui vult Corpus noxijs humoribus aut sanguine impuro prægrauatum, eisdem exonerare, debet venam aperire, aut elleborum, aliudue purgans remedium adhibere. Medicus illud vult, ergo & hoc. Qui vult bilem pellere, radicem ponticam, vesicariam, asparagum, apium hortense, anisum, & fæniculi semen: qui melancholiam, aloen, epithymum, filiculum: qui febrim, Endiuiam, Intybum, polyganum, lactucam, oxalim, aut similia adhibere debet: medicus vult illa, ergo & hæc. Libri omnes medicorum huius generis demonstrationibus referti sunt. *In Medicina.*

Artes percurre, ex omnino omnes ex fine demonstrant, ea faciendi quæ faciunt, & eo omnino quo faciunt modo. Cur domum aliquis ædificat? vt possit commode habitare. Cur fundamentum supponit? vt stabile fit ædificium. Cur fenestras aperit? vt lumen intromittatur. Cur parietes, & tectum superstruit? vt æstum solis, vt aeris, imbrium ac ventorum iniurias arceat. Nauis omnes partes vide, Carinam, transtra, sentinam, Tabulata, gubernaculum, malos, vela, antennam, partes singulas a prora ad puppim; sic, neque aliter formandas esse ex fine cuiusque demonstrabis. Idem in Fabris omnis generis, Sartoribus, Sutoribus, Lapicidis, Linarijs, mangonibus, vestiarijs, cæterisque quæ innumeræ sunt artibus, facile ipse discernas: a corrigia calciamenti, ad coronam regis Capiti impositam, nihil ab vllo artifice fit, quod non & ex ista materia, & ad istam formam fieri debere, ex fine demonstrari possit. *Ars enim omnis naturam imitatur.* Vt verissime ait Arist. lib. 4. Meteor. cap. 3. quare vt natura, sic Ars nihil omnino frustra facit, nihil nisi in aliquem eumque commodum finem. *In Artibus.*

Disciplinas ads, Grammaticam, Logicam, Mathematicam, Ethicam, Physicam, Metaphysicam, & si quæ alijs hæ omnes, (& sine exceptione disciplinæ omnes,) si recte tradantur aut doceantur, a primis, vniuersalissimis, & maxime simplicibus debere ad ea quæ specialia, magisque composita sunt, progredi, per demonstrationem a Fine, verissime ac certissime demonstrari potest: & demonstrat hoc quidem ipse Arist. lib. 1. Demonst. cap. 2. Omnis enim disciplina scientiam conclusionum omnium quæ in ea sunt *In Disciplinis.*

doctrinalium generare debet; debet itaque doctor ille qui tradit & docet vllam diſciplinam, (omnis enim Demonſtrator talis eſt aut eſſe debet) facere vt diſcipulus quem inſtituit, ſciat concluſiones omnes iſtius diſciplinæ, tam perfecte quam ſciri poſſunt. At ſcientia Concluſionum omnium, omniumque inferiorum in vlla diſciplina, pendet ex cognitione principiorum, & vniuerſalium, nec vnquam perfecte ſciuntur, niſi cum ad primi, vniuerſaliſſima, & ſimpliciſſima in illa diſciplina peruenitur. A primis igitur, & maxime vniuerſalibus, maximeque ſimplicibus, in omni diſciplina tradenda incipiendum eſt. Eorum cognitio a nullo priori, omnium vero aliorum ſcientia ab illorum cognitione pendet. Hinc Grammaticus docet primo literas, tum ſyllabas, tum voces ſimplices, poſtremo earum Syntaxim. hinc Logicus agit primo de Argumentatione in genere, tum de Argumentatione demonſtratiua & probabili. Idem in alijs omnibus diſciplinis liquidum eſt.

In Ethica. Ad Ethicam accede; nullibi magis quam in ea Demonſtrationum a fine vſus. Axioma eſt in Ethica, & quidem omnium primum: *Omnes homines velle bene ſibi eſſe ac beate.* Et quidem hoc volunt, ipſa natura duce, & quia voluntatem, id eſt, rationalem appetitum habent. Etenim voluntas ex natura ſua, & bonum vult, & ſuum bonum, id eſt, beatitudinem, nec aliter poteſt quin iſta velle. Quare recte ait Aquin. 2. 2. quæſt. 10. art. 1. *Voluntas naturaliter tendit in bonum, & in ſummum finem*, ſeu ſummum bonum. Hoc iam poſito, (quod hic ſupponi debet) ex eo Ethicus concluſiones omnes ſuas deducit. Quicunque vult beatus eſſe, debet ſecundum virtutem viuere, quia aliter bene viuere non poteſt, nedum beate; vnuſquiſque vult beatus eſſe, debet igitur vnuſquiſque ſecundum virtutem viuere. Iam quia propoſitio in vlla diſciplina demonſtrata, pro principio, & vt principium indemonſtrabile deinceps accipi poteſt, ideo *debere omnem viuere ſecundum virtutem*, pro principio deinceps in Ethica accipitur, & tum ſic pergit Ethicus: vnuſquiſque debet ſecundum virtutem viuere, debet ergo fortiter agere, ideoque rurſus, debet & res ſecundas moderate ferre, nec ijs inflari, & forti animo aduerſas res cum ingruunt tolerare; debet patriam defendere, debet pro ea pericula omnia ſubire, & mortem ipſam ſi opus eſt oppetere. Iterum, vnuſquiſque debet ſecundum virtutem viuere; debet ergo vnuſquiſque, iuſtitiæ omnia officia præſtare; debet ergo ſuum cuique tribuere, obedientiam regibus, obſequium & honorem filialem parentibus, honorem debitum alijs omnibus. Iterum, debet ſuum cuique tribuere, non debet ergo aut vi eripere aliena, aut furto ſurripere, aut fraude vlla aucupari aut occupare. Iterum, debet quiſque ſecundum virtutem viuere, debet ergo quiſque verax eſſe, non igitur vel pernicioſo, vel lucroſo, vel officioſo, vel iocoſo mendacio vnquam vti; non igitur æqui-

æquiuocatione vlla aut mentali reseruatione. Et sic per omnes virtutes morales, per omnes etiam hominum ordines, licet finem hoc textere conclusionum moralium, donec a capite Ethicæ ad ipsum calcem peruenias.

Similis in Oeconomica huius demonstrationis a fine vsus. In ea vt Axioma omnium primum ponitur, *Oeconomum* seu familiæ dominum, *velle & sibi & toti suæ familiæ sic prospicere, vt bene omnibus sit ac beate*: & hoc sane in hac scientia vt principium ponitur, licet ex Ethica fortè demonstratur; quia ad Dominum familiæ vt & ad alios omnes pertinet, si beatus esse velit, ea quæ ad suum officium spectant præstare; illius autem munus est totius familiæ saluti prospicere, vt bene illis sit, ac vt honestam, commodam, & quantum fieri potest, beatam vitam transigant. Hoc igitur principio posito, reliquæ omnes in Oeconomica Conclusiones, inde deduci, ac demonstrari possunt in hunc modum. Quicunque sibi suæque familiæ bene esse vult, curare debet ac prospicere, non solum vt singulis quod æquum & conueniens est suppetat, sed vt singuli quæ ad sua officia spectant præstent: debet igitur curare, vt ipse nihil vlli præcipiat nisi rationi, moderationi, & prudentiæ œconomicæ congruum; debet eadem prudentiâ curare, vt cum talia præceperit, alij perficiant, vt vxor amore, & coniugalibus omnibus officijs ipsum prosequatur, & in regenda familia, parte maxima ipsum leuet, vt filij parentibus morigeri sint, atque in doctrina ac pietate informentur; vt serui iussa capessant, & alacri animo ipsi obtemperent, hic agrum colendo, occando, serendo, ille equis, bobus, & gregibus sibi commissis diligenter attendendo, & sic in reliquis. Vnusquisque Oeconomus vult primum, debet ergo velle & præstare omnia posteriora. *In Oeconomica.*

In Politica latissime omnium patet huius demonstrationis vsus. In ea, Axioma est omnium primum, omnium notissimum: *Regem aut summum magistratum velle sibi ac toti suæ reipub. bene ipse ac beate.* Nam iuxta 12. Tabulas, *Salus populi suprema lex esto.* Atque hoc, ratione ipsa, ac natura duce liquidum est. Quia cum Rex sit Caput Reip. Capitis autem qua caput est, officium sit, vt toti Corpori quo bene ei esse possit prospiciat, profecto idem velle & facere debet Rex quilibet in corpore politico, quod facit Caput in Corpore naturali. Ex hoc autem fine, (qui in Politica Positio indemonstrabilis est) demõstrationes omnes in hac scientia (ex plane infinitæ sunt) deducuntur. Quicunque vult sibi, suæque reipublicæ bene esse, eo ipso implicite vult, & actu atque explicite velle debet, se ipsum iuxta regulas prudentiæ ciuilis, & alios omnes gubernare; qui id vult, idem velle debet viros Consiliarios (quales Nestor erat) prudentia, virtute, grauitate, constantia, & ame omnia fide ac pietate præstantes sibi asciscere, quia plus vident oculi quam oculus, *In Politica.*

Jus, & nullum Numen abeſt ſi ſit prudentia: debet etiam leges juſtas, reipub. ſalutares, & ciuibus gratas atque acceptas, ſancire: debet iuxta normam ſuarum legum moderate ſine crudelitate, tyrannide, omnique iniuſtitia populum regere, & ſubditos omnes in officiis debitis continere: debet Iudices pietate inprimis, tum probitate, conſtantia, integritate, & ſcientia iuris claros, conſtituere; debet Oratores adhibere quales apud Quitilianum * Cato definit, qui ſunt ante omnia viri boni, tum dicendi periti, qui neruos omnes ingenii huc intendant vt ſuadeant perſuadeantque ciuibus omnibus bene, beateque viuere, & officia quæ ad ipſos ſpectant omnia perficere; debet bonas literas fouere, literatos honorare, mercaturam, agriculturam, omneſque artes reip. vtiles tueri: debet in omni parte reip. curare, vt quiſque pietatem, fidem, Iuſtitiam, omnemque virtutem colat, vt boni præmiis honorentur, mali vero iuſto ac debito ſupplicio coerceantur, vt hoſtes bello & iuſtis armis debellentur, quo ciues tranquillitate ac beata pace fruantur. Debet denique curare, vt ipſe omneſque ſubditi in ſuis ſinguli officiis ita pergant, vt opibus ac virtute ſimul rempub. florentem ac beatam efficiat atque conſeruet: At quilibet Princeps vult illud, ergo implicite vult, & explicite debet velle hæc omnia quæ ad eum finem media ſunt.

* *Quin. lib. 12. cap. 1.*

In Rhetorica. Rhetores in hoc a fine loco, velut in ampliſſimo campo ſpaciantur, omnes enim fere eorum rationes & perſuaſiones a fine dependent. Quicunque vult veram laudem adipiſci, velle debet in omni virtutum genere eminere, debet ſtudium omne in reip. vtilitatem conferre. Tu vis illud, ergo velle debes & hæc. Quicunque vult opes & commoda ſibi cum honeſtate comparare, debet artes legitimas ſectari, eaſdemque ſic exercere vt nulli damnum faciat aut iniuriam: tu vis prius, ergo velle debes poſterius. Quo reipub. dignitati, ſaluti, & incolumitati proſpicitur, debet ad hoc bellum Aſiaticum aduerſus Mithridatem & Tygranem gerendum, dux vel Imperator eligi, ſapientia militari, virtute, authoritate & fœlicitate præſtans; talis Dux eſt Pompeius, ille igitur ad hoc bellum mittendus. Item in omnibus aliis Rhetorum orationibus obſeruari facile poteſt. Ex hoc vno finis fonte omnes emanant.

In Theologia. Poſtremo loco ad Theologiam aſcende, multo maximus ibi huius loci vſus. Qui vult homines in barathrum peccatorum lapſos, iuſto pretio redimere, vult infiniti valoris victimâ, ideoque morte vnigeniti ſui filii, (quæ ſola infiniti valoris eſſe potuit) infinitam pœnam expiare: Deus optimus maximus voluit illud, ergo voluit & hoc. Qui vult alicui vitam æternam dare, vult & media ſalutis, fidem, charitatem, pœnitentiam, inque his perſeuerantiam impartiri; Deus vult illud electis omnibus dare, ergo & hæc. Sed adhuc

multo

multo latius hic patet iste a fine locus. Nam quæcunque a Deo nobis præcipiuntur, eorum omnium observatio a fine deducitur: Omnia siquidem quæ vel ad Legem, vel ad Euangelium spectant, ex hoc vno finis fonte derivantur, & ex hac vna Maxima pendent omnia. *Quicunque vult finem, velle debet & media.* Finis omnium agendorum est vera Beatitudo, quam omnes natura duce expetunt. Quis vero & quænam sit vera beatitudo, & quibus mediis ad eam perveniri possit, nos miselli homines & talpæ, penitus ignoramus, Deus optimus maximus in sacrosanctis & ab eo diuinitus inspiratis Scripturis, nobis vtraque hæc luce clariùs revelauit, & demonstrauit. Eo igitur fine quem dixi posito ita arguit Theologus, Quicunque veram beatitudinem assequi vult, debet omnia ad eam media & velle & exercere: Debet igitur credere in Iesum Christum, debet Deum ante omnia, & propter Deum proximum, sincere sicut seipsum amare; debet bene viuere, & in omnibus præceptis dei ambulare & perseuerare. Tu illud vis, itemque ille, cæterique omnes, ergo debes tu cæterique hæc omnia velle atque agere.

Hoc autem semel demonstrato, potes eodem deinceps pro principio vti. Nam vt sæpe dixi *Propositio demonstrata vim habet Indemonstrabilis & immediati principij.* Accipiendo autem hoc (*debere vnumquemque in omnibus Dei præceptis ambulare*) licet hinc in omnem vitæ partem, in omnia omnium officia descendere, & ex hoc ea omnia præstanda esse, demonstrare. Quanta igitur hinc Demonstrationum seges succrescit? Omnes debent præceptis Dei obtemperare, debent ergo Deum colere eo quem ille præcepit modo; atque hinc rursus debent Idolatriam omnem fugere atque detestari, neque vlli creaturæ, non reginæ cœli, non collyridi, non Imagini crucifixi, latriam exhibere: atque hinc rursus, debent e Babylon exire, ne participes sint Idolatriæ, & peccatorum eius.

Iterum, Omnes Dei præceptis obedire debent, ergo filij omnes parentibus, serui dominis, subditi Principibus obedire debent suis: atque hinc rursus: Ergo qui rebellionem suadent, qui rebelles & regicidas auxilio aut consilio iuuant, & præcipue, qui rebellionem & cædes Principum legitimam esse docent, qui parricidas & nefarios homines rebellionis & læsæ maiestatis reos, pro Sanctis & martyribus venerantur & colunt, execrandi, & ad inferos amandandi sunt.

Infinitus plane essem, si ista persequi vellem. Specimen ego hic dedi, quo possis quam late longèque vis expaciari in omni hominum, inque omni officiorum genere. Sed sisto me hic. Annon enim molestus tibi sum mi lector, dum tam multa, tam varia, inq; tam varijs disciplinis exempla ingero? Nec tamen hic veniam

deprecor: feci enim in tuum solius vsum atque commodum, partim vt magnum atque multiplicem huius demonstrationis a Fine vsum liquido videres; partim etiam, imo præcipue, vt si possem in aliarum disciplinarum studijs vbi opem ferrem. Certe enim, disciplinæ aliquæ earum quas attigi, vel non satis a multis intellectæ sunt, vel non satis recte constitutæ; in ipsa enim earum fabrica, non leuiter peccari sentio. Sed satis multa de hac a fine demonstratione dicta sunt, adeoque de omni demonstratione a causa. Cuius vt iam vidisti, *tres sunt, & numplures Species*: prima est a causa *efficiente per emanationem*, cuius sunt duæ vt dixi classes; secunda, *a causa efficiente per extremum alterum*; tertia est, *a causa finali*.

Cap. VI.

Quod neque Formalis, neque materialis Causa sit vnquam Medium in Demonstratione a Causa.

An Formalis Causa, aut materialis possit esse medium in demonstratione.

DVbitari non iniuria potest, vtrum a *formali* & *materiali causa* demonstrationes fiant, & an non illæ causæ, medium sint aliquando in demonstrationibus a causa?

Respondeo, *nunquam esse, in quantum sunt forma & materia*. De forma res certissima est & perspicua cuiuis. Nam forma eiusdem subiecti, sæpenumero est medium demonstrationis, nempe in eis omnibus quæ sunt primæ classis, in prima specie. Sed forma illic non est medium quatenus est forma, sed quatenus est efficiens per emanationem. *Medium enim vt Medium respicit maius extremum*, quod semper est accidens illud, quod de subiecto demonstratur, & vt ante monui, *ex eo respectu quem habet medium ad maius extremum, inde semper tam Demonstratio quam omnis argumentatio duci dicitur*. Quid vero aliud est forma respectu accidentis per eam demonstrati, nisi efficiens per emanationem? quare certum est Demonstrationem omnem in qua Forma subiecti est medium, esse demonstrationem a *Causa efficiente per emanationem*, non autem a forma.

Idem plane dicendum est de materia; ea enim vocatur materia respectu subiecti cuius est pars materialis ipsum constituens, nunquam

quâ respectu accidentis; nam ex materia non fit accidens, sed solū subiectū; *nunquā igitur materia quatenus materia, est causa illa quæ est medium in Demonstratione a Causa*, quia respectu accidētis demonstrati quod semper est maius extremum, nunquam est materia. Sæpissime fatendum evenit, vt in materia contineatur id quod est efficiens causa accidentis, seu maioris termini, & tum accidens dicitur *produci ex necessitate materiæ*: at in illiusmodi omnibus, demonstratio revera ducitur a *Causa efficiente inclusa in materia*; non autem ab ipsa materia, quatenus est materia. Exempli gratia, quidnam efficit vt sepia emittat atramentum quo se occultare possit ab inimico pisce, & ita quasi in vmbra effugere? Certe ipsa sepiæ materia, id est, constitutio corporis illius. Num dedit ei natura hoc atrum excrementum, & abundantiam eius, sic vt possit quoties vult emittere. Vis igitur illa & potentia primo generandi, cum expellendi excrementum tale, est causa efficiens quæ facit vt sepia emittat atramentum: quod autem nunc emittat, vbi periculum ipsi imminet, non alia causa dari potest quam finalis, nempe vt hac arte subterfugiat, & se servet ab hoste. Quod si nunquam hic finis ei proponatur, tamen quia oneri ipsi esset tale excrementum, emitteret illud vi sua quam dixi expultiua. Cur animalibus multis accrescunt cornua in capitibus? Ex necessitate materiæ recte dicis hoc euenire; non quia materia sit effectrix causa, (nam actiones omnes compositorum proueniunt a forma non a materia) sed quia in materia, & temperamento corporis illorum animalium, est abundantia magna terrei excrementi, quod necessario ejciendum est, ideo vis illa expultiua excrementorum quæ inest eis animalibus, egerit & expellit commodissime illud per cornua: & quamvis etiam natura in finem aliquem cornua dirigit, vt eis se tueri ista animalia possint, (quod boves facere videmus) tamen etiamsi nullus esset talis finis, necessitas materiæ & temperaturæ corporum in illis animalibus, talis est, vt sic cornua expellantur. Id quod in cervis cernere licet, in quibus etsi Cornua non sint ad tutelam dicta, sed oneri potius ac impedimento, tamen quia plurimum est in eis terrei excrementi, non potuit illud commodius expelli, quam per cornua. In his omnibusque aliis (nam vere infinita exempla afferri possent) nunquam Materia (qua materia) est causa accidentis demonstrati: ideoque nunquam est medium in vlla demonstratione: sed quia in materia seu corpore illo, cuius accidens demonstratur, talis est temperatura & Constitutio, vt accidens tale inde oriatur; ideo *accidens illud a quo efficitur*, vere efficiens causa est illius accidentis; & eiusmodi accidentia dicuntur ex necessitate materiæ fieri, aut per materiam demonstrari, cum revera causa propria ac proxima per quam demonstrantur, nulla alia sit, nisi *accidens aliquod in illa materia vel corpore*. Hoc clarius perspicias si adverteris quo pacto

istius-

istiusmodi demonstrationes formari debeant. Cape hoc vnum exemplum. Omne animal in quo vis est naturalis tam generandi multum terrei excrementi, quam expellendi illud, quodque commodius quam per cornua expelli non potest, ideoque sic expellitur, Cornutum est vel cornua habet. At cerui, boues & similia, sunt animalia, in quibus est vis naturalis tam generandi talis excrementi, quam illud expellendi, quodque commodius non potest expelli quam per Cornua: ideoque sic expelluntur: ergo cerui, boues, aliaque animalia cornuta sunt, vel cornua habent. Vides hic *subiectum* de quo fit demonstratio esse Ceruos, boues & similia animalia: nam si adæquatum subiectum vnum sciretur, illud sumendum esset. Sed quia illud ignoratur, hæc illius loco ponere cogimur. Vides etiam *Accidens* quod demonstratur de hoc subiecto, esse, *Cornua habere* vel cornutum esse. Vides denique *causa huius accidentis* esse non aliam, quam ipsam expulsionem illius excrementi. Nam etsi materia cornuum, sit ipsum terreum excrementum, tamen cur illud excrementum in cornua excrescat, causa non est ipsum excrementum, sed facultas & potentia expulsiua illorum animalium, imo ipsa electio & expulsio excrementi illius, in eum ipsum quo fit modum. Atque ita hæc, omnesque similes demonstrationes, verissime spectant ad secundam speciem demonstrationis a Causa: vbi accidens demonstratur per *Causam efficientem externam*. Nam sicut a potentia illa naturali sic expellendi excrementum tale, demonstratur talia animalia posse cornua habere, ita quod actu habent cornua, non prouenit vel a forma illorum animalium, vel a potentia naturali, quæ in illis a forma fluit, sed *ab ipsa actuali expulsione illius excrementi.*

Dub. At videtur Arist. plane contrarium docere de numero causarum: quæ sunt *media* in Demonstratione a Causa. Nam lib. 2. Dem. ca. 11. nu. 1. expresse numerat quatuor causarum genera, *formam, materiam, efficientem & finem*, & tum addit hæc verba, *Omnes hæ per medium demonstrant*: id est, omnes sunt media in demonstratione a Causa.

Sol. Respondeo, Si vel hic, vel in aliis apud Aristot. locis, in cortice verborum hæreas, sæpissime errabis: perpende vero omnia quæ eo cap. ac supra, Arist. tradit, & verissimum perspicies esse id, quod prius de numero demonstrationū a causa declarauī. Certe enim neq; plures causas posse esse medium in Demonstratione, quam *finalem & efficientem*, tam per *emanationem*, quam per *externam actionem*, res ipsa clamat; neque plures, aut alias causas medium esse posse vnquam sensit Arist. Declarat quidem Arist. loco citato quo modo & quo sensu dicere possumus vnamquamque causam ex illis quatuor esse medium in demonstratione. Hoc, inquit, si quis vult dicere, debet hoc solo sensu dicere, & nullo alio, quod *forma sit medi-*

um

um quatenus est efficiens per emanationem accidentis alicuius quod illi subiecto inest: & quod Materia *sit medium, quatenus continet in se, vel formam, vel accidens aliquod quod est efficiens accidentis illius quod de subiecto demonstratur*, efficiens dico vel per emanationem, vel per externam actionem. Quod vero forma *quatenus est forma*, vel materia, *quatenus est materia*, sit vnquam medium in vlla Demonstratione, neque vsquam dixit: neque vnquam sensit Arist.

Quæri vlterius possit, *an non plures sint eiusdem rei demonstrationes*, vel *an vnum idemque accidens per plures causas demonstrari possit*? Rationem dubitandi præbent illa verba Arist. 2. Dem. c. 11. nu 8. vbi ait, *quædam fieri tum propter finem, tum ex necessitate materiæ*, vt si quæratur quare laterna transmittit lumen, responderi potest, vel per finalem causam, ne offendamus eundo, vel per efficientem, quia laternæ materia est transparens. *Dub. An vnius rei possint esse plures Demonstrationes.*

Respondeo nunquam fieri posse, vt idem accidens per causas duas demonstretur. Nam *vnius rei, vna est tantum causa simpliciter proxima adæquata & principalis, quæque satisfacit quæstioni propter quid*: quod si contingat (vt evenit sæpissime) vt plures causæ sint alicuius effectus, nulla tamen earum, nisi vna tantum, satisfacit quæstioni propter quid; reliquæ omnes sunt minus principales, secundariæ, tales quæ nec faciant demonstrationem eius quod quæritur, nec gignant illius scientiam. Est fateor in quibusdam difficile indicare quæ sit principalis aut præcipua causa, vtrum efficiens an finis: vt in Sepia, si quæratur cur atramentum emittat, possis & per efficientem & per finem respondere; sic & de omnibus opinor animalium ac plantarum partibus, nam & efficiens est aliquod proximum, quod ita efficiat: & tamen non efficeret nisi in aliquem vsum ac finem. Sed advertendum est sedulo ac caute quid sit id quod quæritur; nam ex quæstione, aut modo quærendi, indicandum est de causa. Si quærat quis, quid facit sepiam emittere atramentum; quærit de efficiente, ea est vis expulsiua sæpiæ. Sin quæratur, cur tum emittet cum eam alius piscis persequitur, non de efficiente quærit, sed de fine: ideo tum respondendum per causam finalem, vt se abscondat & effugiat. Si quæras cur laterna seu vitrum lumen transmittit, quæstio est de efficiente causa, & per eam est respondendum; quia est materiæ transparentis, & translucidæ. Sed si quæras cur emittit lumen homine ambulante, quæritur tum de fine; & per finalem causam respondendum est, ne in tenebris homo offendat. Itidem si quæras cur boues emittant cornua, de efficiente quæritur, & dicendum quod id fit, quia bos habet multum terreni excrementi quod sic commodissime expellitur: sin quæras cur in hanc formam ea emittat, cur acuminata, cur in fronte, non a tergo, quæstio de fine est & per finalem causam respondendum *Sol.*

est, vt si melius se cornibus, velut armis tueri possint. Ita fere semper evenit, vt revera duplex quæstio sit in his quæ tam efficientem habent quam finalem, Quando igitur semel perspicue cognoscitur, quid sit quod quæritur, non potest plene satisfieri illi quæstioni nisi per vnam tantum causam.

Sed de Demonstratione *a Causa*, illiusque tribus speciebus hæc satis multa.

Cap. VII.

De Demonstratione ab Effectu.

Sequitur altera *species* Demonstrationis, quæ vocatur *ab Effectu*. Quia vero hanc maxima ex parte per demonstrationem a causa, intelligere poteris, ideo brevius de ea agamus. Ea sic definitur.

Demonstratio ab Effectu, quid.

Demonstratio ab effectu, *est Demonstratio, in qua ex necessario effectu alicuius causæ, quam inesse aut convenire alicui subiecto declaramus, proximam ac immediatam illius effectus causam eidem subiecto inesse aut convenire concluditur*: vt si ex eo, quia vides lunam primum suo lumine colligas, sine dubio ali quod esse opacum corpus sic inter ipsam & solem, a quo lumen suum mutuatur, interponi, vt umbra opaci illius corporis pertingat ad lunam eamque comprehendat & operiat. Effectum hic interpositionis illius vides, nempe privationem luminis in luna, ex eo interpositionem aliquam fieri, certissime concludis: & quia præter terram, nullum opacum corpus dari aut fingi potest quod interponatur, concludis iterum terram interponi, atque ita ab effectu quem vides, manu duceris ad causam illius effectus quam ante nesciebas.

In quo conveniant, & in quo discrepent demonstratio ab Effectu, & a Causa.

Observa autem, quod *Subiectum* de quo fit demonstratio ab effectu, idem plane est cum eo quod fuit in demonstratione a priori. *Causa* etiam immediata in hac eadem; & *effectus* etiam illius causæ plane idem. Differunt vero hæ demonstrationes in duobus. Primo, in *collocatione causæ* ex qua consequitur conuersio simplex maioris propositionis. Nam in demonstratione a Causa, *Effectus semper est maior terminus, & causa Medium*: at in demonstratione ab effectu,

causa est semper maior terminus, & effectus Medium; & quia Medium, seu effectus convenit tam maiori termino (quæ est causa) quam minori termino (quæ est subiectū illius effectus, ideo causam etiam ipsam illi subiecto convenire demonstramus. Quare indubitatum Axioma cui veluti Fundamento omnes demonstrationes ab effectu innituntur est hoc: *Cuicunque subiecto convenit aliquis effectus, eidem convenit etiam causa proxima & immediata illius effectus*, quia talis causa individuo nexu cōiungitur semper cum suo effectu. *Fundamentum demonstrationum omnium ab effectu.*

Et hinc rursus videas, quare hæc demonstratio dicatur ab effectu. Nam vt ante dixi & sæpe dicendum est, *Quam rationem aut respectum, medium habet ad maius extremum, ex eo loco semper ducitur Argumentum*, Quoniam igitur hic, Medium est effectus maioris extremi, ideo hæ omnes demonstrationes ab effectu verissime vocantur.

Quia autem Effectus, est posterior natura sua causa: ideo omnes demonstrationes ab effectu, vocantur *Demonstrationes a posteriori*: sicut illæ omnes quæ sunt a Causa, vocantur Demonstrationes *a Priori*: & quia Causam immediatam convenire subiecto hic demonstratur, quare autem causa illa subiecto conveniat, non demonstratur, nec vero demonstrari potest, (quia semper est propositio immediata immediatione Causæ:) ideo omnes demonstrationes ab effectu vocantur *Demonstrationes ὅτι*, id est quòd res ita sit; sicut omnes quæ sunt a causa, vulgo vocantur *Demonstrationes διότι*, id est propter quid, quia demonstrant effectum convenire illi subiecto, per causā illius effectus immediatam ac proximā. *Demonstratio ab Effectu, vocatur, a Posteriori.*

Si objcias, demonstrationem omnem *esse syllogismum scientialem, seu talem qui facit scire*: vt expresse ait Arist. 1. Dem. ca. 2. nu. 5. Demonstrationem autem ab effectu non facere scire, quia *scire est rem per causam cognoscere*, vt eodem cap. nu. 1. asseritur. Ideo demonstrationem ab effectu non esse vocandam demonstrationem. Solutio facilis est, *scire* enim dupliciter dicitur, vt ait Arist. 1. Dem. ca. 10 nu. 1. Scire *quod sit*, & *propter quid sit*: Demonstratio a Causa facit scire & *quod sit*, & *propter quid sit*: ideo ea potissima, & præstantissima vocatur & sæpe κατ' ἐξοχήν, demonstratio; sicut etiam scire proprie, præcipue, atque κατ' ἐξοχήν, is dicitur, qui scit & *quod sit*, & *cur sit*; demonstratio autem ab effectu, licet non facit scire *propter quid*, ideoque non gignit scientiam *propriè dictam*, quæ est scientia tam quod sit quam cur sit, tamen facit scire *quod sit* (& plus de causa sciri non potest quam quod conveniat subiecto,) & ideo est demonstratio *quod sit*, seu ὅτι; licet non sit demonstratio quia sit aut *διότι*. *Dub.* *Sol.*

Demonstrationis ab Effectu duæ sunt species. Prior est, *in qua per effectum Causa efficientis per emanationem, quod inest subiecto proprio & immediato illius effectus, causam ipsam proximam efficientem* *Prima species demonstrationis ab Effectu.*

per emanationem illi subiecto inesse demonstratur. Capiamus vulgare exemplum de quo quid sit sentiendum ante diximus.

Omne risibile est rationale; omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis.

Secunda species demonstrationis ab effectu.

Altera species est, *quando ab effectu causa efficiens per extrinsecam actionem, qui subiecto convenit, demonstramus illam causam efficientem per extrinsecam actionem eidem subiecto convenire*: vt hic. Cuicunque corpori folia & fructus per humores eidem agglutinati defluunt, eidem convenit, vt humores congelentur: at omni arbori folia & fructus defluunt, ergo omni arbori convenit vt humores congelentur.

Necessitas in propositionibus, demonstrationis ab effectu. Dub. Sol.

Atque hæc demonstratio, vti etiam & prior, eandem plane habet propositionum necessitatem, & immeditationem quam habet demonstratio a causa; differunt solum per *Conversionem maioris, & transpositionem minoris ac Conclusionis*, vt ante dictum est.

Sed quare non additur hic tertia species, quæ respondeat demonstrationi a causa finali? Ratio manifesta est. Quia, cum causa efficiens, & finalis, vt ante docuimus, sint sibi mutuo causæ, siue probes efficientem per finem, siue finem per efficientem, vtroque modo fit demonstratio a causa: neutra vero est demonstratio tantum ab effectu: quare non potuit vlla demonstratio ab effectu huic respondere, quin eadem esset etiam a causa: & nomen dignius ei tribuendum esse iure videbatur.

Vsus demonstrationum ab Effectu.

Vsus harum demonstrationum ab effectu, longe maximus est, & plane necessarius. Is est, vt per effecta ducamur ad cognitionem causarum. Nam omnis nostra cognitio, præsertim in illis scientijs quas ipsi invenimus, incipit ab effectis. Effecta nos sæpe sensu aut inductione magis facili ac sensibili, cognoscimus subiectis convenire, vt expresse ait Arist. 1. Dem. ca. 10 nu. 2. Hoc cognito, inde causas illorum effectuum eisdem subiectis convenire concludimus. Accipe vnum alterumue exemplum. Primum ex Arist. loco nuper allato; stellas aliquas scintillare, & quasi scintillas emittere videmus, & sensu discernimus; planetas id non facere iidem videmus, quærimus scintillationis huius causam proximam; eam dum investigamus, animadvertimus inductione frequenti, ea corpora luminosa quæ propius a nobis absunt non scintillare, quæ vero longius distant scintillare. Ex hoc igitur effectu, sensu cognito, demonstramus planetas propinquiores nobis esse, quia non scintillant; stellas vero fixas, longius multo distare a nostro viso, quia scintillant: sic igitur concludimus, Corpus luminosum quod scintillat longius remotum est, stellæ fixæ sunt corpora luminosa quæ scintillant, ergo stellæ fixæ longius a nobis remotæ sunt. Hoc iam per effectum cognito, regredimur rursus a causa ad effectum,

et

et a priori, atque ex hac immediata causa scintillationis, (quæ est longa distantia a visu) demonstramus, scintillationem stellis fixis & non planetis conuenire. Vtrum autem scintillatio ista accidens astrorum sit, an (vt mihi videtur) nostrum, & in nobis, quia visus noster vacillat ad inspectionem eorum quæ longissime distant, & quorum species propter nimiam distantiam, non tam fortiter sensus ferire possunt (quomodo etiam idem vsu venit illis, quorum visus humoribus noxijs impeditur, quibusque geminæ se ostendere Thebæ solent,) Opticos consule.

Idem in eclipsi, idem in risibilitate, alijsque omnibus declarari posset. Sed omissis alijs, ego hic illud vnicum exemplum de *inuentione materiæ primæ* attexam. In illius notitiam, nos per aliqua effecta peruenisse, certum est. Per quæ vero? Omnes ni fallor Interpretes Arist. antiqui simul, ac moderni, ex generatione rerum & corruptione materiam primam, primo nobis innotuisse opinantur; & per hoc effectum, demonstrari eam a posteriori putant. Mihi aliter omnino videtur, imo plus quam videtur. Nam certum est, materiam primam neque esse immediatam & adæquatam causam, neque proximum ac proprium subiectum generationis & corruptionis. Etenim *Corpus in communi*, itemque omnes *cœlestes orbes*, materiam primam habent, in his tamen nunquam erat aut erit vel generatio vel corruptio. Si autem hæc esset vera demonstratio a posteriori, & ab effectu, hoc est generabile & corruptibile, ergo est materiatum: certe inde liceret regredi, & a priori concludere, hoc est materiatum, ergo est generabile & corruptibile. Hoc quia non consequitur, vt in *corpore in communi*, ac *cœlo* liquidum est, certe ab hoc effectu generationis & corruptionis materiam demonstrari impossibile est. Proxima autem causa generationis & corruptionis, sunt actiuæ illæ et passiuæ qualitates, quæ corrumpentes dicuntur, quia rerum omnium quæ corrumpuntur corruptiones efficiunt; et proprium atque proximum subiectum generationis, est *Corpus ipsum in communi* prout habet in se formam caducam, corruptibilem aut ab ea separabilem; nam illud Corpus, mutationem vtramque in se recipit, *Corruptionem*, cum amittit formam corrupti, *generationem* cum acquirit formam geniti: Et ideo suscipit in se tam generationem quam corruptionem, quia habet in se perpetuo corrumpentes qualitates, quæ inter se bello ἀστήρδῳ, in quo nullum vnquam fœdus aut induciæ sunt, confligunt, donec vni corpori interitum attulerint, alteri vt succedat viam parauerint.

Quomodo materia prima inuenta sit, & cognita.

Quomodo igitur inquies, peruenimus in cognitionem materiæ primæ? Dicam quod vere sentio. Ab effectu aliquo cognitam esse non est dubium; sed a quo effectu? Attende. Certum illud est quod habet Aquinas, par. 1. quæst. 65. art. 1 et sæpe alibi. *Quandocunque in diuersis inuenitur aliquod vnum, oportet quod illa diuersa*

illud vnum ab aliqua vna causa recipiant. Hoc quod vere Axioma dici potest, inductione clarum est. Omnibus hominibus inest risibilitas, inest ergo omnibus aliquid quod est illis omnibus communis causa et radix risibilitatis: Brutis et hominibus inest sensus; inest ergo vnum aliquid, quod est communiter vtrisque radix sensus. Plantis et animalibus inest nutritio, vtrisque igitur inest communis aliqua nutritionis causa: Mixtis, et elementis calor inest, vtrisque ergo vna aliqua inest caloris causa. Percurre omnia, non te vnquam fallet hoc Axioma. Vide nunc mihi cœlum, simul et omnia sublunaria corpora, vides in omnibus *mutationem* inesse ac *motum*, vides omnia *loco definiri, tempore mensurari, accidentibus subesse.* Ne dubites igitur, inesse illis omnibus vnam aliquam et eandem radicem ac causam, quare hæc communiter omnibus insint.

Ascende vero adhuc paulo altius. Spiritus contemplare, animas hominum, et Angelos, tam bonos quam malos. Illi omnes, hæc quæ dixi, cum omnibus corporibus communia habent, *mutantur, mouentur, loco definiuntur, tempore mensurantur, accidentibus subsunt*, æque ac corpora. Quare pro certo concludere potes, quod et spiritibus, et corporibus inest vna aliqua communis causa, vna radix vnde hæc vtrisque proueniant.

Quæ vero illa Causa? Accidens certe esse non potest. Nam Accidens nullum accidentia producere potest, nisi vi ac virtute substantiæ alicuius, cuius est instrumentum. Vt recte docet Aquin. par. 1. quæst. 45. art. 8. ad secundum, & quæst. 115. art. ad quintum, et sæpe alibi. Quare si propter accidens vllum hisce omnibus commune, hæc illis omnibus inessent, oporteret necessario aliquam substantiam, cuius vi ac virtute illud accidens ageret, omnibus inesse. Tandem igitur ad aliquam substantiam, quæ spiritibus simul omnibus, omnibusque corporibus inest, ac communis est, peruenire necesse est. Substantia illa, vel simplicis est essentiæ, vel compositæ. Vt sit compositæ essentiæ plane est impossibile, nam composita essentia nulla est aut fingi potest, supra spiritum & Corpus. Nulla igitur substantia composita, vel essentiæ compositæ, est vtrisque communis; nulla igitur talis eorum quæ dixi Causa esse potest. Restat ergo Substantiam esse aliquam simplicem & essentiæ simplicis, quæ cum sit spiritibus simul ac corporibus communis, eorum quæ dixi omnium communis causa esse debet. Substantia talis simplex, nulla est nisi vel forma, vel materia. A forma vlla illis communi, hæc prouenire impossibile est. Nam nec Spiritibus forma inest: neque est vlla communis differentia essentialis formæ correspondens, quæ vtrisque conuenit. Nam differentiæ primæ essentiales substantiam diuidunt in Corpus & Spiritum; quarum vna spiritui propria est, altera Corpori. Cum igitur nulla sit forma, aut essentialis differentia vtrisque communis,

fiat

sine dubio nulla forma eorum quæ dixi, causa in vtrisque esse potest. Restat igitur vt sit materia; & quia nulla materia, prior materia prima vel est, vel fingi aut concipi potest, certissime concludere, atque ex hac demonstratione a posteriori aut ab effectu, scire debes, *& materiam primam, Spiritui simul ac corpori inesse*, & eandem eam ipsam esse, *vnam illam radicem, & vnam causam, quare tam spiritui quam corpori ea omnia qua dixi conueniunt*, nempe *mutatio, motus, locus definitus, & quod accidentibus subsistant.* Neque sine vnquam potuissemus scire materiam primam cœlo & sublunaribus corporibus fuisse communem, nisi in vtrisque vidissemus, & cognouissemus, esse quosdam communes effectus, qui ab vna communi vtriusque causa prouenirent: similiter nunquam potuissemus cognoscere, hanc materiam primam spiritui inesse, nisi cognouissemus spiritibus simul & corporibus inesse quosdam communes effectus, qui ab vna causa ac radice vtriusque communi proueniunt: a nulla vero alia causa posse prouenire, nisi a materia prima, certo cognoscimus.

Atque hinc vlterius certo scimus, & demonstramus a posteriori, hanc materiam nec inesse Deo nec inesse posse, quia neque *motus*, neque *mutatio* illi inest, neque is vel *loco definiri*, vel *tempore mensurari* potest. Quare cum materia nulla, neque illa quidem simplicissima, (quæ prima vocatur,) illi inest, sicut iam a posteriori demonstrauimus; regrediendo demonstramus (idque a priori,) neque vel formam ei vllam inesse posse, quia forma nisi in materia esse non potest: neque accidens ei vllum inesse posse, quia materia prima est proxima & immediata causa subsistendi accidentibus. Ex quo rursus demonstramus, nihil omnino reale, seu nullum Ens esse Deo & creaturis vllis commune: Nam omnia Entia quæ creaturis conueniunt, sunt vel substantia finita, vel accidens, quorum neutrum Deo conuenit aut conuenire potest. Atque hinc rursus demonstramus, Deum esse omni modo simplicem, imo simplicissimæ naturæ: quia neque habet, neque habere potest vllam compositionem, vel *ex partibus essentialibus*, cum primum essentiale prædicatum sit materia prima, seu substantia; vel *ex subiecto & accidente*, quia accidens ei nullum inesse potest; ideoque nec subiectum ille esse potest; vel *ex partibus integralibus*, quia tales quantitatiuæ sunt, & accidentia insequuntur; accidentia autem nulla ei inesse possunt. Hæc & complura alia, ex ista quam posui Demonstratione a posteriori, de materia prima, non solum perspicue consequuntur, sed verissime ac certissime, partim a priori, partim a posteriori demonstrantur.

Merito hic dubitari potest, de ista quam posui demonstratione de materia prima. Nam in omni demonstratione a posteriori, (vt ex definitione liquet) per effectum quod subiecto inest, debet demon- *Dub.*

strari

strari, Causam illius effectus eidem subiecto inesse: at in ista quam posui demonstratione, causa istorum accidentium aut effectuum, non demonstratur inesse materiæ, sed solum Materia, id est, ipsum subiectum esse demonstratur. Cum tamen subiectum demonstrationis omnis, *esse præsupponitur* in omni scientia, non demonstratur.

Sol. Respondeo, Subiectum quidem inesse supponitur in omni scientia, non quia non possit a posteriori probari, sed quia is qui ad scientiam aliquam discendam accedit, non potest facile probationem illam percipere: ideo iubetur discipulus credere, & accipere id vt certum, licet postea in progressu scientiæ, videbit & intelliget, tam quod probari possit a posteriori, quam quo modo id fiat. Hoc plane euenit in Materia prima, cum a posteriori esse talem materiam probatur. Ad alterum quod obicitur respondeo, Causam istorum accidentium & effectuum, *puta mutabilitatis, mobilitatis, & reliquorum*, vere ac certo demonstrari in dicta demonstratione de materia prima; non *expresse* quidem, & *explicite*, sed *virtute & implicite*. Nam materia prima, cum sit essentiæ simplicis, non habet (sicut homo, animal, & alia composita) aliquid realiter a se distinctum, quod vel sit causa istorum accidentium, vel causa cur sint in ipsa; sed ipsa sua simplex essentia, id est, ea ipsa, est & causa proxima vnde ista accidentia fluunt, & causa proxima cur ipsi insint. Ex quo fit, vt qui ex mutatione, motu, & reliquis accidentibus, probat materiam primam inesse Spiritui ac corpori, is virtute & implicite probat, illa ipsa accidentia inesse in materia, & inesse ipsi, per simplicem suam essentiam. Nam cum quis ita concludit, Spiritui & Corpori inest mutatio ac motus, ergo inest eis materia prima: idem est reuera & virtute, ac si diceret in hunc modum, Cuicunque insunt accidentia propria, quæ proxime & immediate fluunt a simplici essentia materiæ primæ, illi inest tum materia ipsa prima, (quæ est proximum & immediatum subiectum illorum accidentium) tum simplex essentia materiæ primæ, a qua illa accidentia fluunt. At Corpori & Spiritui communiter insunt illa accidentia propria, quæ fluunt a simplici materiæ primæ essentia; ergo Spiritui & corpori inest tum materia prima, (quæ est proprium ac proximum subiectum istorum accidentium,) tum simplex essentia materiæ primæ, a qua illa accidentia fluunt. Scio, hic pro subiecto istorum accidentium, poni *Spiritum, & Corpus*, quæ sunt *media* subiecta, non proxima; sed facilioris intelligentiæ causa, posui illa loco materiæ primæ, quæ est proprium ac immediatum subiectum istorum accidentium: quia cum materia, & illius simplex essentia non sint realiter distincta, idem re esset dicere materiam & dicere simplicem essentiam materiæ. In idem igitur recidit siue materiam primam dicas, siue Corpus ac Spiritum; si hæc duo loco materiæ, id est, immediati subiecti poni aduertas. Itidem, idem plane est, dicere materi-

materiam esse, & dicere simplicem essentiam materiæ esse, itemque dicere corpori & spiritui inesse materiam, ac dicere eis inesse essentiam simplicem materiæ: ita fic vt cum de corpore & spiritu demonstrentur accidentia ista, per materiam, idem virtute est, ac si de ipsa materia demonstrentur illa accidentia, per simplicem essentiam materiæ. Quod si clarius adhuc, & expressius videre cupis vim huius demonstrationis, accipe *substantiam completam*, pro subiecto illorum accidentium, quanquam re idem sit cum materia: sed docendi causa sic accipiamus) & accipe *materiatum*, pro essentia simplici substantiæ completæ: & tum sic contexe demonstrationem a posteriori, Omne mutabile, mobile, locabile, tempore mensurabile, & capax accidentium, est materiatum; omnis substantia completa est mutabile, mobile, locabile, tempore mensurabile & capax accidentium, ergo omnis substantia completa est materiatum. Hic *subiecto proprio ac immediato* horũ accidentiũ (quod est ipsa materia prima) probatur *materiatum esse*, i. simplicem essentiam materiæ, (quæ est *causa proxima & immediata illorum accidentium*,) inesse, quia eidem subiecto, ipsa illa accidentia (quæ sunt illius causæ effecta) insunt: quæ verissima est & clarissima demonstratio a posteriori: vnde si regredi vis & demonstrare a priori, hæc accidentia alicui inesse, ita debes arguere. Omne materiatum, est mutabile, mobile, locabile, tempore mensurabile, & capax accidentium; Omnis substantia completa, (tam spiritus quam corpus) est materiatum, ergo omnis substantia completa (tam spiritus quam corpus) est mutabile, mobile, locabile, tempore mensurabile, & capax accidentium. Quæ est verissima demonstratio a causa, seu a priori. Atque hinc vlterius per demonstrationem negativam, a posteriori, demonstres Deum non esse materiatum: quicquid non est mutabile, mobile, locabile, tempore mensurabile, illud non est materiatum; Deus non est mutabilis, mobilis, locabilis, nec tempore mensurabilis: ergo Deus non est materiatum. Atque hinc rursus a priori poteris demonstrare, per demonstrationem negativam, Deum non esse capacem vllius accidentis; Quicquid non est materiatum, seu quod non habet materiam, non est capax vllius accidentis (nam materia prima, seu illius simplex essentia, est vera, proxima & immediata causa cur aliquid capax sit accidentium:) at Deus non est materiatum, vel non habet materiam, ergo Deus non est capax vllius accidentis. Hæc est vera & vnica ratio, qua ad certam notitiam materiæ primæ peruenire potest; & qua sola ratione materia prima inuenta primo fuit, & cognita; quæ ego hic fusius tractare volebam, tum vt rei tam obscuræ (in qua tam multi lapsi sunt) lucem afferrem, tum vt his tam illustribus Demonstrationibus, singularem demonstrationum in omni scientia vsum adolescentibus indicarem. Nam hæ omnes quas

proposui de materia prima Demonstrationes, siue a priori illæ sint, siue a posteriori, ad Metaphysicam spectant, ad eamque illius partem in qua subiectum est *substantia completa*: illæ vero quas de Deo negativas demonstrationes proposui, ad metaphysicæ partem illam spectant, in qua subiectum est Deus; sed non ante possunt formari hæ negativæ de illo demonstrationes, quam priores affirmativas de materia prima plane perspectas habeamus.

An regressus in demonstrando licitus sit.

Quæres an regressu illo quem diximus uti liceat, & an necessarius sit. Nam Arist. Circularem demonstrationem reijcit lib. 1. Dem. ca. 3. videtur autem circulus esse, quando ex *effectu causam*, & rursus ex *causa effectum* demonstramus. Præterea si admittatur hic regressus, effectus erit & notior nobis sua causa, & etiam causa notior nobis suo effectu; quod non videtur possibile: postremò in progressu ab effectu ad causam, vel cognoscimus causam illam esse causam illius effectus, vel non cognoscimus; si cognoscimus, frustra regredimur; si non cognoscimus, tum effectus non duxit nos ad notitiam Causæ, & tum inutilis erat, nec generauit eam cognitionem, quam demonstratio generare solet ac debet.

Respondeo, Aristotelem non reijcere omnem Circularem demonstrationem, sed eam solum quam veteres venditare solebant. Dicebant autem illi vtrumque processum esse demonstrationem *a priori*, & a notioribus *natura*. Hoc merito vt absurdum, ridiculum, & impossibile reiecit Arist. In regressu autem vnus processus est ab effectu ad causam, ideoque ab eo quod natura sua posterius est atque ignotius; alter vero processus, est a causa ad effectum, ideoque ab eo quod est prius atque notius natura sua. Quare, ne videamur circulum illum admittere quem reiecit Aristoteles, nolumus hanc probandi rationem vocare *Circularem demonstrationem*, sed vt ab illo circulari distingueretur, *Regressum in demonstrando* appellare maluimus.

Ad alterum, fatendum est, idem posse recte dici, & notius nobis, & ignotius alio sed diverso sensu. Effectum scimus ante causam, sed *confuse*, non autem *distincte*; & ista confusa cognitio effectus, ducit nos ad cognitionem causæ. Priusquam autem distincte cognoscimus effectum, oportet nos distincte cognoscere hanc esse proximam & immediatam illius effectus causam. Quando autem id cognoscimus de causa, tum facile possumus distincte cognoscere effectum per illam causam; In primo igitur processu qui est ab *effectu ad causam*, confuse solum adhuc, & imperfecte cognoscimus tam causam esse huius effecti causam, quam effectum esse huius causæ effectum: sed postea per accuratum & diligens examen mentis, discernimus hanc esse proximam causam huius effectus: & tum ex ea causa, in secundo processu (qui regressus dicitur) demonstramus & effectum illud tali subiecto inesse, & quare insit scimus. Inter primum

primum ergo proceſſum qui confuſam ſolum generat notitiam cauſæ, *interuenit diligens examen mentis*, per quod diſtincte cognoſcimus cauſam eſſe huius effectus cauſam, & ex ea, effectum ſubiecto huic ineſſe demonſtramus. Ita neque penitus ignoramus cauſam, cum facimus primum proceſſum; (nam tum ad notitiam cauſæ nunquam duceremur per effectum:) nec plena tamen & perfecte cognoſcimus, (nam diſtinctam adhuc non habemus ſcientiã quod hæc ſit proxima illius cauſa:) ſed poſtea per examen (quandoque longius, quandoque breue ac ſubitum) percipimus cauſam hanc, eſſe proximam illius effectus cauſam, tum in ſecundo proceſſu, ſtatim regredimur ad demonſtrandum effectum, quem iam ſcimus propter hanc cauſam ſubiecto ineſſe.

Hæc ſunt, quæ de demonſtratione non tam explicanda mihi, quam ſignificanda ſuſceperam. Si quis vero plenam, ſolidam, ac perfectam eorum omnium quæ ad Demonſtrationem ſpectant, notitiam habere deſiderat, eum ego ad doctiſſimum Iac. Zabarellam iterum remitto: a quo hæc, aliaque omnia quæ in hac cauſa ſcire cupit, hauriri, nec tamen vnquam exhauriri poſſunt. Certe enim in hac parte Logicæ ille Palmam meruit, *Palmam ergo ille habeat ſecum, ſeruetque ſepulchro.*

Finis lib. quarti.

LIB. V.

DE SYLLOGISMO PROBABILI.

CAP. I.

De Syllogismo Probabili in genere, & quid sit Probabile.

Argumentatio probabilis, quid.

DIctum est de prima specie Argumentationis, quæ est *Demonstratio*. Sequitur nunc secunda Species, quæ est *Probabilis argumentatio*, de qua agendum, primo in *genere*: secundo, in *Specie*. Ea in genere sic definitur. *Argumentatio Probabilis est Argumentatio dicta ab aliquo loco probabiliter arguendi, in qua ex præmissis probabilibus, conclusio infertur, vel ad inveniendum quod verum est, vel ad suadendum quod bonum est.*

In qua definitione tria exprimuntur quæ sunt diligenter observanda. Primum est, *quid sit Argumentationis finis*: Secundum, *qualis*

qualis sit illius materia: Tertium *vnde ducatur hæc argumentatio*. Finis est duplex; vnus *est Differere*, id est, disputando verum inuenire, vel tentare an alius eum inuenire possit: alter est *suadere aut dissuadere* aliquid faciendum esse. Ac per hos vtrosque fines differt a Demonstratione, cuius finis, nec est disserere nec suadere, sed tantum docere. Quare iuxta hos duos fines, duæ sunt disciplinæ quæ ambæ probabili argumentatione vtuntur, *Dialectica* nimirum & *Rhetorica*. Vterque probabiliter arguit, vterque eâdem formâ syllogizandi & arguendi vtitur, vterque ex eisdem locis arguendi argumenta petit. Sed Dialecticæ obiectum est verum, & cognitio veri, Rhetoricæ finis est Bonum, seu res agenda vel non agenda. Quare si quis se Dialecticum dici vult, oportet vt is probabiliter arguat vt vel verum ipse inueniat, vel vt tentet an alius illud inuenire possit. Sin Rhetor audire vult, tum oportet eum probabiliter arguere vt suadeat alicui hoc vel illud facere aut non facere. Atque hinc vtramque disciplinam facile est definire. *Dialectica est Species vel pars Logicæ generalis, quæ docet probabiliter arguere in hunc finem vt differendo verum inueniatur.* Rhetorica est *pars Logicæ generalis, quæ docet probabiliter arguere in hunc finem vt suadeat aut dissuadeat aliquid esse faciendum.* Vtrique disciplinæ hoc commune est, quòd doceat probabiliter arguere: finem vero diuersum vterque sibi proponit. Quoniam ergo eâdem omnino formâ probabiliter arguendi vterque vtitur, nos hic quod vtrisque commune est tractabimus, vnicuique liberum relinquentes, an Dialecticus esse velit, & vti hac forma probabiliter arguendi ad verum inueniendum: an Rhetor, & vti eadem formâ probabiliter arguendi ad suadendum aut dissuadendum. Subiectum igitur huius nostræ tractationis non est vel *Dialecticus Syllogismus* vel *Rhetoricus*, sed is qui vtrisque communis est; quique communi nomine *Syllogismus vel Argumentatio probabilis* dici debet.

Finis Probabilis argumentationis.

Dialectica & Rhetorica differentia.

Dialectica quid.

Rhetorica quid.

Subiectum huius tractatus.

Secundum in dicta definitione obseruandum est, *quod tam præmissa quam Conclusio probabiles sint*. Nam in hoc etiam differt Demonstratio seu demonstratiua argumentatio a Probabili, quia in illa tam conclusio quam præmissæ necessariæ sunt; In Probabili autem argumentatione, sicut conclusio vt probabilis infertur, ita præmissæ vt probabiles asseruntur: neutrum horum, neque conclusio neque præmissæ necessariæ sunt; aut si *ex se* necessariæ sint (vt sæpissime sine sunt) tamen ab eo qui probabiliter arguit accipiuntur *vt probabiles solum*, non, vt necessariæ: ille enim si neges, paratus est eas quantumuis necessariæ sint, alio probabili syllogismo confirmare.

Præmissa & Conclusio Probabiles.

Probabile definit Arist. 1. Topic. cap. 1. nu. 7. *Esse id quod verum esse videtur, vel omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his vel sit, omnibus, vel plerisque, vel sapientissimis.* Quia autem definitio hæc testimonio

Probabile quid sit.

stimonio aliorum nititur, & quia difficile est cognoscere, quid vel plerique, vel sapientissimi sentiant in vlla causa, quid vero omnes sentiant plane impossibile est scire, ideo omissa illa Aristot. definitione, quid sit *Probabile*, ex ipsa probabilitatis in se consideratæ natura explicabimus. *Probabile illud est, ad quod probandum, id est, approbandum eique assentiendum, argumentis inducitur aliquis.* Nam verbum hoc, *Probo*, primario significat idem quod *approbo*, vt apud Ciceronem ad Attic. *Meum factum probari abs te gaudeo*: secundario autem, argumentis rem aliquam confirmare, id est, efficere vt probetur aut approbetur ab alio. Quare Probabile id vocandum est quod tale est, vt argumentorum vi efficiaris aut inducaris probare seu approbare. Pari sensu *Probabilis argumentatio ea dicitur, per quam quis facit aut facere conatur, vt conclusionem probes eique assentiaris.* Sic & propositio probabilis dicitur, quòd argumenta afferri possint quæ inducant auditorem eandem probare, eique assentiri. Ex quo fit vt non solum verum, sed & falsum etiam si *verisimile* sit, *Probabile dici* possit. Vt Cic. lib. 1. de Inuent. ait *Probabile id esse, quod habet in se quandam similitudinem sive id falsum est, sive verum.* Et in Parad. *Nihil est tam incredibile quod non dicendo fiat probabile*, id est, tale vt videri tibi possit, probandum esse.

Falsum nunquam solide Probari potest.

Obserua tamen quod *Falsum nunquam solide aut efficaciter vlla firma argumentatione probari aut confirmari potest.* Nam si posset, tum recta ratio indicaret & vere indicaret falsum esse verum, & idem simul esse ac non esse: quod est impossibile. Sed quia veritas sæpe in occulto latet, & nos fugit, fit argumentationum vi, (in quibus sæpe specie veritatis decipimur,) vt ea nos pro veris, quæ vere falsa sunt, approbemus. Quod quotiescunque fit, certe aut Syllogismus in forma peccat, aut sine dubio nos præmissas, aut earum alteram, quæ falsa fuit, pro vera admisimus: atque ita in errorem, qui in conclusione continetur, lapsi sumus. Nam si Syllogismus recte contextus sit, impossibile est ex veris præmissis, quicquam nisi verum vnquam inferre aut concludere. Cum igitur audis, hanc vel illam rationem *probabilem esse* aut dici, ne idcirco eam despicias quasi vel præmissæ non sint in ea veræ, vel conclusio ita probata, non sit vera, sed solum verisimilis aut incerta: nam (quod te hic semel monitum volo) argumentationes omnes probabiles, si veræ argumentationes sint, & non fallaces, & si recte a locis arguendi ducantur, verum semper concludunt, idque ex præmissis veris, talibusque vt necessario concedendum sit conclusionem inde consequentem & veram & certam esse. Sed *probabiles* dicuntur *respectu intentionis eius qui tu vtitur*, quia is illas præmissas sive veræ sint, sive falsæ, probare paratus est, & ratione alia efficere, vt tu eas probes, eisque assentiaris. Quod si tu vnquam vlla ratione in errorem adductus sis, scias pro certo vel argumentationem talem

non

non fuisse recte formatam, vel non recte ab illo arguendi loco ductam, vel in ea præmissam vnam aut ambas falsas, ideoque non probandas fuisse; quas quia tu, (rerum ignarus, nec satis ad singula expendenda promptus,) specie veri deceptus, vt veras accipis, hinc fit vt tuo vitio in errorem incidas, quia probasti id, eique assensum præbuisti, quod reuera probandum non fuit, sed penitus pernegandum, licet speciem veri habere videbatur.

Hinc etiam Dubium quoddam soluitur, non indignum obseruatione. In disputando semper Opponens vnam contradictionis partem accipit, Respondens alteram: harum vna semper vera est, altera falsa; at falsum tueri imo vel solum asserere nulli licet, quia præceptum generale omnibus est *Loquimini veritatem.* Videtur igitur non licere in vlla causa cuiquam disputare, quia alteri sine dubio falsum asserendum est & tenendum. Aque hoc sane nonnullorum, qui periti satis iuris erant, animis scrupulum iniecisse scio, qui hoc ipsum mihi olim, cum in illo nobili Lincolniensi hospitio concionatoris officio fungerer proposuerunt, vtque hunc scrupulum eorum animis eximere postularunt. Hinc autem penitus tollitur. Nam si veritas *conspicua sit*, non alia mens est, aut esse debet opponentis, aut in contrariam partem arguentis, quam ita dicere, *Hac verisimili ratione quam nunc propono, videtur veritas ista quam tu tueris infringi*, aut, *sic arguunt illi qui contrarium asserunt*, aut aliquid simile. Et sane nulli dubium est, quin clarissima veritas, verisimili aliqua argumentatione oppugnari possit. Eam verisimilitudinem dum disputatione instituta vtrique discutiunt, fit vt veritas magis elucescat, & vt id in quo verisimilis illa quæ allata fuit ratio, claudicabat, vtrique fiat manifestum. Quando autem de *veritate non constat* (quod & in alijs disciplinis, & in iurisperitorum disceptationibus sæpissime vsu venire solet) tum qui vtramuis partem tuetur, probabilitati innititur, & ex vtra parte veritas stet discutiunt. Vtrique igitur hic subintelligunt hoc vel quid simile, *Ex hac probabilitate videtur causa nostra esse, nobisque adiudicanda.* Ita fit vt neuter vnquam falsum asserat, ne tum quidem cum id quod falsum est, specie probabilitatis se tueri vel dicat, vel vt subintellectum inter disserendum ponit. Si vero quis *certo cognitam*, & perspectam sibi veritatem oppugnet, vel si vterque disputantium *secluso hoc, quod subintelligendum semper in disceptando dicimus*, in arenam discendat, & eorum vnus serio, confidenter, & ex animo contradictionis vnam partem asserat; et pari confidentia aduersarius alteram tueatur, nulli dubium esse potest, quin eorum alter, (serio id quod falsum est asserendo) mentiatur, ideoque grauiter delinquat. Nam nec serio nec simulate vnquam cuiquam est contra veritatem quidquam asserendum. Sint Theologi, imo oratores omnes, & Iurisconsulti, qualem fuisse Biantem refert Diog. Laer. [a] *Orator summus & vehemens, sed in bonam causam*

An liceat contra veritatem disputare.

[a] *In vita Biantis.*

sam dicendi vim omnem exercuit. Nefas esse sibi sciant omnes, vel Dialecticam artem, vel Oratoriam, in *Argutam malitiam*, vt vocat Lactantius, [b] vertere, quod quoties faciunt, grauissimam illam Augustini censuram incurrunt: *Fœlix* (c) *Cor acutum ad veritatem, infœlix contra veritatem.* Discant omnes ab Apostolo: *Non possumus facere quidquam contra veritatem, sed pro veritate.* Hoc autem in his senescentis mundi prauissimis ac corruptissimis hominum ingenijs, vix sperandum, nisi iuxta Areopagitarum legem, (d) disceptantes omnes *iuramento prius adigantur se non calumniaturos.* Probabilitate & similitudine veri quod sæpe latet, certent: sic certare licet in re dubia, vt veritas inueniatur; in re conspicua, vt veritas magis manifestetur, & triumphet: Sed sub ista specie probabiliter arguendi, veritatem per vllam fraudem, & quasi per cuniculos euertere velle, hominis nequam est, & ingenij pessimo genio acti; qui licet aliquandiu reportet lauream, & cum ea mercedem suæ fraudis, tandem tamen experietur quam vere dictum sit, *Non prosunt thesauri iniquitatis*, &, *Labia mendacia abominatio Ithonæ.*

(b) *Lib. 1. cap. 1.*
(c) *Lib. 14. cont. Faust. cap. 9.*
(d) *Demost. contra Aristocr.*

CAP. II.

De Locis arguendi et quomodo sciatur a quo Loco Argumentum vllum ducatur.

Locus arguendi communis Demonstrationi Dialecticæ & Rhetoricæ.

TErtium quod in definitione Argumentationis probabilis declaratur, est, quod *ducitur ab aliquo Loco probabiliter arguendi.* Duci quidem a Loco arguendi, non est proprium argumentationis probabilis, sed & Demonstrationi, et Dialecticæ, & Rhetoricæ, æque conuenit. Omnis enim argumentatio quæ in vlla certa materia contexitur, ducitur ac duci debet ab aliquo arguendi loco, aliter nihil quidquam arguere posset. Sed duci a *Loco probabiliter arguendi*, hoc vere proprium est Argumentationis probabilis; & in hoc a Demonstratione differt, quia Demonstrator vtitur solummodo quatuor Locis eisque necessarijs. Semper enim arguit vel a *Causa efficiente per emanationem*, vel a *Causa efficiente per externam actionem*, vel a *Causa finali*, vel *ab Effectu.* Præter hos autem (ex quibus quoque probabiliter arguere licet,) sunt multo plures Loci arguendi probabiliter, vt a genere, a Specie, ab adiuncto, ab oppositis, & similia.

Quia autem locorum frequens admodum deinceps mentio nobis facienda

facienda est, ideo de Locis his tria sunt ante omnia sedulo observanda. Primum est, quid *sit locus arguendi*. Secundo *quomodo sciamus à quo loco Argumentatio vlla ducatur*. Tertio *quomodo sciamus an argumentatio ab illo loco ducta, sit firma & valida an infirma, & invalida.*

Locum *sedem argumenti* vocat Cicero lib. 1. suorum Topic. Theophrastus *Domicilium*, Boetius *Thesaurum* nominat, quia in eo Argumenta, velut thesauri & opes ingeniorum, quasi in domicilio quodam aut Gazaphylacio reponuntur, ex eoque quoties opus est, depromuntur. Arist. lib. 2. Rhetoric. cap. 26. vocat *Elementum*: sed & hoc ipsum *Locorum* nomen ab Aristotele vsurpatum est, tum eodem illo capite, tum lib. 8. Topic. cap. 1. nu. 1. vbi expresse Locos nuncupat, & iterum lib. 6. Top. cap. 4. nu. 3. 4. 5. Et sæpissime alibi. Quin & libros illos ipsos vbi de *Locis arguendi* agit, aut ei viri, Topicorum, id est, *Locorum libros* appellauit. Pessime omnium, imo ineptissime, Pet. Ramus, Locos hos arguendi *Categoriarum* nomine nuper indigitauit: apud quem (a), eiusque sequaces (b) *Categoriam Causæ*, Categoriam effectus, *Categoriam* Adiuncti, *Categoriam* Dissentaneorum, & similes *Categorias* frequenter legas. Sed cui fini credis sic appellauit? Certe non in alium vllum, nisi vt 11. abolitis decem illis antiquis Aristotelicis, & nunquam satis laudatis Categorijs, & cum eis vniuersa Logica, & bonis omnibus artibus obliteratis, ambitiosus homo, vestigia aliqua Logicæ in Categoria Causæ, Categoria effectus, aliisque nouis suis Categorijs retinere videretur. Nos Categorias illas nouas, & vere stramentitias, vel pueris ipsis deridendas relinquentes, cum Cicerone, imo cum Arist. Logicorum omnium principe, *Locos arguendi*, vocemus. Sic vero definiri potest: Locus arguendi, est *Locus tam vnde argumentationes ducuntur, quam vbi Axiomata varia quibus argumentationes innixi solent, collocantur.* Et mihi sane vel maxime Loci ideo dicti videntur, quia sunt *Maximarum & Regularum multarum sedes*, classes ac receptacula; quamuis & ipsarum argumentationum quæ inde ducuntur respectu, *Locus arguendi* dictos etiam esse, & merito, fateamur. Sed quacunque de causa Loci nominentur, Locos, vt ex Aristotele, Cicerone, aliisque ostendi, vocandos esse, ne dubites.

Locus quid sit, & quare sic dictus.

(a) *Categoria Effectus. Ram. Animad. lib. 11. pag. 4. Consentaneorum Categoria sic est. Ram. lib. 1. Dialect. cap. 11 Dissentaneum Categoria sic est. ibid. cap. 15.*

(b) *Categoria Causæ. G. D. Com. in Ram. dial. pag. 95. et 180. Categoria Adiuncti. ibid. pag. 196.*

Hinc duo obserua; primùm peccari a multis frequenti quidem sed crasso errore, qui dicere solent Locum *Topicum*; & argumentum ducitur a *Loco Topico*, aut similiter: quod nihil est aliud, quam cum Batto dicere *locum localem*. Argumentum quidem, aut Syllogismus siue Demonstrativus is sit, siue Dialecticus, siue Rhetoricus, Topicus recte dici potest, *Locus* vero *Topicus*, nisi per Cocciſmum dici non potest. Et alijs quidem ego hic ignosco: Petro Ramo, qui omnium quos vnquam legi, Momum agit insolentissi-

Locus Topicus, an sit dictum.

mum, venia dari nullo modo debet. Quis a Topico doctore audire ferat, *Locos Topicos*? Tu audies, & leges, apud eum lib. Animad. 12. in initio, Loci deinceps Topici contemnantur. Et quidem isti Momo debemus omnes, hunc Idiotismum, cuius ille (vt ego opinor) alijs author. Sed non incommode hic accidit, iuxta vetus verbum, *Similes habent labra lactucas.*

Syllogismus Topicus non est idem cum Dialectico.

Secundo obserua, quanta imperitia multi *Syllogismum Topicum* pro eodem cum *Dialectico* censeant, quasi nullus esset Syllogismus Topicus nisi dialecticus. Fœdus sane est hic error, & radicitus omnino extirpandus. Certe enim Argumentatio omnis, quæ in vlla materia, vel necessaria, vel probabili contexitur, ab aliquo arguendi loco ducitur, ideoque *Topicus Syllogismus* vere est, ac dici debet. Demonstrator a causa arguit, vel ab effectu; ideoque syllogismo topico, id est, ab illis locis ducto semper vtitur. Itidem Rhetoricus omnis syllogismus, vel a Causa, vel ab effectu, vel a subiecto, vel ab adiuncto, vel ab alio loco semper ducitur: quare Rhetoricum syllogismum omnem, Topicum esse necesse est. Sic & Dialecticus omnis syllogismus Topicus est. Solum Argumentatio seu Syllogismus prout ad nullam materiam restringitur, (quo modo tractatur in libris Priorum vbi de ea in genere agitur) a nullo loco ducitur, ideoque Topicus dici nec potest, nec debet. Reliqui omnes Syllogismi, *Topici vere sunt*; ideo Syllogismus Topicus qui est genus eorum omnium, communis est tam Syllogismo Demonstratiuo, quam Probabili, siue Dialecticus is sit, siue Rhetoricus. Vt nimis crassa inscitia sit *Syllogismum Topicum*, cum *Dialectico confundere* aut eundem cum eo putare. Discrimen inter hos solum est *in fine & scopo* arguendi ab vllo loco. Demonstrator arguit a suis locis (illi non alij sunt nisi a Causa & effectu solum vt docear.) Dialecticus ab omni loco arguit, solum vt verum inueniat, Rhetor ab omni loco item arguit solum vt suadeat aut dissuadeat. Ita loci quibus vtitur Demonstrator, quatenus ille vtitur sunt *loci docendi*, Loci quibus Dialecticus & Rhetor vtitur (ij omnes sunt) quatenus illi ab eis arguunt, sunt *Probabiles*, sed quatenus a Dialectico vsurpantur, adhibentur solum ad *verum inueniendum*, quatenus a Rhetore, adhibentur solum ad *bonum suadendum*.

Quid tradendum sit a Logica Magistro.

Cum iam omnem Syllogismum in vlla materia contextum ab aliquo arguendi loco duci certum sit, duo alia adhuc supersunt. Prius *quomodo quis sciat vnde, aut a quo loco argumentum vllum petatur*: posterius, quomodo sciat an *argumentum vllum vere ab illo loco ducatur, sic vt firma sit & valida ab eo loco collecta consequentia*. Et in his quidem insudare debet, quisquis Logicam specialem, recte docere vult. Nam primo Locos eum omnes diuersos designare oportet, vnde petuntur argumenta, & indicare etiam quo *momento*, quo certo & infallibili indicio sciamus argumentum quod proponitur,

nitur, *ab hoc loco* & nullo alio, duci. Deinde quia firmitas arguendi ab illo loco dependet a certis quibusdã & indubitatis regulis, secundus labor esse debet, *Regulas seu Axiomata, & Maximas*, vel omnes, vel præcipuas saltem tradere, quibus inniti, aut in quibus fundari debent argumenta a tali loco firmiter ducta aut ducenda. Hæc duo qui præstiterit is vere Logicam specialem, *Demonstrativam* dico, *Dialecticam* & *Rhetoricam* docuisse, dicendus est. Horum vero alterutrum, si quis aut neglexerit aut eniserit, is certe quiduis potius quam Logicam docuisse contendus est. Reliqua enim omnia sine hisce, ad Logicam ne gry quidem valent. Quare non possum satis vnquam mirari, quid nonnullis doctis viris in mentem venerit, qui Pet. Ramum pro magistro Dialecticæ non habent solum, sed venerantur. Certe enim in priori suo libro, quem illi tamopere admirantur, nec Dialecticam ille nec Logicam omnino tradit tractatve. Vt Diogenes in media Athenienſium turba, hominem quærebat, sic tu lampade accensa, imo in ipso meridiano sole, *Logicam in illo Logicæ libro quæras nec inuenias tamen.* Locos fateor aliquot arguendi (quos *Inuentionis locos* vocant) nominauit, eosdemque quomodocunque (certe non accurate sed nec recte quidem) descripsit. Sed quo pacto scias *a quo loco* hoc aut illud argumentum ducatur, nusquam notauit, sed nec conatur quidem explicare. *Axiomata vero & regulæ* per quas cognoscas firmumne sit & valdum argumentum a tali loco ductum, has inquam, ne extremis quidem digitis attingit; neque (vt ego certe sentio) quo alterutrum horum fieret modo intellexit, tam leui ille literatura tinctus erat & in Logicis vere talpa. In his vero duobus si Dialecticam docere voluisset, labor omnis ei impendendus erat: Nam in his ipsi *nerui Logicæ artis* posiri sunt. Idem igitur ipsi hic visu venit, quod alicui, qui professus se artem ædificandi traditurum, quid fundamentum, quid tectum, quid fenestra, quid lignum, lapis, & cementum sint, pingui & satis crassa Minerua docet: sed vbi lapides, ligna ac cementum locanda sint, quomodo ad extruendum ædificium aptanda, aut quomodo fundamentum iaci, tectum superstrui, fenestra aptari debeat, de his ne verbum vnum facit. Quisquamne tali Magistro peritus artifex vnquam euadat? aut istis præceptis domum extruet? Idem plane facit novus hic Dialecticæ Architectus, quid Causa sit, quid effectum, quid subiectum, & adiunctum, suo more, id est, valde imperite indicat; sed quomodo scias vel teipsum vel alium a Causa arguere, ab effectu, aut vllo alio loco, quomodo etiam scias, vtrum vel tu ipse, vel alius, solide ac firmiter a loco Causæ aut effectus arguat, horum neutrum neque docet te vspiam, neque vel leuiter significat; vt hic iterum Lipsianum monitum inuenibus inculcandum sit: *Nunquam erit ille magnus cui Ramus magnus.*

Sed forsassis hæc ille omisit quia facilia sunt & cuiuis obuia, sic vt a quouis fine vllo monitore aut magistro cognosci possint. Non est ita. Neutrum horum obuium aut facile. Vtrumque arduum valde est & obscurum. Nam certe Regulas seu Axiomata de quouis arguendi loco tradere, difficultatis esse maximæ facile intelliget, quicunque eas vel inuenire experietur, vel ab aliis inuentas examinare. Vere enim opus & laboris summi, & periculosæ plenum aleæ, ac suppositum cineri doloso. Indicare autem certum aliquod & infallibile κριτήριον seu Indicium, quo sciamus ex quo loco quouis argumentum ducatur, tam arduum est, vt a nemine quod sciam hactenus declaratum sit, & ego me fateor post longam ac seriam huius rei meditationem, mihi ipsi vix satisfacere posse. Tentabo tamen vtraque.

Secundum igitur quod de locis proposui est, *indicare quomodo sciamus a quo Loco argumentum ducatur.* Hoc in Syllogismis Categoricis aliisque etiam qui ad Categoricos reducuntur, ex hac quam *Aurcam* dixerim seu *fundamentalem* in arguendo Regulam intelligetur.

Regula, qua sciamus vnde Argumentum aliquod ducatur.

Locus omnis arguendi, ab eo respectu quem Medium habet ad Maiorem terminum, dijudicandus est: quare si quid Medium sit respectu Maioris termini, quemque respectum ad eum habeat cognoscas, ab eo loco duci illud argumentum quoties Syllogismus perfectus est, dicendum est. Sin Enthymema texatur, ad Syllogismum perfectum reduci oportet, & tum eadem regula semper tenebit. Quare si *medium* sit *Causa* maioris extremi, est argumentum a *loco Causæ*; si sit *effectum*, est a *loco Effectis*; sin *Adiunctum* ejus, aut *subiectum* sit, a *loco adiuncti*, aut *subiecti* duci argumentum dicitur. Itidem in reliquis: vnde hoc argumentum, *Socrates est risibilis, ergo est homo*, est ab *adiuncto*; & hoc, *Socrates est homo, ergo est animal*, est a *specie ad genus*. Atque hæc vt opinor regula in Syllogismis Categoricis nunquam te fallet. In Hypotheticis autem syllogismis qui ad Categoricum reduci non possunt, alia regula quærenda est, vt locum talis argumenti cognoscas. Eam ego si operæ pretium esse iudicarem, inuestigare conarer: sed in re tantilla nolui immorari.

Quomodo sciamus an argumentum firmum sit vel infirmum ab vllo loco ductum.

Tertium quod proposui *de loco* declarandum, est *Quomodo sciamus argumentum ab vllo loco ductum esse firmum aut validum.* Hoc vero non aliter quam ex *Regulis arguendi ab eo loco*, discerni potest. Nam omne argumentum a quocunque *loco* ducitur, inniti debet alicui *Axiomati* aut *infallibili regulæ*, cui si non innitatur, & ea vim habeat, infirmum est. Quare hoc, *animal est bipes, homo est animal, ergo est bipes*, etsi vere sit argumentum a *subiecto*, quia animal quod est medium, est subiectum maioris extremi, quod est bipes: tamen non valet, quia nullum est Axioma

qui

cui innititur hæc ratio. Accipit enim pro Axiomate, hoc quod Axioma non est: cuicunque subiectum conuenit, eidem omnia illius subiecti accidentia conueniunt. Hoc autem falsum est: sed Axioma cui inniti deberet est hoc, *Cuicunque subiectum aliquod conuenit, eidem insunt omnia accidentia*, quæ illi subiecto necessario conueniunt: Iam bipes accidens quidem est animalis, sed non necessarium, quippe sine eo, subiectum illud esse potest.

Axiomata in Logica necessario tradenda.

Is ergo qui Logicam specialem, vel *Demonstrativam* vel *probabiliter arguentem*, *Dialecticam*, nempe, vel *Rhetoricam*, recte docere cupit, debet omnia, aut certe præcipua *Axiomata* quibus vlla argumenta ab vllo *Loco* ducta innituntur, ad illum locum referre, vt intelligat is qui discit, ab eo *Loco firmiter argui posse, si argumentum ab eo loco ductum vlli istorum Axiomatum innitatur, sin secus invalidum esse.* Quare non potest satis graviter a quoquam reprehendi *Rod. Agricola* non inscitia solum, sed (quæ imperitiæ semper comes est) confidentia, qui in epilog. lib. 1. de Invent. pa. 131. non erubescit asserere, *Maximas* hasce sive *Regulas arguendi* in nullum vsum tradi, ideoque nec ab ipso traditas, nec tradi debere ab vllo qui dialecticam docere vult. Certe enim tantus est tamque necessarius Axiomatum istorum vsus, vt sine his modum recte arguendi vel demonstrative, vel probabiliter, id est, vel Dialectice, vel Rhetorice, nemo possit aut docere vnquam aut discere. Quare Arist. princeps Logicorum omnium, nullum *locum arguendi* proponit, cuius non multa, sæpe quam plurima *Axiomata* exprimit; & fere totus in hoc est. Ab eo discere decuit Rodulphum, quis sit & quantus, quamque necessarius in hac Logicæ parte Axiomatum vsus. In hoc enim vel totus esse, vel præcipue versari debet is, qui Logicam recte docere vult. Sed profecto solenne est ambitiosis hominibus, quo ignauiam suam atque imperitiam prætexu aliquo ornare possint, quique res maximi momenti nec intelligunt, nec vt intelligant emiti volunt, easdem vt inutiles, parumque necessarias reijcere, ne si necessarias esse fateantur, suam ipsi inscitiam & oscitantiam ludibrio omnium exponant.

Mihi hanc probabiliter arguendi artem tractanti, non aliam omnino in finem, quam vt profim aliis, & eorum studiis opem, si quam possum, feram, religio est & nefas, ea silentio præterire, quæ in ea arte tradi debeant, etiamsi meam inscitiam quod ea tradere non possim libens agnoscam. Et agnosco sane ex animo atque ingenue profiteor, imparem me esse huic oneri, nec in hac negotiorum quibus quotidie opprimor multitudine, vel otium habere, vt Axiomata ista inuestigem; vel si otio abundarem, posse tamen omnia, forte nec plurima aut maxime necessaria, eo quo decet ordine colligere atque colligere. Eratque mihi sane in ani-

mo cum sæpe mecum cogitarem, quanta & scientia, & industria, etiam & otio, opus ei esset, qui rem hanc aggredi vellet, & accurate (vt par esset) tractare, ab hac parte Logicæ penitus abstinuisse; easque notas quas triginta fere ab hinc annis inveni in Academia meo vsui collegeram, blattis, & tineis obliterandas relinquere. Quod hoc non fecerim, quodque quidquam hac in parte a me nunc habes Lector, debebis id omne Oxoniensi cuidam, amico mihi charissimo, qui vt eadem cum reliquis in lucem prodire paterer flagitauit, & amicitiæ iure prope imperauit; certe in publicum studiosorum adiumentum (quod illi solum, vt & mihi finis) impetrauit. Illius ego assidua sollicitatione victus, quod in hac Logicæ parte, tot ab hinc annis, in meum priuatum vsum collegeram, idemque necdum satis limatum, non sine magno grauioris censuræ metu publicum nunc feci. Sed bene est; Tyronibus ista scribimus non veteranis, vere enim cum illo apud Ciceronem dico *Persium non curo legere.* Sin me invito, legere velint, Persii, fruantur si quid gratum sit. Si quid autem ipsorum palato non sapiat, dent veniam; sciunt illi, se quoque minus accurate agere, nec ad limam omnia polire, quando cum tyronibus eis balbutiendum est. Quod si adhuc rigidi ac severi esse volunt, ego illis cum Augustino [h] libere dico, *Nos ista vt potuimus exposuimus, melius fortasse exponent meliores*: & vtinam certe exponant. Cum Hieronimo (i) item dicam. *In Tabernaculo Dei*, (nam & illi extruendo, ne sis nescius, ego hic quoque operam do, & cementum paro) *offert vnusquisque quod potest, aly aurum, argentum, & lapides pretiosos; aly byssum & purpuram, & coccum offerunt, & hyacinthum; nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos.* Qualecunque vero sit, sicut dextra oblatum est, ita dextra acceptum iri confido. Ac de Probabili Argumento in genere hæc dicta sint. Nunc ad illius species progrediamur.

[h] *lib. 23. cont. Faust. ca. 13.*

[i] *Apol. 2. adver. Ruffin.*

Cap.

Cap. III.

De numero Locorum a quibus argumentum probabile ducitur.

Species *Probabilis Argumentationis* non aliunde sumendæ sunt, quam ab ipsis *locis arguendi*. Quot enim diuersi *loci* sunt, a quibus argumenta probabilia duci possunt, tot sunt etiam *Syllogismi probabilis species*. Locos autem illos omnes ad quatuor Classes revocat Arist. 1, Topic. ca. 4. nu. 2. ad *Genus*, *Definitionem*, *Proprium*, & *Accidens*. Qui loci cum generales sint, in alios magis speciales ab eo subdividuntur. Atque vtinam certe istam Arist. distributionem, sequentes omnes Logici sequi voluissent, atque amplecti: profecto & ipsi Dialecticam ac Rhetoricam, (id est, artem totam probabiliter arguendi) facilius imbibere, & eandem aliis multo commodius tradere potuissent. Sed factum iam est nescio quo fato, aut nouitatis studio, (certe non sine maximo docentium ac discentium incommodo) vt relicta illa antiqua, optima, atque ab optimo magistro calcata semita, *Locos alios* quos *Inventionis locos*, malo omine nominarunt, inuenerint. Eos Philosophantium vulgus ita libenter atque auide complexi sunt, vt antiquis, atque Aristotelicis iam penè vbique obliteratis, noui illi *noua Inventionis loci*, in vsum apud omnes iam ita recepti sint, vt nisi cum Euandri matre loqui velimus, cedendum plane hic nobis sit vulgo, & cum eis non tam loquendum, quam balbutiendum de *locis*, si ab alijs intelligi volumus.

Species Syllogismi probabilis, a Locis arguendi sumuntur.

Arist. diuisio Locorum.

At quinam illi tandem loci? *Argumenta*, inquiunt, alia sunt *insita*, alia *adsita*. Insitorum alia *prima*, alia *a primis orta*. Primorum alia *simplicia*, alia *comparata*. Simplicium, alia *consentanea*; alia *dissentanea*. Consentaneorum, alia *Absolute*, alia *quodam modo* consentiunt. Ac vt a Ramo natos scias, in tot ramos, ramulos, & ramusculos disseant hunc *Locorum* truncum, & ita superstitiosi sunt in suis Dichotomiis, vt dum vmbram istam scientiæ sectentur, verum ac solidum scientiæ corpus amittant penitus, aut certe suis minutiis & quisquiliis diuisionum, sic offuscant, vt facilius multo differre discas, quam quid per illa vocum incantamenta, a quibus te differre docent, intelligas. Vt olim dictum & vere apud Aul. Gell. lib 4 ca. 9. *Religiosum esse oportet, religiosum nisi*; sic de hac quam

quam illi venditant, & in qua sibi blandiuntur diuisiuncularum scientia, mihi vere videor dicturus, *Diuidentem esse oportet diuidendam rem*: liceat enim mihi hoc nomine immodicam illam diuisionum copiam, qua res quas tractant, onerant, significare, vti simili inclinamento *vinosi, multrosi, mammosi*, notantur, vtque *religiosi* illic appellati, qui nimia & superstitiosa religione se alligant.

Sinite me, lectores, præterire ista, quæ nulli profecto vsui, nisi torquendis ingeniis & perdendis bonis horis inuenta sunt, & excogitata; quæque dediscere præstat, quam vel docere, vel discere. Qui omissis illis fucis, vel potius tricis, *Locos ipsos* nude ac aperta facie, quinam illi sint, & quis sit legitimus ac firmus ex eis arguendi modus, tibi solide monstrabit, mea fide, is te in Logicis instructissimum dabit; neque tali magistro, satis dignas gratias poteris vnquam referre. Sed nimirum locos omnes arguendi recte designare, opus arduum est valde, & supra quam quisquam existimet molestum. Hoc me præstiturum, tantum abest vt polliceri audeam, vt me posse plane diffidam. Noli igitur hoc a me vel exposcere, vel expectare. Qui mihi in mentem occurrebant, quique maximo vsui esse ad arguendum in omni causa, omnique disciplina videbantur, non inuitus indicabo; & in singulis quoad possum, fac viam, vti spero, tibi monstrabo firmiter arguendi, vt his lectis, deinceps poteris tuopte marte, & sine meo, aut vllius cortice natare.

Numerus Locorum. Loci ad quos omnia argumenta referri possunt (vt mihi quidem videtur) sunt numero tredecim. Primus est, *a causa efficiente*. Secundus, *a Causa finali*. Tertius, *a Causa materiali*, ad quem spectant argumenta omnia a genere ad speciem, itemque *a specie ad individua* ducta. Quartus a Causa *Formali*, & ad hanc spectant omnia argumenta a *Definitione* seu *descriptione*, itemque a *Differentia* ducta. Quintus ab *Effectu*, & ad hunc spectant aagumenta omnia a *definito ad definitionem*, a *Specie ad genus*, ab *individuis ad Speciem* ducta. Sextus a *Subiecto*. Septimus, ab *Adiuncto* seu *Accidente*. Octauus, a *Dissentaneis*. Nonus, a *Comparatis paribus*. Decimus, a *comparatis imparibus*, tam Maioribus quam Minoribus. Vndecimus, a *Distributione*. Duodecimus, a *Signo*. Decimus tertius, a *Testimonio*.

Hos tredecim, esse præcipuos arguendi *locos* non dubito. Omnes quidem esse non audeo dicere. Quis hoc præstare posset? vel quis se omnes ita plene ac perfecte tradidisse audeat asseverare, vt nullum omnino argumentum in vlla arte, scientia aut disciplina inueniri possit, quod non ad aliquem illorum, quos ipse enumerat *Locum* recte ac proprie referri possit, atque adeo debeat? Moneo te tamen, lector, ne in augendo *Locorum* numero præceps sis. Perpende sedulo ac serio, annon argumentum de quo hæsitas, ad h-

rum quos memorauí aliquem referri poſſit. Adhibe vero ſemper *Regulam illam fundamentalem* arguendi, quam prius poſui, de Medij reſpectu ad Maiorẽ: ſit illa tibi velut Lydius lapis, ad quem examines accurate cui loco quodque argumentum referri debeat. Niſi illam ante oculos ſemper habeas, vagari te, & huc illuc in Locis plane incognitis errare neceſſe eſt.

Loco cuique ſua debentur *Axiomata ſeu Regulæ*. Eorum aliquot, eaque ipſa quæ mihi videntur præcipua, vnicuique loco adiungemus; nam non argumentorum ſolum, ſed *Axiomatum*, vt dixi, hi loci ſunt: quia in illis locis *Axiomata illuc ſpectantia*, velut in apto Domicilio aut Gazophylacio reconduntur. *Axiomata in quoque loco ſunt.*

Duo vero ſunt quæ te hic ante omnia admonitum volo. Prius hoc eſt, de induſtria a me omiſſum eſſe *Locum* vnum arguendi ſeu *Regulam*, quam vere *Bellarminianam* vocare poſſis, quia Bellarmino vni propria eſt & peculiaris. Is lib. 1. de Purg. ca. 4. §. Reſpondeo non, extundere vult Purgatorium ex illis verbis Chriſti, Math. 12. 32. *Peccatum in Sp. Sanctum non remittitur in hoc ſæculo neque in futuro*, id eſt, Chriſto ipſo interprete, Mar. 3. 29. *non remittitur in æternum*, ſeu *nunquam remittetur*. Sed Chriſti explicatio non placet Bellarmino: Ille hinc concludere vult, *quadam peccata in hac vita non remiſſa, remitti in futuro*: ideoque Purgatorium aliquod eſſe, quia in inferno nulla remittuntur. Nugæ. Poterat ſpecie aliqua probabilitatis concludere, quædam peccata in futuro ſæculo remitti: & ſane, quæcunque hic in priuato & particulari iudicio remiſſa ſunt, eadem in futuro, publice ac palam remittentur: Sed concludere peccata aliqua *hic non remiſſa*, illic remitti, tam eſt ineptum & inconſequens, ac ſi quis ex hoc, quod *Ioſias neque ante obitum, neque poſt obitum oculis ſuis vidit excidium Hieroſolimorum*, concludat, Aliquos poſt obitum oculis ſuis vidiſſe illud excidium. *Regula prudentiæ, ſeu Bellarminiana.*

Quid hic Bellarminus? videbat ſcilicet rationem ſuam invalidã plane eſſe, ſed vt valida videri poſſit hominibus imperitis, ſic ait (& obſerva fraudem Pontificij hominis,) *Reſpondeo, non ſequi, ſecundum Regulam Dialecticorum id quod infertimus ex verbis Domini, ſed tamen ſequitur ſecundum Regulam Prudentiæ*. Vah? an vlla ratio aut Argumentatio iuxta prudentiæ regulam valida, quæ iuxta Dialecticæ Regulas invalida? Vbi vero iſtam *Prudentiæ regulam* inueniamus? Nam tibi hoc prudenter concluſum videtur; mihi ita imprudenter, vt nihil ſtolidius dici potuerit. Adeamus vtrique Dialecticorum regulas. Illic ſolum *Aurea arguendi Regula*, Tua vero illa, (aliæque omnes ſimiles) nil niſi *Leſbia Regula* eſt, aut haberi debet. Si iuxta *Dialecticas Regulas* ratio vlla non ſequitur, ſine dubio ſecundum nullam ſequitur niſi ſecundum *ſtultitiæ regulam*. Male actum, quod Heluidio Bellarminus *a Conſilijs* non fuit, & a

Regulis. Nam secundum istam Prudentiæ regulam, sequeretur optime: *B. Virgo non novit virum donec perperit primogenitum suum*; ergo postquam eum perperit, virum novit. Certe si & hinc purgatorium exsculpi posset, rationem Heluidij secundum *Prudentiæ regulam* sequi, vel lotum lapidem iurasset Bellarminus. Dialecticæ regulas nos tradimus, istis *Prudentiæ*, vel verius *stultitiæ* Regulis, quæ cum Dialectica pugnant, Heluidio relinquimus & Bellarmino.

Argumenta in quibus Axiomata ponuntur in quo loco arguendi sunt.

Alterum quod te monendum censeo est hoc, *Argumenta illa omnia quæ a Regulis arguendi, vel Axiomatis* duci putantur, *& in quibus ipsa Axiomata exprimuntur, seu explicite ponuntur, nunquam* duci ab eo loco ad *quem Axiomata illa spectant, aut in quo reponuntur.* Nam Argumenta omnia duci ab aliquo loco dicuntur, *iuxta rationē & respectum quem Medium habet ad Maiorem terminum*, ex lege nostra fundamentali. Nunquam autem fit vt Axioma vllum sit medium vllius argumenti; neque aliter argumentum vllum nisi virtute solum ingrediatur; Quod satis aperte in demonstrationibus omnibus cernere licet. Nunquam enim in illis axiomata vlla Media sunt, sed solum fundamenta & Bases quibus demonstrationes nituntur, & in quibus fundantur. Quod idem in omni probabili argumentatione vsu venit: Par enim in hoc est demonstrativæ & probabilis argumentationis ratio. Et cum ego id in demonstrationibus omnibus, verum, certum, ac indubitatum esse animadverterim, inde certo intellexi etiam in probabili omni argumento idem fieri, vt Argumentatio nulla probabilis *Axioma vnquam habeat pro Medio.* Illa vero argumenta in quibus Axiomata ista exprimuntur, ad *locum Subiecti* pertinere sentio, vti postea in loco *a subiecto* fusius declarabitur. Hoc interea monendum mihi necessario fuit, & ubi fusius tenendum est.

13. Species argumentationis Probabilis.

Facile nunc videas ex tredecim diversis arguendi locis, *quindecim diversas omnis Argumenti probabilis Species*: de quibus nos eo quem proposuimus ordine deinceps *sub* 15, agemus.

CAP.

Cap. IIII.

De Argumentatione a Causa: deque primo Loco arguendi, qui est a Causa Efficiente.

Locus Causæ omnium dignissimus est, quare primum locum merito habere debet: de ea vero in genere pauca observanda sunt, antequam ad species eius descendamus.

Causa quid. *Causa est quod quomodocunque rem vllam causat, vel movendo efficientem vt faciat illud: vel efficiendo illud, vel constituendo*: idque vel vt *materia ex qua*, vel vt *forma per quam* res constituitur. Ex quo quatuor esse Causarum genera liquet; duo sunt extra essentiam effecti, *Efficiens*, & *Finis*: duo de essentia, *Materia* & *Forma*.

Causarum 4. genera.

De Causa in genere. De causa in genere hæc Axiomata observanda sunt. *Omnis causa est natura prior suo effectu*; Hoc diserte docet Arist. 1. Dem. ca. 2. nu. 9. & in Categ. cap. de Priori: Et ratio huius euidens est, quia effectum semper dependet a suis causis vel vt producant ipsum, (quomodo *efficiens*) vel vt moueat efficientem ad producendum, (quomodo *finis*) vel vt constituant illud essentialiter (quomodo *Materia*, & *Forma*:) At quod rem vllam causat vllo aliquo horum modorum, illud esse prius natura necesse est.

Causa omnis prior effectu.

Causa notior Effectu. 2. *Omnis causa est natura sua notior effectu*, sequitur ex priori. Nam notitia posterioris dependet a notitia prioris, non contra. Quare quod natura sua prius est, id natura sua notius etiam esse debet.

Causa notior Effectu. 3. *Omnis Causa notior est suo effectu, quando nos perfecte, atque distincte effectum cognoscimus*: quia tum cognoscimus effectum per Causam; prius igitur oportet ipsam Causam cognoscamus. In *Confusa* quidem & imperfecta effectus cognitione, possumus prius cognoscere effectum quam causam: vt rationem, & risum priusquam animam rationalem. Sed in *Distincta* cognitione contrarium plane semper fit.

4. *In nullo genere Causa, progressus in infinitum esse potest.* Nam sic nunquam aliquod effectum produci posset: quia ante illius productionem oporteret præcessisse causas *numero & actu infinitas*: at infinitæ Causæ nunquam actu pertransiri possent. Nam si vnquam transeundo, ad finem perueniatur, finitæ erunt, & finitus earum

numerus. In omni ergo effectu, & ad vnum aliquem *finem* propter quem est, & ad primum aliquod *efficiens* a quo est, & ad aliquam primam ac simplicem *essentiam* per quam est, necesse est pervenire. Sed quoniam nullum argumentum a Causa duci potest, quin ab aliqua causæ specie ducatur, vel *Efficiente*, vel *Finali*, vel *materiali*, vel *formali*, ideo de speciebus Causæ diligentius agendum est. Primus autem locus est a causa Efficiente.

Argumentum a causa efficiente quod.

Argumentum ducitur a Causa efficiente, *quandocunque Medium est causa efficiens maioris extremi*: vt, Homo est rationalis, ergo est risibilis.

Axiomata seu *Regulæ* huius loci sunt ista.

Regula de causa efficiente. Reg. 1.

In efficientibus omnibus ad aliquod primum efficiens deveniendum est. Liquet ex quarta reg. de causa in genere, quia aliter in infinitum procederetur: quod impossibile esse ante demonstratum est. Primum vero efficiens neque est neque esse potest aliud quam Deus opt. max: vt in Metaphysica probauimus; Ab eo omnia quæ sunt, facta sunt; Ipse vero, quia primum est, a nullo aut esse aut fieri potest.

Atque ex hac regula certissime probatur mundum ab æterno non fuisse, sed ad primum aliquem hominem necessario perueniendum esse: quia si Socrates genitus a priore, ille a priori, & sic in infinitum, nunquam potuisset quisquam generari, cum generationes numero infinitas, actu pertransiri impossibile sit.

Reg. 2.

Vnuscuiusque rei (præter Ens primum) est aliqua causa efficiens, Liquet ex prima: nam omnia præter primam causam, effecta sunt. Habent igitur aliquam efficientem causam, quia nihil se ipsum efficere potest. Quod enim efficit, actu est; quod efficitur, illud a non esse ad esse perducitur: quare si quid se efficeret, & esset simul, & non esset: nam quia efficit, ideo actu est, & quia efficitur, *ideo* actu non est, sed a non esse ad esse perducitur. Ex quo certissime constat, Deum qui primum efficiens est, ab æterno fuisse, & a se ac per se ab æterno fuisse. Si enim aut non fuisset ab æterno, aut non a se, tum ab alio perduceretur a non esse ad esse: quia vero prius ipso, efficiens nullum, aut esse, aut fingi potest, (cum ipse primum omnium sit) ideo & a se ipso esse, & ab æterno a se ipso esse certum est.

Reg. 3.

Posita efficiente necessaria, (taliter scilicet, vt effectus inde necessario sequatur, siue sit efficiens per emanationem, siue per externam actionem, effectum illum poni necesse est. Vt, hoc habet animam rationalem, ergo est rationale; hoc est rationale, ergo potest scientias omnes & artes discere, itemque docere. Terra interponitur inter Solem & lunam, sic vt illius vmbra operiat Corpus lunæ, ergo luna eclipsatur. Ac de hoc genere arguendi satis multa diximus in libro nostro de Demonst. Cap. 3. et 4. Vbi ostendimus argumentationes omnes du-

ctus a *Causa efficiente immediata ac proxima vllius effectus*, esse vere Demonstrationes. Eum locum tu consule.

Cuicunque Causa efficiens necessaria vllius effectus negatur, aut non convenit, eidem illum effectum negari, & non convenire necesse est. Et quidem si proxima causa effectus adhibeatur, omnis talis argumentatio Demonstratio negativa vere est. Nullum brutum habet animam rationalem, ergo non potest ratiocinari. Nullum opacum corpus potest interponi inter solem et stellas fixas, ergo nullæ stellæ fixæ eclipsari possunt. Reg. 4.

Causa efficiente voluntariâ posita, non necesse est effectum poni. Quare inepte colligunt, *mundum ab æterno fuisse quia Deus æternus est*, quoniam ille liberrimum agens est, nec agit nisi quid, & quando, & quomodo voluit. Et si cum Atheis quæras, quid igitur ab æterno fecit, si non mundum administrauit? longe stultissimum est. An tu homuncio, vermiculus, & instar nihili, illi a consilijs esse vis? Quæris quid egerit? Beatissimam omnino vitam egit: & seipso fruendo, bonis, quæ vel iam sunt, vel esse dicive possunt, omnibus perfruitus est. Si hoc non satis, Inferos eum ab æterno curiosis scrutatoribus parasse scias. Verissime enim Aug. lib. 12. de ciu. dei cap. 17. *Ad omne opus nouum, non nouum sed sempiternum adhibuit consilium.* Reg. 5.

Quicquid est Causa causæ, est Causa Causati. Vt Deus est efficiens causa Adami, ergo omnium hominum, qui ab Adamo procreati sunt. Sed illius est Causa proxima & immediata, reliquorum remota & mediata. Hoc autem tenet solum in causis necessario aut naturaliter agentibus, non in eis quæ agunt voluntario, & libere. Quare non sequitur Deus est causa Adami, ille vero causa sui peccati, ergo Deus est causa peccati: quia Adam & ipsius voluntas non est causa peccati necessaria, sed libera & voluntaria. Reg. 6.

Causa efficiens solitaria, sine vllis instrumentis opus summe fecit. Sic mens contemplatur sine externis adminiculis: Quare stultissimè Velleius Epicureus disputat apud Cic. lib. 1. de Natur. deor. Mundū a Deo non esse factum, quia instrumenta nulla erant. *Qua molitio? qua ferramenta? qui vectes? qua machinæ? qui ministri tanti operis?* Nulla, Vellei, nulla: nec erant sane opus, vbi architectus causa solitaria, sine vlla adiuuante, aut ministrante causâ: voluntate sua, verbo suo fecit mundum Deus: Verbum autem eius *Operativum* est, *Dixit & facta sunt*. Non (vt sunt nostra omnia) *speculativa solum*, sed ad operandum quod volumus & dicimus inefficacia. Reg. 7.

Quorum efficientia sunt bona, etiam ipsa sunt bona: tradit hoc expresse Arist. 2. Topic. cap. 9. nu. 3. Atque hinc sequitur, Creaturas omnes seu Entia esse bona: quia Deus (qui solus est omnium creaturarum efficiens) est bonus: ex quo rursus sequitur, Peccatum esse non ens, quia si ens esset, a Deo esset, ideoque malum non esset. Habet ergo peccatum causam *non efficientem* sed *deficientem*, nec Reg. 8.

tum *effectus* quàm *defectus*, dici debet, sicut in mea ad Metaphysicam introductione declaraui.

Vsus Loci huius a Causa Efficiente.

Vius huius loci, quantus sit, & quam late pateat, partim ostendi in tractatione *Demonstrationis a Causa Efficiente*: partim hic explicandum censui. Spectant huc primum ea omnia argumenta, *quæ ad officia pertinent, cur nimirum vel honor alijs tribuendus sit vel debis pro officio in eos nostro tribui debeat.* Nam sicut quare honor alicui debetur, Causa est *ipsa persone dignitas, & excellentia*, ita quare nos eum honorem tribuere alijs debeamus, Causa in nobis est, *illud nimirum debitum, quo illis propter suam excellentiam obligamur. Infinita Dei maiestas*, bonitas, Beneficentia, cum sit principium ac fons omnis boni, a quo omnia suum esse habent, causa est efficiens a qua hoc emanat, vt sit colendus *Latria*. *Est enim latria cultus ille debitus, qui principium est omnium bonorum.* Ab *excellentia Angelorum & beatarum animarum* hoc emanat, vt honor eis tribuatur tanquã deo charissimis & quos ille suo beatissimo consortio dignatur. Honorandi autem sic sunt vt eos amemus, & laudemus, imitemur illorum obedientiam, pietatem & virtutes omnes. *Dignitas & excellentia Regia*, Causa est ex qua hoc emanat, vt regibus tanquam Dei ministris, *a Deo primis, & solo Deo minoribus*, (vt vere ait Tertullianus lib. ad Scapul. cap. 2.) obediamus, omni obsequio inseruiamus; nec eos re, voce, aut vel cogitatione solã lædamus, eisque detrahamus. Sic a *parentum* (a quibus vitam & vitales spiritus hausimus, & corpora deriuauimus) *excellentia*, hoc emanat, vt eos amore, reuerentia, omnique obsequio filiali prosequamur. Sic ab *eminentia Domini supra seruum* hoc emanat, vt eis iuste, fideliter & libenter seruiamus. Idem in reliquis ostendi posset, sed hæc exempli causa proposuisse sufficit. Sic autem formanda sunt ista argumenta. *Cui infinita maiestas inest, ei latria tribuenda est*; Deo triuni, infinita maiestas inest, ergo Deus triunus latriã colendus. Cui maiestas regia & Imperatoria inest, is omni officio imperatori debito colendus est: Sereniſsimo Iacobo Britanniæ regi Imperatoria maiestas inest, ergo. Et ita in alijs. In omnibus, Causa efficiens per emanationem est *medium*, & effectus inde fluens, est *maior terminus*. Igitur iuxta *fundamentalem* nostram *Regulam*, hæc & similia omnia argumenta ab Efficiente ducuntur.

Primo Argumenta quibus probamus Honorem alicui deberi, huc spectant.

Latria Deo debetur.

Angelis honor debetur.

Regibus.

Parentibus.

Dominis.

Argumenta quibus Officia alijs exhibenda a nobis probantur, huc spectant.

Idem omnino dicendum *de officijs quæ illis a nobis debentur.* Qui bona omnia, adeoque ipsum esse, ab aliquo habet, is debet eum *latriã* colere. Angeli omnes, ac homines, a Deo vt fonte bonorum omnium, bona omnia, ipsumque suum esse habent: Omnes igitur Deum *latriã* colere tenentur. Qui alicui vt subditus obligatur, is debet eum omni obsequio & honore regi debito prosequi: Subiectus quilibet suo Principi, vt subditus obligatur, ergo subiectus quilibet debet suum regem omni debito honore colere. Vides in his etiam

etiam omnibusque similibus *medium* esse efficientem Causam per emanationem *maioris termini*. Nam ex hoc ipso fluit, quod debeas alicui hæc officia, quia ipsa subiectione ad ea obligatis.

Argumenta Negativa a Causa Efficiente.

In *negativis argumentis* par omnino est ratio. Cui non inest infinita maiestas, quique non est fons & origo omnis boni, ei non debetur *latria* aut religiosus cultus. Nulli Angelo, nullis sanctis, nulli imagini vel Dei vel Creaturæ, inest infinita maiestas; nulli ergo omnium, sed soli Deo tribuenda est Latria aut cultus religiosus. Hinc puta, Perkino Werbecko, non inest dignitas & maiestas regia: Quare si illi honorem aut cultum regi debitum exhibeas, reus es lxiæ maiestatis. Hic non est pater, illa non est coniux; si ergo hunc filialibus, istam Coniugalibus officijs prosequaris, impie facis. De reliquis par est iudicium. In his similibusque omnibus, *Medium* semper est Causa efficiens *Maioris termini*, causa nempe quare a nobis hic honor vel officium eis debeatur vel non debeatur. Persona quidem cui talis honor vel officium exhibetur est subiectum. Sed ipsa personæ dignitas, vel nostra obligatio (quæ est causa exhibendi talem cultum) in omnibus huius generis argumentis *Medium* semper est.

Secundo Argumenta quibus præmium alicui deberi probatur, hæc spectant.

Secundo, ad *hunc locum ab Efficiente*, spectant omnia *argumenta quibus præmium aut pœnam, laudem aut vituperium alicui sive rei sive personæ deberi probamus.* Nam ex dignitate aut meritis alicuius hoc oritur & promanat quod sit laude aut præmio dignus, ideoque honorandus. Contra ex vilitate aut demeritis alicuius oritur, & promanat, quod sit vituperio, pœna ac supplicijs dignus, eisque afficiendus. Quare hæ a nonnullis Causæ efficientes *Meritoriæ* vocantur. Atque hinc quidem tum in Rebus quam in Personis argumenta docentur. In *rebus* sic. Quicquid præstantiam & excellentiam in se habet, est laudabile; omnis virtus in se præstantiam & excellentiam habet, ergo omnis virtus est laudabilis: vere enim ex ipsa natura virtutis, quæ præstans & excellens quoddam bonum est, emanat illud adiunctum virtutis quod sit laudabile. Contra in *vitio*. Quicquid vilitatem, indignitatem & dehonestamentum in se habet, illud vituperio dignū est. Vitiū omne vilitatē & dehonestamentū in se habet, quare vitiū omne vituperio dignū. Hinc Virgil. valde significanter expressit, quanto vituperio dignus sit Busiris, sæuissimus ille ac crudelissimus Ægyptiorum Tyrannus, qui hospites omnes mactare & immolare solebat, cum Georg. 3. dixit. *Quisque Busiridis aras? Illaudatum* dixit, Cui nihil inerat laude dignum, nil nisi ipsa vilitas & ignobilitas.

In Rebus.

Laus Personarum ab Adiunctis.

Sed in *Personis* latissime patet hic campus, Personarum dignitas & excellentia aliquando ab *Adiunctis* quæ ei insunt, aliquando ab *Effectis* ipsius & rebus gestis oritur. Ab *Adiunctis* in hunc modum. Qui ingenio, doctrina, virtute, polleт, qui Scien-

tia

cis Metaphysicæ, Physicæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ, Logicæ aut similium disciplinarum præditus est, merito laudandus est, et encomijs celebrandus. Aristoteles & ingenio & doctrina multiplici clarus est, iure igitur ab omnibus celebrandus. Ab *effectis* sic, Quicunque res præclaras gerunt, qui vel prudentia sua rempub. sulciunt, vel fortitudine defendunt; vel suas affectiones iræ, odij, libidinum, frænant, qui iustitiam colunt, vel magnifica opera, respub. fructuosa perficiunt: qui Logicam, Philosophiam, Mathematicam, Geographiam, Chronographiam, aliasve disciplinas, maximeque omnium sacram Theologiam suis scriptis illustrant, ij merito ab omnibus celebrandi sunt; Nestor prudentiâ, Aristides iustitia, Scipio temperantia, Constantinus & Iustinianus magnificentissimis operibus rempub. ornarunt; Aristoteles Philosophiam, Augustinus, alijque doctissimi viri Theologiam suis scriptis illustrarunt. Hi igitur omnes merito laudandi.

Laus Personarum ab Effectis.

Civitatum, Collegiorum, & similium conditores.

Huc spectant ii qui *Civitates & respub. condiderunt*, & homines ferarum more palantes, ab agresti vita ad ciuilem traduxerunt: qui Academias, Collegia, Bibliothecas, Scholas, (quæ vere seminaria sunt bonarum omnium disciplinarum) vel fundarunt, vel patrimoniis ditarunt; qui Xenodochia, Ptochotrophia, Orphanotrophia, & huius generis alia extruxerunt; Sed Authores & inuentores vel Artium, vel Scientiarum, vel aliorum, quibus vniuerso humano generi summa vtilitas allata est, in primis hic ab omnibus & ante omnes celebrandi sunt. Nec verò mihi aut animus est aut otium vel de *Agricultura, Architectura*, aliarumue artium, vel de *Philosophia, Medicina, Geometria, Astronomia, Musica*, vel de Grammaticæ, Rhetoricæ, Poeticæ, cæterarumve disciplinarum *Inuentoribus* hic agere. Inuestigent hos simul & celebrent ii, qui earum artium ac disciplinarum studiosi sunt, aut a Polydoro Virgilio, si fidem ei dare velint, & audeant (ego certe non audeo) ista mutuentur ex octo ipsius de rerum inuentoribus libris. Sinite me tamen ex tam immenso cumulo eorum quæ huc referenda sunt, pauca aliquot exempli causa & paucis designare. Quis vnquam ingenium, industriam, iudicium atque doctrinam *Aristotelis* satis dignis encomiis celebrare potest? Eius scripta in omni parte Philosophiæ, tanto in honore ac pretio apud doctos omnes (Ramum, & Rami similes Zoilos, morus ego si mores) semper & merito fuerunt, vt eum omnes posteri pro magistro venerentur, & illius vel dicta solum, etiam nulla adhibita ratione, pro oraculis, & habita & habenda sunt, & (pauculis quibusdam exceptis) *ἀυτὸς ἔφα*, pro firmissimo argumento iure accipitur. Logicam vero & hanc quam tradimus arguendi artem, ille & inuenit, & ita excoluit, absoluitque, vt in his * mille annorum spacio, nihil in his vel addi a quoquam possit, vel demi. Quare in ipsum multo verius quadrat id, quod ille de suo magistro

Disciplinarum Inuentores.

De Aristotele.

* *Arist. natus anno ante Christ.* 382.

magistro Platone dixisse fertur, *Nulla ferent talem sæcla futura virum.*

Inuentori Logicæ, addam proximo loco *Inuentorem literarum*, quarũ maximus sane vsus est in omni vita, cùm illis, historias omnes rerum gestarum consignatæ, disciplinæ omnes, ipsa etiam sacratissima Scriptura tradita sit, & æternitati commendata. Euandrum Arcadem a Græcis in Latium attulisse ait Cor. Tacitus lib. 11. Anal. pag. 224. Cadmum eas a Phœnicibus acceptas, Græcis; Mercurium Ægiptijs tradidisse narrat Plinius, lib. 7. cap. 56. Ægiptij vero se inuentores literarum fuisse perhibent. Sed Hebræos antiquius multo literas & scripturam habuisse certum est Et quidem ad Mosen Euseb. lib. 10. de Præpar. Euang. & apud eum Eupolemus: ad Abrahamum vero Philo Iudæus, earum originem refert. Et quamuis nullum omnino extet scriptum quod sit Mosaicis libris antiquius, & in illis ipsis nullum, priusquam duæ illæ lapideæ tabulæ a Deo ipso (vt liquet Exod. 32. 16. & cap. 34. 1.) in monte Sina conscriptæ: tamen cum dubium non sit, legem eo modo a Deo promulgatam fuisse, vt ab omnibus & legi & intelligi posset, (quorsus enim scripturæ si literas nesciuissent?) non est dubitandum quin ante Mosis tempora literæ ac scripturæ in vsu fuerint apud Hebræos. Antiquissimum omnium scriptum cuius mentio vlla aut memoria extat, illud est, cuius meminit Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 3. Ibi literas ac scriptionem in vsu fuisse ante diluuium clare testatur. Ait enim *Sethi posteros sideralem scientiam ac cœlestium rerum cognitionem excogitasse. Ne autem inuenta sua ex hominum notitia dilaberentur, scientes Adamum vniuersalem rerum interitum præcecinisse, vnum incendio, diluuio alterum, excitatis duabus columnis, vtrique sua inuenta inscripserunt, vt si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet. Aiuntque lapideam illam, ab ipsis dedicatam esse, quæ nostris temporibus extat in Syria.* Sic Iosephus. Quicunque vero literas inuenerit, meruit certe vt illius nomen cum primis, æternitati & literis mandaretur. Quis vero primus libros congessit, & Bibliothecam instituit, narrat tibi Strabo lib. 13. pag. 5*1. ita inquiens, *Aristoteles primus omnium quos scimus, libros congregauit, & Ægypti reges Bibliothecæ ordinem docuit.*

De Inuentore literarum.

Ac ne effæta esse hominum ingenia in his senescentis mundi sæculis queramur, ecce postremis his sæculis inuenta sunt nonnulla a viris ingenio atque iudicio præstantissimis, tanta laude atque admiratione digna, vt nec Apollinis, nec Mineruæ, nec Mercurij, nec cuiusuis e priscis inuenta, cum his vel vtilitate, vel dignitate vlla ex parte conferenda sint. Ex hoc numero est *vsus Magnetis & nauticæ acus eo tactæ, atque pixidis.* Magneti vim inesse vt acum ipso tactam,

De vsu Adamantis & nauticæ acus.

tactam, ad polum arcticum dirigat, ignotum omnino priscis omnibus. Quare illi nec tam facile, nec tam fæliciter Oceanum sulcare, vel regiones pelago disiunctas adire nouerant. Fatigaui me diu, vt quis hunc tam mirabilem Magnetis vsum mundo aperuit, designare possem, & illius memoriam literis commendare. Intellexi tandem frustra a me susceptum laborem illum omnem. Insudauit in hoc eodem inuestigando Ios. Acosta qui *Vascorem quendam de Gama*, (* vixit is ann. 1498) id a Mauris se accepisse, & pixidis beneficio Oceanum transisse ait lib. 1. de Hist. Indor. cap. 17. Sed a quibus hoc Mauri didicerunt Acosta inuenire non poterat. Polidorus etiam Virgilius lib. 3. de Inu. rerum, cap. 18. inter *noua inuenta non laude solum, sed admiratione dignissima, recenset hoc de magnete, & pixide nautica.* Quis vero eam reperit non esse compertum, pro comperto tradit. Sæculo hoc debemus superiori, authorem ipsum pro merito celebrare non possumus.

* *Ant. Magin. in sua Africa descr. fol. 183.*

De Inuentore Bombardarũ.

Huic adiungo *Bombardarum siue Scloporum inuentum*, quibus vel ad defendendum vel ad offendendum, nulla arma aut instrumenta, æque commoda, quinque millibus ac trecentis annis vnquam excogitata fuerunt. Quid ad hæc, enses, sagittæ, iacula, Balistæ, manubalistæ, scorpiones, aut cætera bellica instrumenta? verè instar nihili. Ista omnia in precio esse desiere, postquam Bombardarum vsus semel cognitus. Machinæ omnium impetuosissimæ, saxiuomæ, ferriuomæ, igniuomæ, quibus nullum corporis robur, nulla animi magnitudo, nullus bellicus actus, nullæ saxeæ arces, resistunt; ita frangunt, conterunt, deijciunt, & in nihilum redigunt omnia, vt homines instar Iouis non armis sed fulminibus pugnare videantur. Ridere hic libet Polidorum Virgilium, qui lib. 3. cap. 18. *inuentum hoc non solum execratione dignum censet, sed addit etiam, se hoc non ab humano ingenio, sed ab ipso malo Dæmone excogitatum, & hominibus ad ipsorum perniciem monstratum credere.* Nimis credulus es Polidore; & reuocas mihi in mentem, lepidum iocum. Cum aliquando vt solet, apud amicum meum familiarem doctum hominem atque argutum iocis ac facetijs animos laxare vellemus, recitauit ille duos versiculos, quos non nisi a dæmone componi potuisse lepide aiebat. Accessit pontificem Rom. cui Roma in amore ac delitijs, dæmon, abrepturus eum secum (quo tu conijcias) renitentem licet, & dæmonem corripere atque prehendere tentantem. Cui sic dæmon, poetam agens.

Signa te signa, temere me tangis & angis,
Roma tibi subito motibus ibit amor.

Versus hos quia literis retrorsum lectis, ijdem sunt qui & antrorsum, dæmoniacos esse, & humanum ingenium superare non sine magno lepore contendebat. Idem facit hic Polidorus. Inuentum

tum Bombardarum, quia exitiosum & execrabile putat, ideo dæmoniacum non humanum esse credit. Quasi vero non & homines, ipsique etiam monachi, exitialia multa & execrabilia inuenerint; multi certe sunt, qualis C. Curio, *ingeniosissime nequam*. Sed ego hunc Polydoro scrupulum eximam. Non est execrabile sed vere admirabile, summeque laudabile hoc ipsum Monachi inuentum. Huius clarum indicium ex vsu ac fine. Regula certa est, & indubitatæ fidei, *vnumquodque instrumentum eo præstantius esse quo facilius ad vsum ac finem quem intendimus ducit*. Finis armorum omnium, & bellicorum instrumentorum, est nos ipsos patriamque iusto bello defendere, & hostes qui iniustum bellum aut iniurias nobis inferunt, offendere, ac quam ociissime perdere. Hic finis, hic vere vsus omnium armorum, ipsius etiam belli, siue defensiuum sit siue offensiuum. Ad hunc vtrumque finem nihil ab orbe condito inuentum, quod sit Bombardis & sclopis conferendum. Si vel priuatus quis, vel princeps vllus, aut respub. ad iniuriam cuiuis inferendam, ad nequitiam, iniustitiam, vel aliorum regna & opes per fas nefasque occupanda, vel bombardis vtatur, vel vllis omnino armis, *Abusus ille armorum est, non vsus*: propter abusum vero res ipsæ quæ vtilissimæ sunt tolli non debent, nisi & vites omnes radicitus euellendæ sint, quia multi ad luxum & ebrietatem; & arma omnia abijciendæ, quia illis ad scelera, & homicidia, sicarij abutuntur. Sed & ex *ipso abusu*, quantus sit vsus facilime agnoscitur. Est enim & hæc etiam Regula veriissima, *eorum vsum esse præstantissimum, quorum abusus est pernitiosissimus*. Quare cum bombardarum & scloporum Abusus sit pernitiosissimus, vel ex eo bombardas ipsas & sclopos eorumque vsum præstantissimum esse potuisse facile colligere Polidorus. Quod vero addit idem Polidorus, ideo ne *nomen reperiatur mortifera huius machinæ cognitum esse, ne a cunctis mortalibus male audiret & diris deuoueretur*, vanissimus plane in eo est. Et *Nomen & Patria* illius æternitati commendata sunt, vt alios taceam, apud Sebast. Munsterum lib. 3. Cosmograp. pag. 429. Fuit is *Bartholdus Schwartz* seu Niger, vt a nonnullis, vocatur, *natione Germanus, professione monachus, & chymista*: qui cum vim pulueris sulphurei, ex scintilla ignis (quæ forte e silice excusa in eum inciderat,) percepisset, machinam mox ferream fabricauit, pulueremque bombardicum sperauit, & globulos iniectos eiecit. Factum hoc circa annum Christi, 1340. nam ann. 1354. in Danico mari vt Munsterus, & ante illud, anno nimirum 1342. in Algazira Maurorum vrbe in vsu fuerunt, vt ex Mariano testatur Seth. Caluis. ad eum annum.

* *Vel Pacer. lib. 2 fol. 52.*

Typographiam tertio loco adijciamus. Inuentum plane diuinum, nec laude solum sed admiratione dignum: ad historias re- *De Inuentione Typographiæ.*

rum omnium gestarum, ad illustria doctorum hominum scripta, omnesque disciplinas, & inter omnes ad tot tamque innumera de sacra Theologia monumenta conseruanda & æternitati commendanda, tam vtile imo plane necessarium, vt nisi Deus optimus max. opportuno hoc remedio ecclesiæ suæ tunc prospexisset, actum omnino fuisset de bonis literis; periissent omnes disciplinæ & libri (qui sunt monumenta temporum, & testimonia veritati perhibent,) cum ipsis testibus ac authoribus æterna nocte, & plusquam Cimmeriis tenebris obrutæ iam essent ac sepultæ. Nunc verò diuino hoc Typographiæ beneficio, volitant illa vbique per ora virûm, versantur & teruntur in manibus omnium; hinc enim fit vt vno anno vnus opifex, plura scripta, idque characteribus longe magis commodis, in vniuersum orbem emittat, quam integro annorum centenario, centum librarii aut scribæ, etsi manu promptissimi, euulgare possent. Pulcherrimi huius inuenti author & inuentor fuit *Iohannes Gutenbergius* * *aurifex Argentinensis, vir equestri dignitate, & ingenio, veres ipsa demonstrat, admirabili & felicissimo*, qui artem illam flanneis typis imprimendi, magnis suis sumptibus, sed maximo ecclesiæ & rerumpub. omnium commodo, Moguntiæ (ea Germaniæ ciuitas est) excogitauit & publicauit ann. 1440. Vt ex Iac. Wimphelingio in Epit. rerum German. cap. 65. Seb. Munstero, lib. 3. pag. 488. et Seth. Caluis. ad annum prædictum, aliisque liquet.

* Iob. Faustium vocat Christ. Massæus in suo Chron. ad ann. 144. sed non recte.

Sed hic iterum Aristotelis ingenium plane admirabile non possum silentio præterire. Ab aliis rerum inuentoribus fundamenta solum iacta sunt, & rudia quædam inchoamenta, quibus alii adiuti, res ab illis inuentas ad perfectionem & vmbilicum perduxerunt. Bombardæ primo rudes, et ad has nostri æui ludicræ. Itidem & Typographia nec tam accurata primo vt nunc est, nec tam commoda. Dies in his, aliisque similibus, diem docuit, et aliorum inuentis sequentes addiderunt, eaque suis ingeniis quasi lima polierunt. Nam vt vulgo vereque dicitur, *Facile est inuentis addere.* Solus Aristoteles *Logicæ totam artem & inuenit & perfecit*, nihil in hac arguendi ratione tot acutissimorum hominum ingenia, bis mille annorum spacio addere, demere, corrigere vnquam valuerunt. Illius sensum expiscari, explicare et explanare, omnis eis labor fuit, et in hoc se artis Logicæ κανων, et ipsum verticem tenere idque merito senserunt.

Aristoteles laudatur.

De nouis orbis Inuentore.

Extremum quod hic propono est Christophori Columbi Genuensis ingenium, nullis satis dignis encomijs vnquam celebrandum. Habeant Ptolomeus, aliique Geographi, suas & certe meritas laudes, nemo inuidet. Sed si ad Columbum conferantur, quantillum id est quod ab eis præstitum? Notum illi orbem, descrip-

descripserunt: Tanais, Taprobana, Nilus, Columnæ Hercules meta illis sunt; vltra nec sciunt nec sapiunt. At in Columbum illud, *Plus vltra*, verissime congruit. Orbem ille per multa millia annorum ignotum, in hoc ipso orbe quæsiuit, invenit, & orbi novum orbem (antiquo æqualem) monstravit ac dedit, anno 1492. Quàm vellem Henrici 7. (cuius ille opem primo impetravit) auspiciis tum nobile opus inceptum fuisset & perfectum: sed aliis ille honos fatalis erat; fruuntur. Cæterum hic non possum quin singularem Philosophiæ & Mathematicarum disciplinarum studium omnibus commendem. His enim studiis, ad rem tantam tamque admirabilem suscipiendam excitatus & aduntis est Christophorus Columbus. Considerabat primo globum terræ in latitudine complecti gradus 360. Europam vero, Asiam & Africam, id est totum tum orbem cognitum, non integros 180. gradus, id est vix dimidium complecti, quare non dubitabat in altero orbis dimidio, terram aliquam habitabilem extare: nec enim fieri posse vt tantum globi terrestris spacium, aqua aut Oceanus occuparet. Huic plus quam probabili coniectura, altera eaque certior accessit e Philosophia. Fuit Columbus vir doctus valde, in cæteris Philosophiæ partibus, & præcipue in ea quæ ventos, maria, ac maritimas regiones considerat. Longo ille vsu, & diligentissima observatione, atque experientia discernere didicerat, qui venti ab aridâ, qui ab aquis emitti aut flare soleant. Lustrabat insulas & maritimas multas vrbes, ac regiones. Cumque in extremis ad occidentem cogniti orbis partibus, diu multumque commoratus esset, iudicabat homo sagax, & ingenio simul ac sensibus acutissimis clare discernebat, ventos illos qui assidue ab oceasu & oceano occidentali flare solebant, eius generis esse atque conditionis, vt aridam vltra oceanum illum Atlanticum indicarent & propemodum demonstrarent. Quare cum diu, serio, ac diligentissime ventorum illorum vim atque qualitates animo perpendisset, cœpit magna confidentia, & sibi, atque aliis, ipsisque adeo regibus, atque inter alios primùm Henrico 7. Angliæ, post Ferdinando, & Elizabethæ Castiliæ Principibus, hoc ipsum polliceri; opem ab ipsis, nauigia, nautas, & comeatum impensius implorans. Factum tandem experimentum, & quidem felicissimo successu.

Vos ego hinc vno verbo adolescentes hortor vt Philosophiæ, Geographiæ, aliisque optimis disciplinis sedulo ac strenue operam detis, nec placidam membris det cura quietem. Notum vobis Themistoclis responsum, *Miltiadis trophæa eum a somno excitabant, & molles inquietas exigere cogebant.* Sit vobis Columbi gloria stimulus, atque fax ad ista studia. Nam & adhuc Salamis aliqua & Marathon vobis restat. Non enim dubito, quin bene magna Conti-

* *Cic. pro Archia poet.*

nentis pars ad Austrum, & Antarcticum polum adhuc orbi ignota sit. Clare id ex globis ac tabulis Geographicis conspicere potestis. Et hac parte Æquatoris magna Europæ, maxima Asiæ pars sita est. Terraque versus polum nostrum habitata Groinlandiam usque & novam Zemblam, id est, ad octavum ab Æquatore gradum, extenditur; versus austrum vero vltra Æquatorem, quam exigua continentis pars adhuc cognita? & vltra Fretum Magellanicum, id est, vltra gradum 54. fere nihil. Quis vero dubitet, æque commodã habitationem esse ad gradum octavum versus Antarcticum, atque est ad eundem gradum versus nostrum polum? aut quis credat Oceanum, totum illud spacium æquale propemodum, dimidio continentis adhuc cogniti, occupare? Hic Salamis tibi & altera Marathon modo te Themistoclem præstes. Volebam etiam hic attexere nobilissimum Francisci Draci nostratis cœptum, qui primus omnium mortalium ab orbe condito, integrum globum terræ circumnauigauit, anno ab hinc quadragesimo. Sed diutius me in his moratum sentio. Id vnicum nunc obseruo, Argumenta omnia quibus laudandos tales tamque præclaros rerum Inventores concludimus, a Causa efficiente duci. Qui hæc aut illa fecerit aut invenerit, ille maximis laudibus celebrandus est: Aristoteles, Alexander, Columbus, Dracus hæc fecerunt: ergo merito laudandi. Ex eo quod hæc ab illis vel gesta, vel inventa sunt, velut *ex causa* (quæ est mediũ) emanat, quod laude & encomiis celebrandi sunt, quod est Terminus maior.

Argumenta quibus vituperandos aliquos aut pœnitendos probamus, ad hunc Locum spectant.

Idem de *vituperio, pœna ac supplicijs*, sentiendum est. Nam vt ex dignitate aut præstantia alicuius vel rei, vel personæ, honorem eis ac laudem: ita ex *indignitate & vilitate*, ex *demeritis, aut malefactis* alicuius, vituperium, pœnam, ac supplicium ei deberi probatur ex hoc loco Causæ efficientis. In rebus sic, Quod vile est & indignitatem ac turpitudinem in se habet, illud est vituperio dignum: Auaritia, Intemperantia, Iniustitia, omne vitium, vilitatem, indignitatem, ac turpitudinem in se habet, ista igitur omnia merito vituperanda. In personis sic. Qui tyrannidem exercent, qui luxu, desidia, & intemperantia diffluunt, qui patriam produnt, aut illius exitium moliuntur, & infamia notandi, & supplicijs maximis afficiendi sunt. Nero, & Caligula, ciues bonos omnes tyrannide opprimebant; Sardanapalus & Heliogabalus luxus & intemperantiæ mancipia fuerunt; Sinon nefando scelere patriam prodidit; Garnetus, Oldcornus, (in Sanctorum, imo in martyrum tam numerum apud Romanenses relati, vt videre licet apud Eudem. Iohan. Cidon. in Apolog. sua pro Garnet. pa. 169.) vt patriam funditus euerterent, & in Cineres verterent, omnes nervos intendebant; hi igitur similesque omnes nullis satis dignis suppliciis vnquam affici

potuerunt

potuerunt. Iste hostis publice denunciatus est, quare vel vi vel stratagemate perdendus. Dolus an virtus quis in hoste requirat? Hac ratione apud poetam Eneid. 1. Iuno suadet Æolo vt Æneam ac Troianorum classem euertat.

Gens inimica mihi Tyrrenum nauigat equor,
Ilium in Italiam portans, victosque penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes,
Aut age diuersas, aut dispice corpora ponto.

Hoc eodem arguendi loco Sac. Scriptura, Romam perdendam esse demonstrat. Apoc. 18. Babylon quæ est mater Idololatriæ, fornicationum, & omnium scelerum officina ac sentina, amicta byssо, purpura, & cocco, deaurata auro & margaritis, conflagrabat igne; instar lapidis molinaris proiiceretur in abyssum, et veniente super eam plagæ, luctus, et cruciatus: Roma septicollis quæ adhuc supereſt, ea Babylon est, vt certissime et verissime demonstrat Franc. Ribera Iesuita, in ca. 14. Apoc. *Romam igitur* (verba sunt Riberæ loc. cit. in 44.) *non tantum propter priora peccata conflagraturam esse magno incendio, sed etiam propter illa, quæ extremis illis temporibus commissura est, ex huius Apocalypsis verbis adeo perspicue cognoscimus, vt ne stultissimus quidem negare possit.*

Huc etiam referri debent omnes pernitiosarum artium Inventores; quales sunt *Astrologia divinatrix*, quæ a Chaldæis si non orta, *Inuentores artium pernitiosarum.* cultа tamen est vehementius; *Necromantia*, cum mortuos consulunt, vt Saul olim Samuelis vmbram, id est ipsum Dæmonem: *Pyromantia*, cum ex ignis, fulguris, aut fulminis inspectione res prædicunt, vt Tanaquil apud Livium. *Aeromantia* cum ex auium volatu aut cantu, ex vento, grandine, aut procellis divinare solent, & eventa prædicere. *Chiromantia* cum linearum in manu inspectione futura prænunciant, Similesque artes non vanæ solum sed nefariæ, superstitiosæ, Deo exosæ, vt liquet, Deut. 18. 10. *Ne inveniatur in te, vtens divinationibus, aut planetarius, aut coniector, aut præstigiator, aut vtens incantatione aut inquirens pythonem, aut ariolus, aut necromantes, nam abominatio est Iehouæ quisquis facit ista:* De quibus Lactant. lib. 2. ca. 17, *Dæmonum inventa sunt Astrologia, Aruspicina, & ipsa quæ dicuntur Oracula, Necromantia, & ars magica.*

Huc demum accensendi sunt Zoili omnes ac Momi, qui cum ipsi *Momi vituperio digni.* ingenio indulgeant, & nihil quidquam ad communem vtilitatem vel afferant, vel inveniant, alios tamen præstantes viros, quorum ingeniis, studiis atque inexhaustis laboribus plurimum debemus, invido dente rodere amant, & eorum ingeniis atque doctrinæ

strinæ detrahere. Quo in genere. Petr. Ramum nemo satis vnquam culpare poterit, qui magno fastu ac supercilio, Aristoteli (cui ille indignus qui corrigiam soluat) sic puerilitèr vbique insultat, ac si in Logica præter Ramum talpæ omnes essent. Legat qui volet Rami Animadversionum libros: pudet referre, quam puerilitèr vbique illic nugatur, quasi non Logicam docere voluisset, sed Scommata; Omitto alia. Miror si quisquam inveniri poterit, qui non eum diris omnibus deuoueat, quòd Aristotelem (cuius vnius ingenio syllogismos, hancque totam arguendi artem debemus) *nescisse formam Syllogizandi* pertricta fronte vociferetur. Audi illius verba lib. 12. pa. 36. *verum hoc est quod dico, Aristotelē ignorasse Syllogismi formam.* Vah? Ille ne hoc ignorauit? cui soli, quod Syllogismorum vllam formam habeamus (nisi ingratus quis sit) acceptum ferre debet. Cuius tam exactum in illa Logicæ parte iudicium, vt merito hic de illius Organo dicendum sit:

Non illud Pallas, non illud carpere Liuor Possit.

Ex hoc furfure, illi conflati erant, qui Christophori Columbi inventum, ipso etiam præsente, in cœtu ac conuiuio solenni, non solum extenuare, sed prope vilipendere cœperunt, rem facilem fuisse, ac nullius operæ dictitantes, novum illum orbem, orbi demonstrare; sed eorum fastum & insolentiam, facete arguit homo ingeniosus. Iubet Columbus ovum sibi et quadram afferri, quærit deinde ab eis, an quis ovum illud vertice suo quadræ insidere faciat? tentant id singuli, sed frustra; tum contuso leuiter per Columbi ovi vertice, vident omnes nec sine rubore & quam facile sit, rem inuentam inuenire, & quam futile ac ineptum sit, aliorum ingeniis detrahere. In his omnibusque similibus argumentis, *Medium* semper est *Causa maioris extremi*, nam ipsa certe ignobilitas, indignitas, improbitas, flagitia, scelera, liuor ac inuidia, quæ huiusmodi hominibus insunt, causa est, cur meritissimo reprehendendi, vituperandi, pœnis ac supplicio deuouendi sint; talia igitur argumenta omnia a Causa efficiente ducuntur.

Tertio Argumenta ab Honesto, vtili et Iucundo, huc spectant.

Ad hunc Locum a Causa efficiente spectant etiam omnia illa argumenta ab *Honestate, vtilitate aut Iucunditate* ducta. Itemque ab *Inhonesto, inutili & inuicundo.* Nam cum *Bonum* quâ bonum, & quia Bonum, appetibile est ac desiderabile, ipsa certe *Bonitas* quæ vlli rei inest, est efficiens causa per emanationem, quæ facit aliquid esse desiderabile aut appetendum. Quia autem Bonitate non similiter nec æqualiter participant, id quod est *Honestum*, & id quod est *vtile ac Iucundum*, ideo non similiter ab istis omnibus argumenta ducuntur. Quomodo vero ab vllo horum arguendum sit, hisce duobus regulis explicari potest. *Honestum*

Honestum omne cum per se & propter se bonum sit, ideo per se & propter se defendendum est & agendum; quare ab eo absolute, sine vlla exceptione, argui potest. Honestum autem illud dicitur quod virtuti morali consentaneum est, Exempli gratia, Fortiter, temperanter, liberaliter agere, est honestum, ergo hæc facienda sunt. *Quomodo ab Honesto, arguendum sit.*

In *vtilibus* autem ac *iucundis* longe dispar est ratio. Nam quia ista vtraque, & cum honestate ac iustitia, & sine eis, quæri possunt æque appeti, ideo non licet ab eis absolute, simpliciter, aut sine limitatione concludere. Vitiosissimum enim, imo pernitiosissimum est hoc arguendi genus, Hoc est vtile aut iucundum, ergo est faciendum. Certe enim ad omnem iniustitiam, furta, rapinas, homicidia, stupra, adulteria, ad omnia scelera, latam viam sic aperias, & habenas laxes, si huiusmodi argumentis vt firmis applaudas. Sed quia nec vtile nec iucundum quando ab honestate ac virtute segregantur vere bona sunt, ideo si recte ab ijs arguere vnquam vis, oportet semper adiungere, hanc cautionem & limitationem, *quòd ab honestate, iustitia ac virtute, non discrepent*; tunc enim tantum bona sunt, alias mala: non sunt autem vel agenda, vel appetenda nisi quâ bona sunt, & quia bona sunt. Regula igitur secunda sit hæc. *Ab vtili aut Iucundo quando ab honestate, iustitia & virtute non dissentiunt firmum argumentum ducitur, alias semper infirmum*, vt Agriculturam, Mercaturam aliasque artes sic exercere, vt nulli iniuriam facias, vt vitam cum honestate traducere possis, est vtile, ergo illæ artes sic tibi exercendæ sunt; quod si a virtute ac honestate discrepat id quod tibi vtile videtur, vere *Inutile* est & noxium, nam veritas ipsa dixit. *Non prosunt thesauri iniquitatis.* Prou. 10. 2. Idem iucundum omne, si ab honestate dissentiat, vere acerbum & iniucundum est, nam eadem veritas dixit. Ier. 2. 19. *Vide malum esse, & quidem amarum, quod dereliquis Iehouam.* *Quomodo ab vtili aut iucundo, arguendum sit.*

Ab *Inhonesto, Inutili, & Iniucundo contrario modo arguendum est*, sed ab hoc eodem Efficientis loco. Nam vt ab Honesto hoc fluit, vt appetendum sit & faciendum, ita ab *Inhonesto* hoc manat, vt sit fugiendum, & non faciendum; & quia inhonestum (quod aut vitium est aut vitio semper coniunctum) vere *malum* est & *per se etiam malum*, ideo simpliciter atque absolute ex eo argui potest, quod sit semper fugiendum nec vllo vnquam tempore faciendum. Illud vero quod Inutile est, aut Iniucundum, non est quâ tale, vere malum, nec per se malum, ideoque nec per se aut simpliciter fugiendum, sed tum solum ista mala sunt, quando recta ratio non ferenda aut sustinenda iudicat. Nam si ea quæ inutilia sunt & molesta, suscipienda iudicat recta ratio, ipsa Inutilia vere vtilia tum sunt; & molestissima quæque, talia, vt vir fortis ad ea exclamet, *quam suaue est hoc, quam nihil curo!* Demonstrat hoc M. Reguli exemplum memorabile, quid inutilius, quam amicos, patriam, opes, & fortunas *Quomodo ab Inhonesto, Inutili, aut Iniucundo arguendum sit.*

omnes deserere? quid molestius quam acerbissimos crudelissimorum hostium cruciatus, ipsamque adeo mortem subire? sustinere tamen maluit hæc omnia, & sustinuit forti animo M. Regulus, potiusquam fidem hosti datam fallere, aut sacrosanctum iuramentum violare voluit. Sic itaque in his argui debet. Hoc Inhonestum est, & per se malum, ergo nullo casu, & nunquam faciendum: Hoc Inutile est & Iniucundum, & recta ratio non docet *hoc casu* ferendum esse aut faciendum, ergo hoc casu fugiendum est, & non faciendum, aut non ferendum.

Quarto Argumenta quibus vnum alio præstantius esse probatur, ad hunc Locum spectant.

Ad hunc postremo locum ab Efficiente spectant *argumenta illa omnia quæ in comparatione posita sunt, in quibus vnum alio dignius, præstantius aut optabilius esse probatur.* Nam vt in vtrisque est aliqua dignitas & bonitas, quæ est efficiens causa quare præstantiam vllam habeant, aut sit optabile, ita vbi maior est dignitas & bonitas, ibi est causa efficiens maioris præstantiæ. Tractauit hunc locum a Comparatione & fuse & eleganter Arist. lib. 3 Topic. Ex eo nos pauca obseruabimus, ex quibus vnum alio præstantius esse iudicari potest. Reliqua ab eo petenda relinquemus.

Aliud alio præstantius dupliciter.

Ante omnia vero diligenter obseruandum est quod Arist. pulchre tradit 3. Top. cap. 2. nu. 21. aliud esse alio præstantius duplici sensu, vel *absolute ac simpliter*, vel *secundum quid*, id est aliquo solum respectu aut in aliqua conditione præstantiæ. Prius Arist. vocat βέλτιον seu *melius*, quia simpliciter melius ac præstantius est; hoc posterius vocat αἱρετώτερον seu *magis eligibile*, quia positis his conditionibus & in hoc casu magis elegendum est: vt Philosophari, simpliciter melius est, quam labore victum quærere; sed ei qui indiget rebus ad victum & vestitum necessarijs, eligibilius est laborem subire quam philosophari. Hoc igitur casu melius est, non autem simpliciter. Iam nonnullis regulis probatur, aliud esse alio *simpliciter* præstantius. Quam plurima vero argumenta probant solum vnum alio præstantius *secundum quid*, aut in aliqua conditione dignitatis, aut alicui, aut in aliquo casu optabilius, cum simpliciter non sit præstantius. Quare in multis argumentis a comparatione non potest solide concludi hoc esse absolute & simpliciter præstantius alio, sed solum esse in hoc, aut quoad hanc conditionem præstantius. Quod si simpliciter esse hoc illo præstantius probare velis, *exprimenda semper est, aut saltem subintelligenda hæc clausula, (quòd in cæteris conditionibus quæ dignitatem arguunt, hæc duo quæ comparantur, paria sunt, & in hac, quam affert vnum alterum excedit.* Hac enim conditione (*cæteris paribus*, aut quod in *cæteris omnibus paria* sint) vel expressa, vel subintellecta, poteris certo concludere, vnum esse alio simpliciter præstantius. Quod si hanc clausulam non addas, probas solum hoc cui hæc conditio dignitatis conuenit, esse præstantius alio *secundum quid*, aut huic, aut quoad hoc, non autem *simpliciter præstantius*. Exemplo

vno rem faciam manifestam. Coniugium est *simpliciter præstantius* cælibatu: quia nec sine coniugio legitime potest propagari humanum genus, nec possunt quamplurimi sine eo honeste ac pie viuere; ideo de eo simpliciter dixit Deus, *Non est bonum hominis esse solum*, id est, coniuge destitutum, Gen. 2. 18. At respectu *persequutionis*; quæ sæpe imminet, respectu *multiplicium curarum* quibus nonnunquam implicantur coniugati, quo vxori ac liberis commode prospiciant, a quibus cælibes liberi sunt ac immunes, quoad hæc, & respectu horum, (quæ intuens S. Basilius in proœm. Const. monasticarum) dixit, *Nuptiæ pedicæ sunt*,) cælibatus eam vi præstantior est, & sic ab Apost. dicitur. 1. Cor. 7. 26. & 33. Iam si cætera in Coniugio & cælibatu paria essent, vere posset concludi cælibatum simpliciter esse præstantiorem; at cætera longe imparia sunt, non solum respectu propagationis humani generis, sed respectu eorum ipsorum officiorum quæ Deo debemus: *vt sancte & pura mente deum colamus*, vt *vas sibi vnusquisque possideat in sanctificatione & honore, non in ardore concupiscentiæ*. Igitur illis, quibus donum continentiæ non est cælitus datum (qui sane perpauci sunt,) simpliciter melius est *nuptiarum* (id est, Dei ipsius) *pedicis* quam *libidinis*, id est, diaboli *compedibus* ac laqueis implicari: quia in illis licet non tam libere, tamen honeste, pie ac sancte Deo seruire licet; in his quibus nos ipsi obstrinximus liberrime quidem inseruimus, verùm non Deo sed Diabolo eique soli militiam istam vouemus: ideoque simpliciter, omni hominum ordini, coniugium præstantius est & optabilius, quam in cælibatu, (quem vovere facile potes, pie præstare non potes,) giaris & vinculis, ferro omni deterioribus, alligiri. Nam *honorabile est inter omnes* (id est in omni hominum ordine) *coniugium*: *Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus*. Ex hoc vnico exemplo intelligis, quam necessaria clausula illa quam dixi, *Cæteris paribus*, addi debet in quamplurimis argumentis a comparatione ductis, Tu vbi opus erit eam adde. Nos aliquot *propositiones* adiungemus, quibus vti licet, & pro maiori propositione accipere, in multis argumentis, vbi vnum alio præstantius esse probatur. Regulas enim & *Axiomata* non dixerim: quia hæ propositiones, actu sæpe ingrediuntur argumenta illa, quibus præstantia vnius præ alio concluditur. Et in omnibus *subiectum* (quod vere *Medium* est) est causa efficiens maioris præstantiæ in hoc quam in illo, quod est *maior terminus*. Axioma autem cui omnia illa argumenta a Comparatione ducta innituntur est hoc vnum, *Cui inest Causa maioris præstantiæ, illud est alio præstantius*. *Axioma cui hæc argumenta innituntur.*

Propositiones sunt hæ. Prima, *quod per se ac a se est tale, præstantius est eo quod per aliud est tale*. Idem est fere cum eo quod ait Arist. lib. 3. Top. cap. 5. nu. 3. *Quod est naturâ tale, magis est tale eo quod non est naturâ tale*, et cap. 1. nu. 10. *Quod naturâ est bonum, melius* *Prima Prop. Ab eo quod est per se.*

melius est, eo quod non est naturâ bonum. Hinc sic concludere recte potes. Deus per se est Ens, alia omnia per ipsum & ab ipso entitatem habent. Deus igitur est Ens omnium præstantissimum. Iterum, Deus natura sua bonus est, potens, sapiens, iustus; magis igitur Deus talis, quam vlla creatura; quia in creaturis hæc omnia accidentia sunt, in Deo sunt ipsius natura ac essentia. *Perfectissime* igitur, *originaliter & eminenter* sunt ista omnia in Deo, in alijs *imperfecte* solum, *derivative & inhærenter.* Sic Christus, Math. 6. arguit: *Salomon cum vniuersa gloria, non sic erat amictus vt vnum ex his liliis:* Nam illorum pulchritudo natura est & naturalis, Salomonis adventitia, extrinseca & exuenda, etiamsi Conchyliorum omnium purpura, gemmis, ipsisque lilijs amictus fuisset.

Secunda Prop. Ab eo quod est optabile propter se.

Secundo, *Quod propter se est optabile, melius est eo quod propter aliud est optabile.* Tradit hoc Arist. 3. Top. cap. 1. nu. 6. Hinc probes quod bene valere optabilius est omni pharmaco, & potione medicorum, quia ista solum optamus vt bene valeamus; & huc spectat illud cap. 1. nu. 14. *Finis est optabilior eis quæ sunt ad finem.* Nam media expetimus solum propter finem, magis igitur finem, quam media expetimus.

Tertia Prop. Ab eo quod est per se bonum.

Tertio, *Quod per se est bonum, optabilius est eo quod est per accidens.* Tradit hoc Arist. 3. Top. cap. 1. nu. 8. Hinc probatur virtutem esse diuitijs præstantiorem, virtus enim per se bona est, diuitiæ non nisi per accidens, quia si quis bene eis vtatur, bonæ, sin male, malæ sunt.

Quarta Prop. Ab Efficiente præstantiori.

Quarta. *Quod ab Opifice præstantiori fit, præstantius opus est:* vt, mundus, fit a Deo opt. max. Domicilia omnia nostra, ab hominibus, qui ad eum instar nihili sunt. Mundus igitur longe his omnibus præstantior. Aristoteles in scientia Logicæ instructissimus, & admirabili plane ingenio ac iudicio præditus, Organum Logicum; Pet. Ramus, minutæ intelligentiæ homo, libellum istum de Logica composuit, iste igitur libellus ad Organum si conferatur, instar nihili est, nec eodem die cum Organo nominandus. Sed hic aduerte non tenere hanc regulam, *nisi cum efficiens quam bene potest opus suum efficiat:* non enim sequitur, Hic est illo longe doctior aut peritior pædagogus, ergo hic melius te in Logica, aut Grammatica instruet. Fieri enim potest vt is qui melius potest instituere, vel non velit quam bene potest, vel non tam diligenter te instituere. Quando autem vtrumque efficiens, agit quam bene potest, tum ex præstantia opificis aut efficientis, recte concludas effectum esse præstantius.

Argumenta a parentibus, aut patria dulla.

Atque huc spectant argumenta a *parentum* a quibus editi, aut *Patria* in qua nati sumus, nobilitate. Nam vt parentes sunt *causa procreantes*, ita Patria est *Causa conservans.* Qui ex nobili prosapia, aut nobili patria ortus est, præstantior est illo qui obscuris parentibus,

aut

aut minus nobili vel familia vel patria oriundus. Hinc Aiaci, se a Ioue tertium iactanti, iustissime Vlysses se præponendum declarat. Metam. lib. 13. *Nostri*, inquit, *quoque sanguinis autor Iupiter est, totidemque gradus distamus ab illo*, & numeratis tribus suis parentibus, addit, *neque in his quisquam damnatus & exul* (sicut Peleus & Telamon Aiacis pater & auus fuerant,) & cum Aiax sola paterna nobilitate gloriaretur, Vlysses addit, *Est quoque per matrem, Cilenius* (Mercurius) *addita nobis altera nobilitas, Deus est in vtroque parente.* Verum hic necessario addenda est vsitata illa limitatio (*Caeteris paribus.*) Nam si cætera *imparia* sint, nihil hinc conficitur. Quare non valet, Catilina nobili genere natus est, Cicero ex publicano patre, ergo Catilina Cicerone præstantior est; nam iste vitijs ac flagitijs & se & familiam suam ignobilem fecit, eique dedecus, ruinam & extremum fatum attulit. Cicero virtute sua ac eloquentia, familiam suam ante obscuram illustrem fecit. Huc spectat præclarum illud Themistoclis responsum apud Cic. lib. de Senect. Cum Seriphius quidam (villa Seriphus, erat ignobilis ac obscura.) Themistocli dixisset, *Non tua sed patria gloria splendorem assecutum*, respondit Themistocles, *Non hercle, Nam nec ego si Seriphius essem, ignobilis; nec si tu Atheniensis, clarus vnquam fuisses.* Huc spectat illa Propositio, quam tradit Arist. 3. Top. cap. 3. nu. 19. *Quod producit effecta præstantiora, id præstantius est & laudabilius.* Habes illustre exemplum ex Plinio lib. 35. cap. 10. Certabant olim de palma nobilissimi duo pictores, Zeuxes & Parasius. *Cum ille detulisset vuas pictas tanto successu vt in scenam aues aduolarent, Parasius linteum pictum attulit, ita veritate repræsentata, vt Zeuxes, alitum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam. Intellecto errore concessit Parasio palmam, ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parasius autem se artifice.* Hinc etiam Homero inter Græcos, & ex Latinis Virgilio palmam inter Poetas omnes tribuendam probes, quia illorum poemata tantum inter omnes eminent, quantum lenta solent inter viburna Cupressi. Quanquam ego nec Pindaro, nec Horatio, nec Nasoni laudem vllam inuideo, aut detractam volo; sed nec cuiquam omnino qui specimen vllum acuminis sui aut ingenij etiamsi in re leuicula edat: quare & sæpe & libere acumen illius (Grosius opinor fuit) laudare soleo, qui versum illum pentametrum excogitauit, cui si verba simul ac sensum spectes, parem vix vnquam aut vspiam credo reperies.

Tu in me ita es in te vt ego: At te hic tam ibi amo, at tu ibi me hic.

Habeant singuli meritas laudes, cedant tamen omnes non ægre illis quos nominaui, Homero ac Virgilio, de quibus verissime canas.

Lumen inest, & flumen inest, & Numen in illis.

Quinta Prop. *A fine præstantium.*

Quinta, *Quod ad finem præstantiorem ordinatur, & ducit, præstantius.*

tius est. Habet hoc Arist. cap. 1. nu. 18. *Cuius finis est melior, ipsum quoque est melius:* Vt Theologia ad æternam salutem & fælicitatem ordinatur, ad eamque ducit, Medicina ad corporis solum sanitatem, Theologia igitur est hac longe præstantior.

Sexta Prop. A materia præstantiori.

Sexta, *Quod ex præstantiori materia fit, præstantius est.* Hoc argumento vsus est Augustus vt Romam multo a se meliorem factam esse declararet. *Inueni*, inquit, *Lateritiam, reliqui marmoream.*

Septima Prop. A forma præstantiori.

Septima, *Quod habet præstantiorem formam, præstantius est.* Homo habet animam rationalem, qua intelligere, velle, bene agere, Deum laudare potest. Nullum aliud Corpus; ne cœlum quidem, tam nobilem formam habet; homo igitur omni corpore, ipso etiam cœlo præstantior est.

Octaua Prop. A Subiecto præstantiori.

Octaua, *Quod habet præstantius subiectum (cæteris paribus) est præstantius.* Tradit hoc Arist. 3. Top. cap. 1. nu. 11. vt, scientia animæ, robur corpori inest, illa igitur hoc præstantior.

Nona Prop. A Consequenti præstantiori.

Nona, *Cui maius bonum, aut minus malum est consequens, illud melius est.* Tradit hoc Arist. 3. Top. cap. 2. nu. 1. vt, multo plura damna consequuntur, si domi, & in tuo regno hostem excipias, quam si foris bellum tum eo geras; præstat ergo in alieno regno quam in tuo cum hoste confligere. Sic, Popularem statum & Aristocratiam seditiones magis consequuntur, quam Regnum; ergo cum Homero canendum, Iliad. 2. [illegible]

Decima Prop. A Coniugato præstantiori.

Decima, *Cuius coniugatum est præstantius, illud ipsum præstantius est.* Tradit hoc Arist. 3. Top. cap. 3. nu. 5. vt, Prudentia ciuilis præstantior est fortitudine, ergo prudentia rempub. sustentare præstantius est, quam fortitudine hostem pellere, Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Vndecima Prop. A Contrario aut Priuatione.

Vndecima; *Cuius Contrarium aut Priuatio est maius malum aut magis fugiendum, illud est maius bonum, magisque appetendum.* Tradit hoc Arist 3. Top cap. 2. nu. 8. vt, vitium est deterius & magis fugiendum, ignorantia; ergo melius est esse virum bonum, quam doctum aut peritum. Miseria deterior est & magis fugienda quauis egestate aut dolore corporis, ergo beatitudo omnibus opibus & omni voluptate corporis anteponenda est. Atque hinc probatur minus malum esse, miserum esse, quam omnino non esse. Nam *priuatio ipsius esse* (quæ est omnino non esse) peius est quam *priuatio beatitudinis*, quæ est miserum esse. Nam illi ipsi qui miserrimi sunt, aliquo bono participant, eo ipso quod sunt, (hoc ipsum enim Esse bonum est) quod autem omnino non est, nullius boni capax est. Quare quod de Iuda sceleratissimo proditore dictum est Math. 26. 24 *Bonum fuisset homini illi si natus non esset*, dictum est ex opinione Iudæ, & reproborum, qui cum infinitam miseriam sibi sustinendam videbunt, quam nullo alio modo nisi *non essendo*, effugere

pote-

poterunt, ipſi corrupto ſuo iudicio, optabunt potius ſe non eſſe, aut nunquam fuiſſe, quam infinita iſta miſeria premi. Quod ſi ſana mente ac iudicio rem perpendere poſſent, viderent reipſa multo peius eſſe, non *eſſe*, quam *miſeros eſſe*; quia *non eſſe* plus longe diſtat a ſummo bono, quam *eſſe miſerum*. Imo in ipſa ſua miſeria deberent laudare iuſtitiam Dei, & æquo animo ferre iuſtum illud ſupplicium, quod ſibi ipſis ſua ſolum culpa contraxerunt, ac dicere vt ille Mic. 7. 9. *Indignationem domini feram, quia peccaui in eum.*

Duodecima, ab Adiunctis eorum quæ comparantur, præſtantia vnius præ alio probatur. Nam *cuius Adiuncta ſunt præſtantiora, illud eſt præſtantius.* Hinc Gnato apud Terentium ſe alteri præfert, Conueni hodie mei loci atque ordinis hominem, *video ſenium, ſqualidum, agrum, paupertatem, ſolitudinem obſitum. Ego illum contempſi prius: video quis Color, nitor, veſtitus*, quæ habitudo corporis? Ab Adiunctis autem multipliciter argui ſolet.

Duodecima Prop. Ab Adiuncto præſtantiori.

Aliquando ab *ipſorum numero aut multitudine. Cui plura bona inſunt, illud antepondum eſt ei quod pauciora habet.* Tradit hoc Ariſt. 3. Top. cap. 2. nu. 2. hinc ita arguas. Hoc eſt & vtile & iucundum, ergo eſt præſtantius eo quod eſt ſolummodo iucundum. Refer huc illud Ariſt. 3. Top. cap. 2. nu. 3. *Eadem cum voluptate, magis eligenda ſunt quam ſine voluptate*: et cap. 3. nu. 17. *Quod tam ad honeſtatem, quam ad vtilitatem & voluptatem vtile eſt, melius eſt eo quod ad vnum horum ſolum eſt vtile.* vnde Horat. in art. poet. *Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.* Hinc itaque ſic arguas, Hic locus & ſalubris eſt, & ad opes comparandas æque commodus; ergo optabilior eſt iſto, vbi vel opes, ſed non ſanitatem, vel ſanitatem ſed non opes comparare poſſis, aut conſeruare. Iterum, fælicitas habet in ſe cumulum bonorum omnium, nempe bona animi, Corporis & Fortunæ: Fælicitas ergo eſt virtute omni præſtantior, optabilior, magiſque eligenda, cum ad virtutem tantus bonorum cumulus non requiratur. Hoc eodem arguendi genere Sereniſſimæ Reginæ Elizabethæ encomium olim eleganti verſu celebratum eſt in hunc modum.

A Numero Adiunctorum.

Iuno, Minerua, Venus, memoroſa in montibus Ida,
diſcrimen forma cum ſubiere ſuæ,
Inter tres diuas, ſi tu dea quarta fuiſſes,
victiſſes reliquas, O dea quarta deas.
Quam Iuno ieiuna foret? quam pallida Pallas?
Quam dea vana Venus? quam dea ſola foret?
Iuno iactat opes: longe prudentior illa
ſed Pallas: prudens, non opulenta tamen.
Sit formoſa Venus, Regni virtutis egena eſt.
Omnia ſunt tua: Tu Iuno, Minerua, Venus.

Aliquando

Ab Adiunctis Diuturnitatis.

Aliquando a singulis adiunctis arguere licet: A *Diuturnitate* sic. *Quod est diuturnius (cæteris paribus) est præstantius*: habet hoc Aristot. Top. 3. cap. 1. nu. 3. Hinc Apostolus ait, *charitatem esse maiorem fide, & spe.* 1. Cor. 13. quia illa in futura vita non modo manet, sed perficitur; hæc autem ambo (quia res futuras respiciunt,) cum futura illa præsentia sunt, abolentur.

Ad Adiuncta Similitudinis.

A *similitudine* sic, *Quod præstantiori simibus est, ipsum est præstantius*: habet hoc Arist. 3. Top. cap. 2. nu. 12. vt, Aiax similior est Achilli, Vlysses Nestori; at Nestor, i. vir prudens, est præstantior Achille, i. viro forti, ergo Vlysses Aiace præstantior.

Ab Adiuncto Difficultatis.

A *difficultate* sic, *Quod est difficilius est præstantius.* Vt esse Philosophum, quam Grammaticum, nam illud longe difficilius: *& difficilia quæ pulchra*; eaque *charissima nobis sunt, quæ non facile acquiruntur*, vt docet Arist. 3. Top. cap. 2. nu. 14. Hinc illud in Eunucho, *Ex Æthiopia est vsque huc.* At Eunuchus iste e proxima vicinia. Hinc Heliogabalus, cum in maritimis regionibus esset, carnibus, cum in mediterraneis, & longissime a mari versaretur, solis piscibus vesci solebat, tantaque superfluitate, vt murenarum lactibus & luporum, rusticos pasceret, vt testatur Lamprid. in vita Heliog. Sordent mimirum quæ possunt semper haberi.

Ab Adiuncto Necessitatis.

A *necessitate* sic, *Quæ sunt ex abundanti & non necessaria, melius sunt eis quæ sunt necessaria.* Tradit hoc Arist. 3. Top. cap. 2. nu. 13. Sed intellige hoc, vbi quod non necessarium est, præsupponit id quod est necessarium. Vt melius est homini bene ac beate viuere, quam viuere; & tamen hoc homini necessarium est, non illud. Secus est, vbi *necessarium non includitur in non necessario*, tunc enim, quod necessarium est præstantius est, vt cibum ac vestitum habere sine auro & opibus, melius est, quam sine his Midæ aut Crœsi opibus frui. Tota igitur vis argumenti ab hoc loco ducti, pendet *in multitudine bonorum*, nam ad *bene ac beate esse*, requiritur etiam *esse*, et ad esse simpliciter non requiritur beate esse: plura autem bona paucioribus præligenda, vt ante dictum est.

Ab Abiuncto Proprietatis.

A *proprietate* sic, *Bonum proprium & priuatum melius est communi.* Tradit id Arist. 3. Top. cap. 2. nu. 15. Intellige hoc, vbi *vsus & vtilitas ex communitate vel tollitur, vel impeditur, vel minuitur*: vt habere domum aut agrum priuatum, melius est quam publicum: nam communitas in his multum imminuit vsum & fructum qui inde percipi posset. Quare merito Platonis rempub. (in qua & possessiones & fœminas, & liberos, & omnia communia esse volebat,) repudiat non Arist. solum lib. 2. Polit. cap. 3. & 4. sed Lactantius, * lib. 3. Instit. cap. 21. & 22. aliique. Sed cur Platoni succenseamus? cum hanc eandem de rerum communitate sententiam a Clemente Papa approbatam, & ex eo in *ius* Pontificium relatam atque canonizatam videamus? Causa 12. quæst. 1. cap. Dilectissimis:

* *Matrimonia quoque (inquit Plato) communia esse debebunt. Lact.*

mis: verba digna sunt, quæ obseruentur. *Communis* (inquit ille Clemens) *vsus omnium quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit. Sed per iniquitatem alius hoc suum * esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales facta diuisio est. Denique Græcorum quidem sapientissimus, hæc ita sciens esse, ait, Communia debere esse amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio & Coniuges: & sicut non potest diuidi aer neque splendor solis, ita nec reliqua quæ communiter in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum, diuidi debent, sed habenda omnia communia sunt.* Sic Clemens loco citato. Male factum a Binio, qui in sua Concil. editione verba illa (*In omnibus autem sunt sine dubio & Coniuges*) ex Epist. quinta Clementis expunxit penitus & deleuit: Cur faceret? cum non solum in antiquis Iuris canonici exemplaribus, sed in nouissimâ etiam illa, & ad Pontificum limam correcta Gregorij 13. editione, exprimantur; cum etiam Clemens ille diserte approbat Platonis de rerum omnium Communitate sententiam. Platonem autem, *inter omnia*, & vxorum communitatem docuisse, tam perspicuum est, vt lippis, atque tonsoribus notum sit. Cum denique Clemens ille in alijs libris, dogmata non minus perniciosa tradat: Quale illud est. lib. 3. Apost. Constit. cap. 2. vbi *digamiam sceleratam esse, quartas vero nuptias manifestam fornicationem dicat*, & lib. 8. cap. 32. (verba eius ex Posseuini Apparatu * referam; sensus in Clemente idem) *ancillam soli domino obsequentem recipi iubet Clemens, quasi domini cum ancilla concubitus non sit fornicatio*: Vere Nicholaitas ista decent, non Clementum, non Rom. Pontificem. Sed mittamus ipsum; verissime Aristoteles loco citato docet, nec vllum Coniugum, aut liberorum: nec aliam possessionem aut bonorum communitatem esse, aut esse debere, quam vt κτήσεις propria, χρήσεις solum, quando vsus postulat, communia, id est, vt quoad possessionem, nostra sint; permissione vero nostra, quoad vsum, aliorum. In huiusmodi enim bona propria publicis sunt longe præstantiora.

* *Vnde glossa approbat hoc dictum, Quietissime viuerent homines in hoc mundo Si de medio sublata essent hæc duo verba, Meum, & Tuum. Glos. ibid.*

* *In verbo Clemens 1. Romanus.*

A *Communitate* sic. *Bonum quo communius est eo melius.* Habet hoc Arist. 3. Top. cap. 2. nu. 19. Quod intelligendum, de bonis, *quorum communicatio neque tollit, neque impedit, aut diminuit eorum fructum.* Hinc probatur, rempub. bene administrare præstantius esse, quam familiam vllam priuatam. Hinc etiam probatur, Scire aliquid sic, vt tua scientia plurimis prodesse possis, longe præstantius esse, quàm eandem occultatam & subter modium positam sepelire. Quare magnopere improbandum est illud quorundam doctorum hominum (qui sibi solis scire & sapere amant,) dictum, quod se a non nemine audisse, retulit mihi vir doctus valde ac familiaris M. Fr. Masonus. *Ipse nolo fucos pascere melle meo.* At illos vere tu fucos facis: qui, si conficiendi mellis artem aperire illis voluisses, apes essent, & fauis suis ecclesiæ non minus quam tu ipse commodassent.

Ab Adiuncto Communitatis.

d assert. Neq; vero mel illud, in quo tibi tantopere plaudis, quantum quantū ſit, mel tuum eſt: non magis certe tuum, quam Solis eſt illa lux: qui, ſi lucem illam, ſuam diceret, ideoque eam nobis (vt tu facis) inuideret, quantæ & quam ſpiſſæ vbique tenebræ? quantam tibi ab illo ſole iniuriam factam eſſe clamitares? Si non te id moueret quod vel Natura duce docet te M. Cicero lib. 1. offic. *Lumen de lumine, & Erranti communiter monſtrare viam*: Et *aliquid ſemper ad communem vtilitatem afferendum*: quia non nobis ſolum nati ſumus, ſed ea lege, vt alijs, & ſi fieri poſſit, omnibus proſimus: diſce tamen illud Bernardi Ser. 36. in Cant. *Sunt qui ſcire volunt, vt ſciant; & eſt turpis curioſitas; Sunt qui ſcire volunt vt ſciantur; & eſt turpis vanitas; ſunt qui ſcire volunt, vt ſcientiam vendant; & eſt turpis quæſtus: Sunt qui ſcire volunt, vt ædificent; et eſt prudentia.* Abi nunc & ſis ſciens; audies tamen apud omnes imprudens & inuidus. Mihi hoc in votis ſemper ſit: vt meum hoc, ſiue talentum ſit, ſiue Teruntius, quo me dignatus eſt Dominus meus, cum ratio reddenda ſit, poſſim ex eo, quinque talenta ei afferre, vt ab eo tandem audire poſſim, Euge ſerue bone: in exiguo fuiſti fidelis, ſuper multa conſtituam te.

Similis multa ex Adiunctis argumenta duci poſſunt ex quibus vnum alio præſtantius eſſe probatur. Ea tu ex Ariſtotele lib. 3. Top. pete. Id vnum hic moneo. Quod licet hæc, Adiuncta ſint eorum quæ inter ſe comparantur, tamen ſicut ipſa hæc Adiuncta, ſunt Efficientes cauſæ præſtantiæ illius rei cui inſunt, aut attribuuntur, ita præſtantiora Adiuncta ſunt maioris præſtantiæ, efficientes etiam cauſæ; ideoque illa ipſa argumenta quæ ab Adiunctis his probant vnum altero eſſe præſtantius, vere eſſe argumenta ab Efficiente cauſa ducta, cum in illis omnibus *Cauſa efficiens maioris præſtantiæ, medium ſit, & maior præſtantia* (quæ illius cauſæ vere effectum eſt) *ſit maius extremum*. Quod idem de reliquis omnibus argumentis ante allatis, vel a Materia, vel a Forma, vel a Fine, vel a Subiecto, vel a Conſequentibus, vel a productione effecti præſtantioris, vel ab alijs quæ propoſuimus ducuntur, dici debet. Etſi enim iſta ſint Materia, Forma, finis, ſubiectum, vel Conſequentia reſpectu earum rerum quæ comparantur, tamen reſpectu *maioris Præſtantiæ* quæ ſemper eſt *maius extremum*, omnia ſunt *efficientes cauſæ*, ideoque omnia iſtiuſmodi argumenta, *a Cauſa efficiente* vere ducuntur, intra *fundamentalem* illam a nobis antepoſitam *Regulam*. Nec dubito etiam quin multa ex his argumentis, vere *Demonſtrationes ſint, & poſſint inter Demonſtrationes retenſeri*: ſed ego malui huc ad probabilia argumenta referre, quia frequentius in probabili diſſerendi genere vſurpantur. Liberum vero cuique relinquo, an velut hæc Demonſtrationes, an probabiles Argumentationes vocare. Hoc ex fine arguendi rectiſſime dijudicet, quia ſi hæc vt neceſſaria media

media & ad docendum adhibeat, *Demonstrationes*: sin vt probabilis media, & ad verum inueniendum, aut ad bonum suadendum adhibeat, inter *Probabiles* Argumentationes numerandæ sunt. Atque hæc de Argumentis a Causa efficiente ductis (cuius loci vsus quam latissime, vt nunc vides, patet) dicta sunt.

Cap. V.

De secundo Loco arguendi qui est a Causa Finali, et de Argumentatione ab ea ducta.

SEcundus Locus arguendi est a *Causa Finali*. Ducitur autem *Argumentum a Causa Finali, quoties Medium est Causa finalis, qua a Causa Finamouet efficientem ad agendum, & ipsa alios efficientis, ad producendum li, quid. effectum illud, quod intendit, est Maior terminus*, vt hic. Qui vult amari languida regnet manu: quilibet princeps vult amari, ergo quilibet princeps debet tyrannidem odisse, & æquo ac iusto moderamine rempub. administrare. De hoc arguendi genere abunde in lib. nostro de Demonstratione cap. 5. egimus. Nam quæ ab hac Causa Finali, (vti etiam quæ ab efficiente) vere ducuntur argumenta, & in quibus *propria ac proxima finalis causa* mouens efficientem, adhibetur; ea vere Demonstrationes sunt. Qua de re quia nolo hic eadem repetere, videat lector quæ illic a nobis fusius tractata sunt.

De Causa Finali hæc Axiomata obserua. *Regulæ de*

Qui vult finem, vult etiam Media ad Finem. Quo vno Axiomati *Causa Finali.*
innituntur omnia argumenta a Causa Finali ducta. Exempla om- *Reg.* 1.
nis generis dedi in lib. de Demonstratione, ex Metaphysica, Physica, Ethica, Oeconomica, Politica, Logica, Rhetorica, Grammatica, denique ex ipsa Theologia. Tu ibi (si libet) relege.

In Finibus necesse est ad aliquem vltimum, & summum finem perue- *Reg.* 2.
nire: liquet ex quarta Regula, de Causa in genere. Quia aliter in Causis finalibus daretur processus in infinitum: quod esse impossibile illic declarauimus. Quia autem finis omnis bonum est, (nam aliter non posset appeti,) sequitur, vltimum, seu summum finem, esse summum bonum: & quia summum bonum nihil est, aut esse potest, nisi quod satiare & implere appetitum potest, finitum autem nullum, appetitum satiare potest, quia quouis finito adepto, adhuc aliud bonum restat, quod appetatur, æternum scilicet ipsa, & æterna fruitio bonorum; ideo certum est, nullam finitum posse esse sum-

summum bonum: est igitur Summum bonum Infinitum; Infinitum autem nihil omnino est aut esse potest præter Deum opt. maximum. Ille igitur solus est & vltimus finis, propter quem alia omnia agenda sunt, & summum bonum quod appetere omnes debent. Ille principium & efficiens a quo sunt omnia, ille idem Finis propter quem sunt omnia; Ille solus & Alpha & Omega. Et hoc agnoscit Arist. lib. 9. Ethic. cap. 4. *Deus* inquit, *habet summum bonum; & est id quod est ipse.*

Reg. 3. *Finis omnia media propter vltimum, vltimus autem propter se tantum expetitur.* Quare vis bellum gerere? vt hostes debelles: quare hoc vis? vt pace fruaris: quare pace frui vis? vt tranquillo animo vitam exigas in virtutis ac pietatis officijs colendis: quare verò bene agere aut pie viuere vis? vt beatus sis. Beatus autem esse nemo velle potest propter aliud, quia vltra huius adeptionem, nihil est quod desiderare quis possit, nihil propter quod finem vltimum desiderare potest; quia si propter vllum alium finem appetatur, iam non erit vltimus. Hic igitur vltimus finis, & summum bonum naturaliter ab omnibus expetitur. Nam voluntas, sua natura fertur & in bonum & in summum bonum, vt in lib. de Demonstr. ostendi. Sicut igitur voluntas velle nihil potest nisi bonum, ita non potest non velle vltimum finem & summum bonum. Sed quia *voluntas semper sequitur iudicium vltimum rationis*, vti alibi docuimus, & ratio tam corrupta ac deprauata, suo vltimo iudicio sæpe iudicat, & id esse bonum, quod reuera malum est, (licet apparenter sit bonum) & illud esse summum bonum, quod reuera non est summum; hinc fit, vt multi & velint ea quæ sunt vere mala, licet velint ea *sub ratione et specie boni*, & velint id vt summum bonum, quod vere non est summum, licet ipsis *ita esse videatur*: ideoque volunt omnes vltimum finem & beatitudinem; sed quia omnes non recte iudicant, ideo non volunt id quod reuera est vltimus finis, & vera beatitudo, vel vt Augustini verbis vtar, *Et omnes beate velle viuere, verum est; & non omnes sic velle viuere quomodo solum beate viuitur, verum est.*

a Lib. 13. de Trin. cap. 4.

Reg. 4. *Qui respuit, negligit, aut non vult media necessaria ad vllum finem, idem respuit, negligit, aut non vult illum finem.* Ratio perspicua est, quia sine illis necessarijs medijs ad finem peruenire nullo modo potest. His ergo spretis aut reiectis, eo ipso *reuera*, & *implicite* spernitur & reiicitur finis. Non vis aut negligis pie & recte viuere; neglgis igitur, & *reuera*, ac *implicite* non vis seruari ac vere beatus esse: & licet Stentoris voce clamites, velle te beatum esse, factis tamen negas, quod verbis profiteris: quid vero verba audiam, cum facta videam? de voluntate ac mente cuiusque magis credendum est oculis quam auribus. Non vis, aut negligis bonis literis operam dare? rideo. Ite philosophum aut doctum esse velle

velle dicas: noli etiam agrum tuum serere, & vide ipse, an non amens sis, si fruges inde metere expectes.

Finis indebitus actionem bonam corrumpit. Orat, ieiunat, eleemosynas effundit, vt ab hominibus laudetur, & audiat pius ac liberalis; Bonum certe facit, sed non bene, quia non in debitum finem. *Amat vere Deus Adverbia magis quam Nomina: Bene agere magis quam Bonum.* Reg. 5.

Finis semper optabilior est Medijs; Ratio est, quia media quatenus sunt media, expetuntur & amantur gratia finis; quare finis ipse magis expetitur & amatur. Nam quicquid facit tale, est magis tale: desideras pharmaca propter sanitatem, ergo magis sanitatem desideras, quam pharmaca: hoc est quod Arist. ait 2. Physic. ca. 3. *Finis optimum esse solet*, & lib. de Som. & Vig. *Finis habet rationem optimi*; nempe respectu mediorum ad eum finem. Hinc est quod si finem sine illis mediis assequi possimus, vana vere sunt, & superflua media quæ adhibemus omnia. Ex hoc Cineas, orator optimus, Pyrrho (Romanis bellum inferenti) ne id faciat suasit, in hunc modum, * Cum Romanos superaveris, quid tum agesi? Italia tum subiuganda, ait Pyrrhus. Quid Italia subiugata? Sicilia: quid post Siciliam? Carthago & Africa: quid post Africam? Græcia omnis & Macedonia? Quid vero post hæc omnia? Ad hoc Pyrrhus, *Tum*, inquit, *tranquille vivemus, & hilariter.* Ad hoc Cineas, *Quare vero non iam hoc ipsum agis?* quorsum id quod iam habes, tanto labore, sudore, & sanguine quæritur? Reg. 6. * *Plut. in vita Pyrrhi.*

Cessante fine cessat efficientis actio; quia ratio agendi sumitur a fine: vbi ergo vel finis nullus est, vel vbi finem quem desideramus adepti sumus, nulla ratio est amplius agendi; nulla itaque rationalis actio. Hoc tamen de *fine adæquato* intelligendum est; nam cum plures sint alicuius actionis fines, cessante vno, non necesse est efficientis actionem cessare: quare non sequitur, nihil ex hoc lucri comparari potest: ergo hoc non est suscipiendum: quia non lucri solum causa actiones suscipiuntur, sed honoris & virtutis amore, vt aliis benefacere possimus. Ipsa autem virtus, & honesta actio, sibi ipsi præmium est, etiam vbi lucrum nullum vel expetitur, vel expectatur. Reg. 7.

Hæc de Argumentis a Causa Finali ductis.

Cap. VI.

De tertio Loco Arguendi qui est a Causa Materiali, Itemque a Genere ad Speciem, & a Specie ad Individua.

Locus tertius est a *Materiali causa*, & quia Genus vel est re idem cum Materia (quomodo semper est in Substantiis) vel respondet proportione Materiæ (quomodo semper in Accidentibus,) ideo ad hunc locum spectant argumenta omnia *a Genere ad suas species dicta*: & quia eadem omnino est ratio arguendi, a Specie ad sua Individua, quæ est a Genere ad suas Species, ideo argumenta omnia a *Specie ad Individua*, ad hunc etiam eundem locum pertinent.

Argumentum a Causa Materiali vel a Genere, quid.

Quandocunque igitur Medium est materiè termini, vel materialis causa, sive proxima, sive remota; vel genus proximum, aut remotum; vel species relata ad sua individua, argumenta omnia istiusmodi recte dicuntur duci a Loco Materialis causæ. De materia primò dicamus.

Regulæ de Materia.

Regulæ de Materia sunt hæ. Prima, *Necesse est in materialibus causis pervenire ad aliquam materiam primam.* Quia nisi detur aliqua materia prima, progrediendum esset in infinitum. At illud esse impossibile in omni causarum genere ante probavimus in reg. quarta de Causa in genere. Atque hinc probatur, mundum hunc universum, in initio *ex nihilo constitutum a Deo*, atque creatum fuisse. Nam omnia præter Deum a Deo facta fuisse, (id est, a non esse ad esse producta) ante probatum est reg. secunda de Causa efficiente, ca. 4. Ipsam igitur primam materiam, quamcunque animo concipias, (etiamsi esset a Socrate centesima, millesima, imo millies millesima,) hanc inquam, quia prima est, & ex alia materia priori non fit, ex nihilo creatam esse certum est. Quod si obiicias illud Arist. lib. 1. Phys. ca. 8. *Ex nihilo nihil fit*: Responsio facilis est & vera: Certe enim de eis loquitur, quæ *fiunt per modum generationis*, & sic ex nihilo nihil fit. At *per modum creationis* ex nihilo aliquid fieri, nusquam negat Arist. & hoc modo mundum universum a Deo ex nihilo factum esse certum est.

Reg. 1.

Reg. 2.

Cuicunque negatur materia alicuius rei sive proxima, sive remota, eidem illud cuius est materia negari necesse est: ut, Spiritus carnem & ossa non habet, ergo non est corpus, quale ego sum. Nullum est elementum in Matrimonio cui verbum accedit, ergo matrimonium

non

non est proprie dictum Sacramentum. In propositione illa quæ mentalis vocatur, nullæ sunt voces, seu externa signa conceptuum, nulla igitur talis est propositio. Idem de Mixta propositione dicendum, quia in ea parte quæ mente reseruatur nullæ voces sunt; illa igitur pars, propositionis pars esse non potest.

Materia proprie in solis substantijs est: ratio est, quia *materia est & substantia*, lib. 2. de Anima, ca. 1. & pars essentialis substantiæ; at substantia nulla potest esse pars essentialis accidentis. Nullum igitur accidens proprie materiam habet. Materiam quidem *In qua*, omnia accidentia habent, quia insunt omnia in subiecto, & subiectum est eis *Materia in qua*: Materiam etiam *circa quam*, habent multa accidentia, vt visus pro obiecto habet colorem, auditus sonum, & vnaquæque virtus moralis obiectum aliquod habet. At *Materiam ex qua fiunt*, nulla omnino accidentia habent, & recte hoc asseruit Aquin. prima, secundæ, q. 55. art. 4. Recte ergo sequitur, Hoc habet materiam, ergo non est accidens, sed substantia. Reg. 3.

Regulæ de argumentis a Genere ad Speciem, vel a Specie ad Individua sunt istæ. *Regula de Genere ad Speciem.*

Cuicunque negatur Genus, eidem speciem, & cuicunque negatur species, Individuum negari necesse est; nam Genus est de essentia speciei, & Species Individui; at cui essentia vllius rei non convenit, illud non conuenire certum est, vt, hoc non est animal: ergo non est vel homo vel Brutum. Reg. 1.

Cuicunque attribuitur genus, eidem aliquam illius speciem attribui necesse est. Nam Genus extra species omnes esse non potest, seu vt ait Arist. 7. Metap. ca. 3. *Genus esse absque suis speciebus impossibile est. Quod* verum est, & intelligendum, de genere existente *in Individuo completo in specie*, vt, Hoc est elementum: ergo vel est Ignis, vel aer, vel aqua, vel terra. Dixi Individuum *completum in specie*: nam in quibusdam Individuis *quæ non sunt in specie adhuc completa*, Genus esse potest etsi nulla species eidem insit: Id quod in embryone in vtero animalis nondum plene formato perspicuum est; viuit embryo talis anima vegetante, & ideo est viuens, sed nec dum est vel animal vel planta, sed in potentia tamen, & quoad prævias dispositiones est animal. Procedente tempore accedit anima sensitiva, & tum est animal, nec tamen vel homo vel Brutum; tertio infunditur anima rationalis, & tum est homo, & individuum completum in specie. De tali igitur Individuo dum adhuc non *est in specie completum*, prædicatur Genus, puta primo viuens, tum animal, & tamen neque vlla viuentis species de illo prædicatur, Reg. 2.

tur, antequam accedit anima sensitiva, neque vila animalis species de illo prædicatur antequam accedit anima rationalis. Etenim has tres animas non simul, sed *successive & tempore aliquo interiecto advenire corpori*, tum experientiâ notum est, tum etiam Arist. diserte id asserit lib. 2. de gen. animal. cap. 3. Augustinus etiam lib. Quæst. in Exod. quæst. 80. in eadem mente fuit: ubi legit textum illum Exod. 21. vers. 22. (longe aliter quam vel in Hebræo, vel in vulgata latina, vel in nostris versionibus habetur) in hunc modum. *Si litigabunt viri duo, & percusserit quis mulierem in vtero habentem, & exierit infans eius nondum formatus, &c. Si autem formatum fuerit, dabit animam pro anima*: In quæ verba Augustinus observat, *puerperium nondum formatum ad homicidium non pertinere iuxta Dei legem*, ideoque nec hominem deputari. Quia licet sit *informiter* (vt ille loquitur) *animatum*, id est, prædictum anima vegetativa, tamen non adhuc habet sensum, ideoque nec sensitivam animam, & multo minus rationalem. Is igitur has animas successive, & prout embryo magis magisque in vtero perficitur & formatur, advenire sensit. De talibus autem individuis *nondum in specie completis*, Genus prædicari potest, licet nulla ipsius species prædicetur.

Reg. 3. *Genus de nulla differentia dici potest*, quia tum differentia vere esset species generis, non autem differentia; & hoc expresse tradit Arist. lib. 6. Top. ca. 6. nn. 12. Ex quo certissime concluditur, *Ens nullum Genus esse posse*: quia quæcunque differentia Entis sumatur, de ea Ens dicitur: quod idem de *Ente Finito*, de *Accidente*, de *Substantia*, vt sumitur pro eo quod non inhæret alicui, & aliis multis dici potest; vt alibi a nobis sæpe est observatum.

CAP. VII.

De quarto Loco arguendi a Forma & Differentia, itemque a Definitione, Descriptione, & Notatione nominis.

QVartus Locus arguendi est a *Forma*, & ea quæ *Forma* respondet Differentia; ad quem locum spectant etiam argumenta a *Definitione* aut *Descriptione*, itemque a *Notatione Nominis*. Nam eadem est omnino ratio arguendi ab istis omnibus, quæ est a Forma.

Forma. Argumentum autem *tum ducitur a Forma, a Differentia, a Definitione, Descriptione aut Notatione, quando Medius terminus est* Argumentum a Forma, quid, *vel Forma, vel Differentia, vel Definitio, vel Descriptio, vel Notatio Maioris extremi.* Axiomata de his sunt ista.

Cuicunque convenit vel Forma proxima, vel Differentia proxima, vel definitio, vel descriptio vllius rei, eidem convenit illud ipsum cuius ea est vel Forma, vel Differentia, vel Definitio, vel Descriptio: ratio est, quia *Forma dat Nomen & Esse*, vel vt Arist loquitur lib. 2. Phys c. 3. (vnde vulgare hoc dictum hausum est) *Forma est ratio quiddatatis*: imo *ipsa Ratio*, 1. Phys ca. 7. Ipsa enim Forma, (& reliqua omnia quæ addidi, Differentia nempe, Definitio, Descriptio) ita propria sunt, & ei soli cuius sunt, conveniunt, vt cuicunque vllum eorum convenit, rem illam cuius sunt, eadem convenire necesse sit: vt, hoc habet corporeitatem, ergo est Corpus. Hoc est viuens sensibile, ergo est animal; hoc est vniuersale quod prædicatur de Differentibus specie in quid; ergo est Genus. *Homo*, est vox declinabilis, significatiua sine vlla temporis aut personæ differentia, ergo est Nomen apud Grammaticos: Hoc est Signum externum factum a Deo institutum, cum certa verborum forma ad gratiam iustificantem conferendam ei qui cum fide sincera signum recipit, ergo hoc est Sacramentum. Regula de Forma. Reg. 1.

Cuicunque non convenit Forma vllius rei aut Differentia, aut Definitio, aut Descriptio, eidem res illa non convenit nec tribuenda est. Angelus non est rationalis per phantasmata recepta a sensibus, ergo non est homo. Reg. 2.

Cuicunque forma, aut differentia proxima, aut definitio, aut descriptio, vllius rei convenit, eidem propria omnia accidentia, seu omnes proprietates consequentes illam formam aut differentiam, convenire necesse est. Nam cum forma, vel differentia sint causæ per emanationem omnium talium accidentium, necesse est cui ipsa conveniunt, eidem omnia inde necessario fluentia convenire. Hoc habet animam sensitivam, ergo habet & sensum, & appetitum, & amorem, & odium, & similia. Reg. 3.

Quibuscunque diversa Forma, Differentia, Definitiones aut Descriptiones conveniunt, illa non solum realiter, atque essentialiter distinguuntur inter se, sed diversas etiam proprietates seu diversa accidentia propria habent; Ratio est, quia cum Forma seu differentia sit essentia rei, & fons vnde accidentia propria fluunt, necesse est vt diversitas formarum, faciat res non solum diversas & realiter distinctas, sed etiam proprietatibus omnibus quæ illas insequuntur realiter differre: vnde certo sequitur, Relatum omne secundum esse habet diversam differentiam & Definitionem a qualitate; ergo nihil quod est relatum secundum esse, potest re idem esse cum qualitate, ideoque nihil quod est qualitas, vel in prædicamento Qualitatis, potest esse Reg. 4.

Relatum secundum esse, aut in prædicamento Relationis.

Cur Notatio Nominis huc referatur.

Tria vltertius hic obseruanda sunt. Primum hoc est, *quod non sint causa Argumenta a Notatione Nominis ducta, huc referam*: Quid enim est *Notatio*, nisi rei notatæ descriptio? quare si vera alicui rei nominis notatio tribuatur, erit illa vera illius rei descriptio; & eius vel essentiam, vel proprietates (quibus essentiæ loco vtimur) explicabit. Quare non est necesse alium locum arguendi *A notatione nominis* statuere, cum ad hunc ipsum commodissime referri & possit & debeat. Libet tamen duas regulas de *Notatione Nominis* hic adnotare, quo facilius quando validum inde argumentum ducatur intelligi possit.

Regula de Notatione, Reg. 1.

Cui vera & genuina vllius nominis Notatio conuenit, eidem etiam & res quæ per illud nomen recte ac vere notatur, conuenire debet. Nam vera Notatio vt ante dixi est *vera descriptio rei*, & quare res illa sic appelletur aut appellanda sit, vere indicat. Quin & *nomen* ipsum teste Isiodoro lib. 1. Orig. ca. 6. dicitur quasi *Notamen*, quia *rem notat*, id est *notam facit, nisi enim nomen scias, cognitio rerum perit.* Talia sunt ea omnia *Nomina*, quæ vel Deus, vel Adamus in Hebræo Idiomate, vel alij viri sapientes, in alijs linguis, rebus imposuerunt. Deus hominem (id est genus totum humanum) vocauit Adam, quia ex terra conditus est, inspirata nimirum corpori ex terra formato, anima rationali: Quare recte concludas, hic ex limo seu terra sic conditus est, ergo vere est Adam, & Adam appellandus. Sic Adamus *mulierem* (id est fœmineum omne genus humanum) ex illius costa formatam vocauit Hebraice *Isha* ab *Ish*, quomodo tu latine recte & significanter dicas *viram*, quia a *viro desumpta fuit*. Et certe hoc ipsum *virae* nomen, hoc eodem sensu olim in vsu fuit, *Fœminas antiqui viras appellabant*, ait Pomp. Festus in voce, Querquetulanæ; multo certe rectius *viram* dixeris, quam cum veteri vulgato interprete *viraginem*, quæ vox non *sexum* notat, sed *fortitudinem*, cum mulier virum agit, & virilia facit, qualis Aglauros Metamor. 2. *bello metuenda virago*.

Reg. 2.

Cui vera & germana Notatio nominis non conuenit, eidem nec nomen illud recte tribuendum est, nec res illo nomine vere notata conuenit: vt hic non vere & sincere profitetur Christum: ergo vere non est Christianus. Itidem Ecclesia quæ Babylone est, non profitetur eam fidem quæ vere *Catholica* est; non eam quam ecclesia Catholica Apostolorum tempore; non eam quam 600. post Apostolos annis ecclesia tota tenuit; sed nec eam omni ex parte, quam in Constantiensi Concilio, (id est ducentis ab hinc annis) ecclesia tenuit (nam in eo *Pontificem Concilio subesse, quod nunc iuxta Lateranense Concilium hæresis est*, decretum est, sess. 4.) ergo Babilonica illa, non recte *Catholica* ecclesia appellatur, aut appellari debet. Rectissime vero iuxta priorem regulam, ita arguas, Illi qui se pro catholicis

Sub Leone 10. sess. 11.

catholicis venditant, fidem suam omnem Papæ superstruunt. Papa illis pro fidei fundamento est; nota Gregorij Valentiani [a] vox: *Proponere & explicare quæ credenda sunt, ad Papam spectat; in quo, summa fidei Catholicæ ita posita est, vt nemo Catholicus esse possit, qui illam non amplectatur, nemo hæreticus qui eam non neget.* Rectissimo igitur ac verissimo nomine, vt Cassander * notat, papistæ vocantur, quia *Pontificem Rom. quem Papam dicimus* (verba cito Geor. Cassandri) *tantum non deum faciunt*, neque plus, neque minus quam papa præcipit credunt aut credere tenentur. Sed de hoc fusius egi in tractatu meo de quinto Concilio generali, qui lucem adhuc conspicere non potest. Summa est, si *vera & genuina Notatio vllius rei* adhibeatur, certe nulli potest illa recte tribui, nisi cui & nomen vere sic notatum quadrat, & res ipso illo nomine significata. Sin *falsum etymon aut notationem nominis* adhibeas, poterit & res ipsa & nomen, cuius est illud Etymon, convenire alicui, cui tamen Notatio talis falsa, non convenit.

[a] *In 2ã, 2æ. disp. 1. q. 1. punct. 1. pa. 20.*

* *Cassand. lib. de offic. viri pij*

Secundum quod observandum dixi, est hoc, *quod multa argumenta quæ a relatis, ab adversis, itemque a Coniugatis vulgo duci dicuntur, vere ac reipsa ad hunc locum a Definitione aut Descriptione spectant*: vt, hic habet filium, ergo est pater: hoc est adversum albo, ergo est nigrum; Aristides iuste facit, ergo est iustus: & similia omnia. Nam reuera in his, similibusque omnibus, *Medium est Definitio nominalis, seu Descriptio maioris extremi.* Quid enim est Pater, nisi habens filium? quid nigrum, nisi quod est albo aduersum? quid iustus, nisi qui iuste agit? Exprime iam has maiores propositiones, *Quicunque habet filium, est pater, quicquid est aduersum albo est nigrum, quicunque agit iuste est iustus*, & tum liquidum est *Medium* esse descriptionem aut nominalem definitionem *maioris extremi.* Quare iuxta *Regulam* nostram *Fundamentalem*, Argumenta hæc & similia omnia a loco definitionis, seu descriptionis vere ducuntur. Quod si a Relatis, Contrariis, aut Coniugatis ducerentur, *Medium* esset *Relatum, Contrarium*, aut *coniugatum maioris termini.* Quamuis autem filius, sit correlatum patris, & album, aduersum nigro, & iuste, coniugatum iusti: tamen habere filium, non est relatum patris, sed descriptio; & esse aduersum albo, non est contrarium nigro, sed illius descriptio; & iuste facere non est coniugatum iusti, sed eius descriptio. Quare etsi hæc & similia vulgo vocentur argumenta a Relatis, Aduersis, & Coniugatis, & dicere ea a Definitione aut descriptione duci, paradoxon forte videatur, vulgi tamen error in hoc omnino corrigendus est: & illa omnia ad hunc Definitionis seu descriptionis *Locum* vere referenda sunt.

Argumenta nulla quæ a Relatis, aut Coniugatis putantur duci ad hunc locum spectant.

Tertium quod proposui est ostendere, *maximum esse, & maxime necessarium huius loci vsum in omnibus disciplinis.* Nisi enim rerum

vsus huius loci quantus sit.

essentias veras, & genuinas tum differentias, tum definitiones seu descriptiones habeamus, nihil recte ac solide vel doceri vnquam, vel dici potest. Nam si quis in vlla scientia, falsas rerum differentias, definitiones aut descriptiones, pro veris accipiat, & amplectatur; ruit ille præceps in Barathrum errorum, e quibus extricari ipsum impossibile est. Hoc vno aut altero exemplo faciam manifestum, vtrumque autem tale est, vt ab iis qui Catholicos se vocari volunt, talia vel dicta esse vel defensitata, vel in Oecumenicis suis Conciliis definita, valde doleam; vtinam & ipsos pœniteret, tam fœdos & periculosos errores, vel ante hæc definiuisse, vel adhuc defensitare.

Exemplum primum.

Prius exemplum est hoc. Inter alia quæ in Sacramenti definitione poni volunt, vnum hoc est vt *minister Sacramenti habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia.* Definit hoc Conc. Florentinum in Decreto Eugenii 4. sect. Quinto, vbi (recensitis septem illis quæ singula, *Sacramenta vere ac proprie dicta* esse, tum illud ipsum [a] Concilium, tum post illud, Conc. Trid. sess. 7 can. 1. definit, Baptismo nempe, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctione, Ordine, atque Matrimonio) ita statuitur. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur: videlicet rebus tanquam Materia, verbis tanquam Forma, & persona Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit non perficitur Sacramentum.* Et idem sensit Conc. Trid. Sess. 7 Can. 11. *Si quis dixerit in ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, Anathema sit.* Requirit illud autem hoc Concilium, eodem plane modo quo requiri statuerat prius Conc. Florentinum, sic nempe vt si desit Intentio, nullum conficiatur Sacramentum. Eadem plane mens est Romanensium ad vnum omnium: *Sententia Catholicorum* (inquit Bellar. lib. 1. de Sacr. in gen. ca. 27. [b]) *est requiri intentionem faciendi quod facit ecclesia,* & ibid. sect. Vltimo. *Notandum in hac tota doctrina, mirifice convenire Doctores Catholicos, vno Catharino excepto.*

[a] *Indecr. Eug.*

[b] *Sess. Quantum ad secundum.*

Vide nunc quæ, quantaque ex ista Intentionis Necessitate incommoda sequantur. Sicut si non adsit ista in Ministro Intentio, nullum Sacramentum conficitur, ita si quis non *certo sciat* adesse Ministro istam intentionem, Sacramentum vllum confici nunquam certus est, aut esse potest. At nemo omnium mortalium, qui vllum Sacramentum recipiunt, *certo scit* Ministrum intendere, aut intendisse, vel actualiter, vel habitualiter, vel virtualiter, facere id quod facit ecclesia. Solus enim Deus καρδιογνώστης, rerum & cogitationum ille solus scrutator: illi soli mens & intentio mentis perula. Conjicere quidem alij possunt, suspicari, & bene sperare de ministri intentione,

tentione; id est, *coniecturaliter* putare aut opinari possunt, *certo* autem aut *indubitato scire*, nemo potest, nemo, inquam, omnium præter vnum ministrum. *Quis enim nouit Spiritum* (id est Cor & mentem) *hominis, nisi Spiritus hominis qui est in eo?* 1. Cor. 2. 11, Nullus igitur in Romana ecclesia, vel seipsum, vel vllos alios certo scit esse *baptizatos*; nullus scit, quis in illa ecclesia vel *Diaconus*, vel *presbyter*, vel *Episcopus* sit: nullus vnquam scit, aut scire potest panem in Missa *transubstantiatum* esse & mutatum in Corpus domini: nec vnquam se a peccatis *absolutum*, nec vel se vel quenquam inter eos *Coniugatum* esse.

Illi ipsi qui inter eos athletæ sunt, hæc quæ dico omnia ex ista Intentione Ministri, quam necessario requirunt, certissime sequi et vident & agnoscunt. De Baptismo audi Dominicum Sotum (c)? *Quod nullus vel infans, vel adultus habeat fidem, se esse baptizatum, firmiorem quam quæ est moralis, euidentissimum est, quia illis non certissime constat baptizantis intentio.* De Ordinis Sacramento audi Bellarminum. *Si inquit in Episcopis consideretur potestas ordinis & Iurisdictionis, non habemus certitudinem nisi moralem*, (quæ vt ipse (e) docet infallibilis non est) *quod illi sunt veri episcopi*: & ratio est, *quia id pendet ab intentione ordinantis*: de Sacerdotibus inferioribus, & Diaconis par omnino est ratio. De Pœnitentia audi Andream Vegam (f), *manifestum est nemini posse constare quod receperit Sacramentum Pœnitentiæ. Nam perspicuum est tantum nos posse probabiliter nosse sacerdotem intendisse absoluere, & intentionem ministri necessariam esse ad veram absolutionem, semper tota ecclesia tenuit.*

De reliquis Sacramentis idem ostendi posset. Sed quid opus? de omnibus agnoscit Bellarminus (g). *Nemo potest esse certus certitudine fidei* (id est infallibili certitudine cui falsum subesse non potest) *se percipere verum Sacramentum; cum Sacramentum sine intentione ministri non conficiatur, & intentionem alterius nemo videre potest.* Idem docet Andre. Vega (h). *Nemini potest per fidem constare, se recepisse vel minimum sacramentum; Estque hoc ita certum ex fide, ac clarum, ac nos viuere. Nemini siquidem potest constare, aliquando concurrere quæ semper necessaria sunt ad ministrationem cuiusque Sacramenti. Nulla quippe est via citra reuelationem, qua nosse possumus, intentionem ministrantis vel euidenter, vel certo ex fide*: sic ille. Cernis nunc luce clarius ex ista Sacramenti definitione, quam ponunt, nemini inter ipsos constare vnquam, aut vero constare posse (sine speciali reuelatione) vllum ab eis Sacramentum vnquam vel perceptum esse vel confectum.

At fortasse nihil periculi est, si non constet. Nihil periculi? nihil certe nisi periculum læthale atque exitiosum. Nescis te vel alios baptizatos esse? nescis igitur vel te vel alios in ecclesiam intrasse, aut esse membra ecclesiæ. (Nam baptismo hæc fiunt, vt docet:

(c) *Apol contra Ambr. Cathar. cap. 5.*
(d) *Lib. de Eccles. milit. cap. 10. sect. Ad secundum, & sect. Secundo.*
(e) *Lib. 2. de Iustif. c. 2. sect. Certitudo obscura.*
(f) *Lib. 9. cap. 15.*
(g) *Lib. 3. de Iustif. c. 8. sect. Dicent.*
(h) *Lib. 9. cap. 17*

cet Conc. Florentinum (i), & quia extra ecclesiam nemo seruatur, vt docet Conc. Lateranense (k), quærenda tibi Ecclesia alibi est, quia apud eos eam esse scire nunquam poteris. Nescis qui apud illos Episcopi sunt aut sacerdotes? Nescis igitur cui debeas vt præposito obtemperare, quem vt pastorem sequi: nescis vlla apud eos Concilia generalia esse, aut fuisse vnquam: nescis vtrum vllus ex ijs omnibus qui Florentino, Lateranensi, & Tridentino Conciliis interfuerant, fuerit vel episcopus, vel simplex sacerdos; vtrum non omnes fuerunt Laici, & præter Laicos illic nemo. Nescis an Eugenius quartus qui Florentinum, an Leo decimus qui Lateranense, an Pius 4. qui Tridentinum confirmauit Concilium, fuerit Pontifex, & in Episcopatu Romano successerit Petro, & claues Petri gestarit: imo an fuerint vel omnino sacerdotes, an mera laici homines, nullo Ordinum Charactere insigniti. Et quia ecclesiæ totius fides Petræ illi innititur, quæ Petro succedit, cum nescis hos & horum successores, pontifices fuisse, & Petri successores, nescis vtrum fides tua Petræ innitatur, an arenæ; nescis an Petra nunc dierum vlla sit, cui inniti possis. Nescis igitur te quidquam vere credere, ideoque certo scis te non vere credere: nam vbi fides, ibi indubitata firmitas: vbi dubitatio de ipso fidei Fundamento & Petra, ibi fides omnino nulla. Nescis te aut vllum inter eos Sacramentum Matrimonij suscepisse: nescis igitur an in mortali peccato vitam transigas, nescis an liberi tui legitimi sint: an legitime hæreditatem adire possint. Et quia nescis, & quis sacerdos sit, & an vnquam sacramentum absolutionis vel conficiatur, vel tibi conferatur, nescis ad quem confugias, vt a tot mortalibus peccatis quibus quotidie miser implicaris, liberari possis ac absolui. Nescis Sacerdotem Sacramentum Eucharistiæ confecisse, aut panem transubstantiatum esse; nescis igitur an id, panis adhuc vere sit, quod *Latria*, id est, cultu deo soli debito colis: nescis an tu ipse & alii omnes qui istam Latriam exhibent Idololatræ sitis: imo scire potes tales esse, quia cultum deo soli debitum dare illi, quod an Deus sit ignoras, Idololatria est; cum id colis vt Deum, quem Deum esse nec scis, nec scire potes.

(i) *In Decr. Eugen. scil. Primum.*

(k) *Conc. Lat. 4. cap. 1.*

Videsne nunc quantæ hic salebræ sunt? quam vacillent & fluctuent apud eos omnia? quam tenui filo suspensa sint? An in ipsa credis antiqua Academia, maior hæsitantia, dubitatio & incertitudo, quam nunc Babylone? Sed cui fini credis tot, tamque inextricabiles dubitationum scrupulos, ingerunt mentibus hominum? Negant vt scis hominem certum esse debere, se esse in gratia, aut iustificatum, aut seruandum. Audi verba Bellar. lib. 1. de Sacr. in gen. cap. 28. *Non debet* (obserua non debet) *homo in hoc mundo quærere certitudinem infallibilem de sua salute, vel iustificatione.* Quidni verò debere negent? frustra enim est id quærere, cum salus omnis, iustificatio, & gratia, a Sacramentis; Sacramenta omnia

ab *Intentione ministri* pendeant. De Ministri autem Intentione certus esse nisi καρδιογνώστης esse vis, nunquam potes. Ita in hac *Ministri intentione*, fulcrum velut in profunda abysso abdunt, quo sustentetur illud de incertitudine Gratiæ dogma, quod Tridentinis patribus instar Helenæ est. Sed non sunt in isto omnia. Vide obsecro, an non in rem Sacerdotum sit & commodum. Quis non veneretur pontificum pedes? imo sacerdotum omnium, quantumuis viles illi sint & despicati? Si illi stomachum forte facias, aut bilem moueas, non intendet facere quod facit ecclesia, cum filij tibi baptizandi sunt; ita filios tuos in gehennam præcipitabit, & delicta maiorum immeritus luet infans. Cum tu ipse absoluendus a peccatis ad eum accedis, non intendet facere quod facit ecclesia, & quia *sine sacerdotali absolutione* (l) *nulla remissio*; sine remissione nulla spes salutis, sed certum exitium; ecce nunc, tu homo infœlix, quia sacerdoti non eras satis morigerus & obsequens, lues æternùm tam grande facinus: is te catenis adamantinis non Caucaso sed Tartaro alligabit; Potestatem ille habet, te soluendi, simul & ligandi: et si *non vult intendere*, ligabit. Caue igitur ne Crabrones tales irrites; proijce te simul, tuaque omnia ad pedes illorum: facito illos tibi amicos ex mammona, & aperient tibi æterna habitacula: quos si inimicos forte habes, ferro & compagibus arctis claudentur cœli portæ: Tuque centum vinctus ahenis post tergum nodis, fremes horridus ore cruento. Et quoniam sacerdos in Sacramento Matrimonij minister est, vt Episcopus Canus (m) acerrime contendit, vtque (si Cano fides) testantur non solum Thom. Aquinas, Guil. Parisiensis, Petrus Paludanus, Clemens, Calixtus, Cyriacus, Nicholaus Hormisda, Euaristus, Ambrosius, & Isiodorus, sed & Concilia aliquot, Carthaginense, Constantiense, Lugdunense, Lateranense, & Florentinum: intelligis, opinor, quantum tibi hinc a toro & thalamo Coniugali merito metuendum sit, si Sacerdos non intendat: & nisi tu illi ad nutum sis & morem geras, vltro ille & deditâ opera intendet aliud facere, quam quod facit ecclesia. Sed & adhuc periculum tibi aliud ab ista Intentione. Cum ad Missam consecraturus hostiam accedit sacrificus, quid si intentio illi desit; quid si ille, aut tibi aut populo infensus, intendat non consecrare? sed & te & qui adsunt vniuersos sic ludificare, vt panem iam (quia intentio deerat) non transubstantiatum colatis pro Deo: atque ita Idololatras strenue agatis? Feceras tu scilicet, aut alius e plebe ei non leuem iniuriam; non feret ille tam indignum facinus; nec vos sane impune feretis. Mors tua, & vita, in manu illius; si illum honorifice habuisses, intendisset, transubstantiasset, & vitam tibi porrexisset; quia male abs te habitus est, noluit intendere, ideoque non transubstantiauit, vt tu & reliqui (qui Latriam quoties ipse vult triticeæ Colliridi exhibetis,) sentiatis quam vere dictum

(l) *Nemo in cœlum ingredi potest, nisi sacerdotum ministerio aperiatur. Bell. lib. 3. de Pœnit. cap. 2. sect. Quare cum.*

(m) *Lib. 8. Loco Theolog. cap. 5.*

dictum sit, *Idolatriis, & omnibus mendacibus portio assignata est in stagno, vbi ardet ignis & sulphur.*

Exemplum sextum.

Exemplum alterum est hoc. Offerri in Missa *verum & proprium* Sacrificium, decreuit Conc. Tridentinum (n). Sacrificium illud esse Christum Iesum, tum ipsum illud Concilium (o), tum Catechismus Tridentinus (p), tum Bellar. (q), aliique declarant. An hoc ita sit ex definitione *veri & proprie dicti Sacrificij* indicandum est. Eam tradit Bellar. lib. 1. de Missa cap. 2. sect. His. Vna definitionis pars est hæc, quod res quæ offertur in Sacrificium *transmutetur*. Quid vero per *Transmutari* significetur, explicat Bellar. his verbis cap. eod. sect. Octauo. *Dicimus*, inquit, Transmutetur, *quia ad verum Sacrificium requiritur vt id quod offertur Deo in Sacrificium, plane destruatur, id est ita mutetur, vt desinat esse id quod ante erat*: & paulo post, *Sacrificium est summa protestatio subiectionis nostræ ad Deum, & summus cultus externus qui exhiberi possit. Summa autem protestatio requirit, vt non solum vsus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia, & ideo vt non solum vsus, sed substantia consumatur.* et cap. eod. sect. Sed omnia: *Sacrificium præter oblationem, requirit mutationem, & consumptionem rei quæ offertur*: Qualis vera illa *consumptio* esse debeat, indicat sect. Secundo probatur, *Omnia*, inquit, *omnino quæ in scriptura dicuntur sacrificia, necessario destruenda erant: si viuentia, per occisionem: si inanima solida, vt simila, sal & thus, per Combustionem; si liquida, vt sanguis, vinum & aqua per effusionem.* Iam cum hoc sit in essentia et definitione sacrificij proprie dicti, satis, vt opinor, liquido hinc confirmatur argumento a Definitione ducto, quod Christus in Missa *vere ac proprie* non sacrificetur. Quia tum oporteret Christum sic *transmutari* vt *consumatur*, vt *occidatur* (quia is est sacrificium viuens) vtque ita *penitus destruatur*, vt *desinat esse id quod erat*. Hoc quia in Missa non fit, ideo Sacrificium *verum ac proprie dictum* in Missa esse non potest. Sed malim ego rationem hanc, Bellarmini ipsius verbis exprimere. Is lib. eodem cap. 27. sect. Alii volunt & seq. triplici ratione refutat sententiam eorum qui putant missifici huius sacrificij essentiam in Consecratione consistere: eius tertia ratio est hæc, totidem verbis. *Denique vel in Missa, fit vera & realis Christi mactatio & occisio, vel non fit; Si non fit, non est verum & reale Sacrificium, Missa; sacrificium enim verum & reale, veram & realem occisionem exigit; quando in occisione ponitur essentia sacrificij. Si autem fit; ergo verum erit dicere, a Sacerdotibus Christianis vere, & realiter Christum occidi; at hoc sacrilegium, non sacrificium esse videtur.* Sic ille, Rogo nunc amatores et cultores Missæ, velint vel agnoscere, in Missa non esse *verum ac proprium* sacrificium, si Christus vere ac realiter non occidatur; vel, si sic reipsa occiditur, velint tum sacrificos vt deicidas et sacrilegos auersari. Scio, me Theologum non legent, legant vel logicum;

legant

(n) Sess 22. can. 1.
(o) Ibid. cap. 1.
(p) Part. 2. cap. 4. qu. 60.
(q) Lib. 1. de Missa cap. 5. sect. E contrario.

legant vel hoc vnicum ex tota Logica Caput. Sed de Argumentis a Causa Formali satis multa.

Cap. VIII.

De quinto Loco arguendi qui est ab Effectu, itemque a Specie ad Genus, ab Individuis ad Speciem; et a Definito, Descripto, aut Notatione declarato, ad definitionem, descriptionem aut Notationem.

QVintus Locus arguendi est ab *Effectu*. Argumentum autem ab Effectu ducitur, *quandocunque Medium est Effectus, & Maior terminus est Causa, vel Efficiens, vel Materialis, vel Finalis*. Nam (vt in lib. de Demonstrat. cap. vlt. ostendit) a finali causa ad illius effectum, (qui semper est actio efficientis) nullum argumentum duci potest, quod non est a Causa: & quia dignius nomen ei tribuendum est, ideo non ab Effectu sed a causa duci dicendum est. Tot autem argumenta ab Effectu ad Causam ducuntur, quot a Causa quauis ad effecta duci possunt. Nam sicut a Causa probatur Effectum alicui conuenire, itidem ab Effectu Causam probatur alicui conuenire. Quare cum argumenta a Causa ad effectum (Cuiuscunque generis Causæ sint) antea declarata sint, ex eo, quomodo argumenta ab Effectu duci debeant facilius intelligi potest: vt non sit necesse in singulis immorari, vel exempla dare. Axiomata igitur huius loci pauca proposuisse satis erit: reliqua ex Causis dijudicari possunt. *Argumentum ab Effectu quid.*

Omne Effectum posterius est naturâ, Causâ omni cuius est effectum. Reg. 1. Liquet ex Reg. 1. de Causa in genere. *Natura* quidem semper, aliquando etiam, sed non semper *tempore* posterior est sua causa. Nam risibile est simul tempore cum rationali; & omnia omnino propria, cum illis causis efficientibus a quibus emanant.

Omne Effectum est ignobilius suo efficiente. Nam Efficiens omne Reg. 2. cum efficit, actu est, & in actum producit. Effectum autem omne cum fit, tum primum producitur, nec ante est actu, sed solum potentiâ; & Efficiens est agens, effectum quasi quoddam patiens:

Actus autem est præstantior potentia, vt ait Arist. 9. Metap. cap. 10. Et agens qua agens, est præstantius patiente; vt ex Arist. docet & vere Aquin. part. 1. quæst. 79. art. 2.

Reg. 3. *Cuicunque effectui necessario vllius efficientis Causa inest, aut convenit, eidem Causam illam efficientem inesse & convenire necesse est; & contra, cui talis effectus non convenit, neque causa efficiens illius effectus convenit.* Vt Homo est risibilis, ergo est rationalis. Luna eclipsatur, ergo aliquod corpus opacum interponitur inter ipsam & solem.

Reg. 4. *Posito Effectu in actu, non necesse est Causam Efficientem illius in actu iam poni, sed vel iam esse, vel aliquando fuisse Causam illius efficientem, certissime sequitur*: quare non valet, Ædificium iam est actu, ergo Ædificator est iam actu; sed bene sequitur, ergo fuit aliquando actu ædificator. Etsi autem Efficientem causam *producentem* illud effectum, actu poni non sit necesse; tamen quandiu effectum est, necesse est poni efficientem causam *conservantem* illud Effectum, in actu. Nam vt sine *producente causa*, non poterat effectum vnquam produci, ita neque sine *Conservante causa* existere, aut conseruari potest.

Reg. 5. *Cuicunque effectus aliquis materialis vllius Causa, inest, aut convenit, eidem materialem causam illius effectus inesse aut convenire necesse est*; sed non contra recte dicere potes, Cui effectus non inest, materialis causa illius effectus non inest: Quare recte sequitur, hoc est Corpus, ergo est materiatum, sed non e contra sequitur, hoc non est Corpus, ergo non est materiatum: nam etiam Spiritus materiati sunt, non tamen Corpora.

Reg. 6. *Cuicunque Effectus alicuius formalis causa proxima inest, aut convenit, eidem Causam illam formalem proximam inesse aut convenire necesse est*; & contra, *cui talis effectus non inest, neque causa illius effectus inest.* Hoc est viuens, ergo habet animam vegetantem; hoc non est Corpus, ergo non habet Corporeitatem.

Argumenta à Specie ad Genus huc spectant. Species primo ad hunc locum argumenta omnia *a Speciе ad Genus*, & ab *Individuis ad Speciem*. Quia cum Genus omne sit vel vere, vel proportionaliter Materia, respectu specierum; itemque species respectu individuorum, certe Species erit, quasi effectum in genere, Causæ materiales, respectu generis, & similiter Individua respectu specierum. De his Regulæ duæ sunt.

Reg. 1. *Cuicunque inest aut convenit Species, eidem inest aut convenit ipsius genus*, vt, hoc est homo, ergo est animal, hoc est habitus, ergo est qualitas.

Reg. 2. *Quodcunque accidens reale inest aut convenit Individuo, Idem gratia individui & secundario, convenit & inest Speciei.* Itidem, *quodcunque accidens inest Speciei, illud gratia illius & secundario inest Generi.* Vt Socrates est doctus, ergo homo est doctus; homo est bipes, ergo animal

animal est bipes. Insunt quidem ista accidentia; sed nec necessario nec vniuersaliter insunt vel speciei, vel generi.

Spectant huc secundo *Argumenta omnia a Specie ad suam differentiam*: quia cum Differentia sit instar formæ, speciem esse effectum illius necesse est. Regulæ de ea sunt, duæ

Argumenta a Specie ad Differentiam huc spectant.

Cuicunque Species inest aut conuenit, eidem differentia omnis tam proxima quam remota illius speciei inest & conuenit. Vt, hoc est homo, ergo est rationalis, & sensibilis, & vegetativum, & Corporeum. Reg. 1.

Cuicunque Species non inest, aut non conuenit, eidem proxima illius differentia non inest. Hoc non est animal, ergo non est sentibile; Angelus non est Corpus, ergo non est Corporeus. Reg. 2.

Huc tertio spectant argumenta omnia *a Definito ad definitionem, seu descriptionem.* De hac Regulæ sunt istæ.

Argumenta a Definito ad Definitionem huc spectant.

Cuicunque definitum conuenit, eidem definitio illius aut descriptio conuenit: vt, hoc est animal, ergo est viuens sensibile; hoc est Individuum, ergo est Ens quod de vno tantum, idque identice prædicatur. Reg. 1.

Cuicunque non conuenit definitum, eidem Definitio aut descriptio non conuenit. Vt, hoc non est Spiritus, ergo non est Substantia incorporea: hoc non est Genus, ergo non prædicatur de differentibus specie in quid. Reg. 2.

Postremo, huc spectant argumenta *a re notata ad notationem Nominis*: Nam quia Notatio, seu verum Etymon vllius, vere descriptio est vt ante monui, ideo a Nomine ipso, ficut a descripto, ad Notationem illius nominis, ficut ad rei descriptionem arguendum est. De hac Regulæ duæ sunt.

Argumenta a Nomine ad Notationem nominis huc spectant.

Cuicunque nomen vllum, vere ac proprie tribuitur, eidem Notatio vera & genuina illius nominis conuenit: Vt Deus rectissime ac verissime nominatur *Iehoua*, igitur is est verissime Ens quid ex se, & per se est, a quo omnia esse habent, quodque ab æterno fuit, in æternum erit, & æternum immutabiliter est: Hæc enim est genuina vocis illius *Iehoua* Notatio; nam constat ex præterito *Haiah* quod est fuit: ex participio *Houeh*, quod est Ens: & ex futuro *Ehieh*, quod est erit; vnde Apoc. 1. 4. Etymon illius vocis explicatur in hunc modum, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, qui est, qui erat, & qui erit. Sic quia Christus vocatur verissime *Iesus*, ergo verissime & κατ' ἐξοχὴν ille Saluator est, *qui saluum facit populum suum a peccatis*. Sic Baptista, Angelo iubente, vocatur *Iohannes*, ergo vere gratiosus apud Deum erat, & ex Dei gratia parentibus donatus. Sic Abram, deo iubente, vocatur, *Abraham*, ergo vere ille futurus erat pater multarum gentium, etiamsi tum prolem nullam habuerat. Reg. 1.

Si Nomen alicui rei imponatur, vel falso (vt sæpe) vel (vt plerumque) casu, non consilio; aut consilio quidem, sed non ab eo qui dare aut præ-

Reg. 2.

fieri potest id quod notatur eo nomine; aut si vera & genuina notatio illius nominis non adhibeatur, tum argumenta a Nomine ad Notationem ducta invalida sunt. Vnde non sequitur, Hic vocatur Catholicus, ergo Catholicam fidem profitetur. Nam quam multi falso sibi Catholicorum nomen vendicant, eoque nomine sæpe illi appellantur, qui fidem Catholicam neruis omnibus oppugnant. Cuius rei illustrissimum exemplum habemus, in Conciliabulo Nestorianorum habito Ephesi in diuersorio, eodem tempore quo sacrum Ephesinum Concilium in templo habitum erat. Illi, se & se solos, pro orthodoxis ac Catholicis venditabant, & passim in suis ad Imperatores, aliosque literis, sic gloriabantur; Orthodoxos autem omnes, illi, Arianos, Eunomianos, Cyrillianos, hæreticos plus millies dictitabant. Sicut nunc etiam orthodoxi a nouis Nestorianis, Lutherani, Caluinisti, hæretici vocantur. Ineptum sit concludere, vel Nestorianos esse orthodoxos, quia sic vocantur, vel Cyrillum cum alijs orthodoxis, hæreticos censere, quia isto nomine a Nestorianis vocabantur. Sed nos alibi in Tractatu de Concilio 5. generali, de hoc fuse egimus.

Cape aliud exemplum. Is qui Cælestinum quintum, virum sanctum(o), & inter diuos ab ipsis relatum, e sede pontificia per fraudem eiecit (p), in carcerem coniecit, qui subornatores clanculum in cubiculum ipsius misit, vt voce per fistulam edita quasi cælitus dimissa, noctu misello Cælestino persuadeant, vt pontificatum dimitteret si salvus esse vellet; Is qui pro suo in Gibellinos odio, Procheto(q) Archiepiscopo Genuensi, die cinerum ad pedes illius prouoluto, cineres non in verticem vt solet, sed in oculos iniecit, inquiens *Gibellinus es, & cum Gibellinis in cineres reuerteris*: Is qui *accinctus* (r) *gladio dixit, se esse, nec alium quenquam Cæsarem, Augustum, Imperatorem, ac dominum mundi.* Is qui a Philippo Galliæ rege Anagnæ captus, Romam(s) Captiuus abductus, in carcerem coniectus, ebique miserè tandē cōtabuit; Is inquam ante pontificatum Benedictus, cum pontificatum iniit, Bonifacius octavus nominatus est. An su hinc notationes horum nominum huic conuenire arguas? Noli vel opinari. Nomina ista falso ipsi tributa. Maledictus verius & Maleficus vocandus erat, quod vel Epitaphium istud quo ornari meruit tibi indicabit (t), *Intrauit vt vulpes, regnauit vt Leo, mortuus est vt Canis.*

Huius generis argumenta sunt & isto, hoc est *Officium*, ergo officit. Nam non sequitur a Nomine ad istam notationem argumentum. Non enim ab *officio* quod nunc nocere aut incommodare significat, *officium* dicitur, sed ab *Effectu*, pro quo antiquitus verbum *Officio* in vsu erat. Hinc Ambr. lib. 1. Offic. ca. 8. *Officium ab Efficiendo dictum putamus, quasi Efficium: sed propter decorum sermonis, vna mutata littera, officium nuncupatur.* Iam si verum etymon

(o) *Hic a Clemente quinto canonizatus fuit. Matt. Palmer. in Cælest. 5.*

(p) *Plat. in vita Bonif. 8. Paul. Langius ad ann. 1294. Genebrar. in Cælest. 5. alibique.*

(q) *Plat. loc. cit.*

(r) *Iob. Marius lib. de Schis. et Conc. cap. 18.*

(s) *Plat. Paul. Lang. Iob. Mar. locis cit.*

(t) *Paul Lang. Iob Marius, loc. cit. & Werner. ad ann. 1294. aliique.*

etymon capias, recte arguas, Hoc officium meum est, ergo est id quod efficere atque agere debeo. Itidem quia Oppidum illud in Italia *Beneventum*, vocatur, non recte inde arguas, ideo fœlicem, ac prosperum ad illud accessum esse: Nam vt testatur Procopius lib 1. de bello Goth. *Venti ac turbines ita illuc sæviunt, vt non possis itter illuc facere sine summo periculo; ea est enim* inquit *venti violentia, vt vel equitem cum equo simul abreptum, sublimem ferat, denique per aerem circumactum interimat, vnde & Maleventum olim dictum:* sed boni ominis causa vt, ait Plin. lib. 3. c. 11. *auspicatiori illi nomen inditum* est. Itidem ex nomine alio auspicato, *Caput bonæ spei*, non recte arguas, caput illud gratum nautis atque commodum esse. Nam propter ventorum * semper fere ibi sævientium rugitum, *Leonem Oceani* vocitare solent, & quia Oceanus illic, mire procellosus, navigantes nisi coacti, ibi non appellunt. Similia exempla passim occurrunt. Ex his intelligis, si vel nomen *falso alicui rei imponatur*, vel si *falsum etymon* illius adhibeas, non valere argumentum vel a Nomine ad notationem, vel a Notatione ad Nomen. Sin *vera* nomen aliquod vlli tribuatur, *vera illius nominis notatio* eidem semper congruet.

* *Ant. Magin. sua Geogr. Lib 12. p. 183.*

Atque hæc de Argumentis ab Effectu, eisque quæ ad hunc locum spectant, & referenda sunt.

Cap. IX.

De sexto Loco arguendi qui est a Subiecto.

SExtus Locus arguendi est a *Subiecto*. Subiectum voco, *Cui quidquam vt Accidens, aut Adiunctum vel proprium, vel commune inest aut convenit.* Quare Species omnes respectu suorum propriorum *Subiecta* hic sunt: sicut eorum proprietates sunt ipsorum Adiuncta propria. *Ducitur Argumentum a Subiecto, quandocunque medium est Subiectum, & minus extremum est illius adiunctum.*

Subiectum quid.

Argumentum a Subiecto quid.

De eo Regulæ hæ sunt.

Cuicunque Subiectum convenit, eidem omnia adiuncta necessaria illius subiecti, sive propria sint, sive communia (modo inseparabiliter illi inesse

Reg. 1.

sint) convenire necesse est: vt hoc est homo, ergo est risibilis, flebilis, disciplinabilis, capax virtutis & vitij, fælicitatis ac miseriæ. Dixi *inseparabilia*, nam subiectum convenire alicui potest, cui tamen accidentia quæ separabilia sunt, non insunt: Quare non sequitur, hic est homo, ergo est doctrina, aut memoria prædituς. Hæc enim separari possunt. Cuius rei duo exempla memoratu digna occurrunt. Prius est Messalæ Corvini, qui cum esset orator summus, morbo tamen sic extincta penitus illi memoria fuit, vt & nominis sui oblitus plane sit, & vbi loci esset; vt testatur Plin lib.7.ca. 24. Alterum est Georgij Trapezuntij, qui Romæ multis annis Gymnasio præfuit, Rhetoricam & Philosophiam summa cum laude docuit. Is in senectute non modo omnium literarum oblitus est, sed & nominis sui memoriam amisit, vt Genebr. ad an.1431. & Seth. Calvis. ad an. 1486. (quo Trapezuntius obijt) testantur. Fragilia hæc bona sunt: Tu adolescens Deum, cuius dona sunt, implora, vt eis & constanter frui possis, & frui ad ipsius honorem, aliorumque commodum. Caue vnquam in his intumescas; ne mens conscia tibi illud suggerat, cuius Augustinum valde pœnituit, Confess. lib. 4 ca 16. *Scis tu Domine Deus, quia & celeritas intelligendi & discendi acumen, donum tunm est: sed nun inde tibi sacrificabam.*

Reg.2. *Cui subiectum vllum non convenit, neque vlla illius subiecti accidentia, vel propria, vel communia, si inseparabilia sint, conveniunt*; vt Spiritus non est corpus, ergo non est quantus, nec extensus, nec divisibilis.

Reg.3. Ad hunc locum Subiecti pertinent *Argumenta omnia quæ ab Axiomatibus duci vulgo dicuntur, seu in quibus Axiomata vlla experimuntur.* Scio hoc non novum solum ac peregrinum, sed & plane Paradoxon videri. Sed si res æqua lance expendatur, vtcunque a vulgi opinione dissentaneum videbitur, non dubito quin & rationi & veritati consentiat. Nam Axiomata omnia & Regulæ quæ de vlla re traduntur, *nihil aliud sunt quam quædam proprietates, & Adiuncta illarum rerum*, vt in hoc, Omne *totum* est maius sua parte; *esse maius sua parte*, est affectio & *proprietas* Totius; & quia proprium illud huic subiecto ineſse liquidum ex se est, & cuiuis obvium, ideo Axioma merito dicitur, talis propositio. Sic in hoc axiomate, cuicunque convenit definitio, convenit definitum; resolve hoc primum, (vti resolvendum est) sic. *Omnis definitio, est eius tale vt cui ipsa convenit, etiam definitum conveniat.* Iam vides clare, hoc prædicatũ *Est tale vt cui ipsa convenit, conveniat definitum* esse adiunctũ & proprietatem *definitionis*, quæ est *subiectum* illius *adiuncti*. Sic in hoc Axiomate; Cuicunq; convenit causa, eidem convenit & effectus ille qui necessario tali causæ connectitur. Causa hic *subiectũ* est, de quo hæc proprietas, *quod cui illa convenit, necessarium illius effectum etiam conve-*

tantenus, prædicatur. Sic & in hoc Axiomate: De omni Ente verum est dicere vel esse hoc, vel non esse hoc. *Subiectum* hic, est *Ens*, cuius hæc proprietas est, quod *verum sit de eo dicere, quod vel sit hoc, vel non sit.* Similis est in omnibus Axiomatis ratio. In omnibus subiectum propositionis (si recte resolvatur) est *subiectum*, & prædicatum propositionis est *Adiunctum* necessarium, vel proprietas illius subiecti. Et quoniam clare liquet proprietates istas, illis subiectis convenire, ideo *Axiomata*, id est, propositiones perspicuæ veritatis ac fide dignissimæ vocantur.

Hoc iam declarato (de quo non est, cur omnino dubites) confectum plane & demonstratum est, argumenta omnia in quibus Axiomata exprimuntur, duci a subiectis: Nam Axioma semper ponitur pro *maiori propositione* in tali syllogismo: *Medium* autem est ipsum subiectum, de quo tale Axioma traditur, & maior terminus est Adiunctum illius subiecti: quare iuxta fundamentalem nostram regulam, syllogismi omnes tales dicuntur a subiecto. Exemplo vno alterove res erit manifesta. Omnis definitio est tale, vt cuicunque ipsa convenit, conveniat & definitum: at hoc, animal rationale est definitio, (puta hominis,) ergo hoc animal rationale, est tale, vt cuicunque *ipsa* convenit, conveniat & definitum (puta homo.) Vides hic clare, *medium*, (nempe *definitionem*,) esse *subiectum* respectu *maioris extremi*, & *maius extremum* (quod est ens tale, vt cuicunque ipsa convenit, conveniat & definitum) esse *adiunctum illius Medij*. Similiter & hic: Omnis causa est tale, vt cui ipsa convenit, effectus illius necessarius conveniat: at rationale est causa (nempe risibilitatis) ergo rationale est tale, vt cui ipsum convenit, conveniat & effectus illius necessarius (nempe risibilitas.) Vides hic iterum *Medium* esse *subiectum* respectu *maioris extremi*, & maius extremum esse *adiunctum* respectu illius *medij*. Quare ne dubita, quin hæc & similia omnia argumenta in quibus axiomata vlla expresse ponuntur, sint argumenta ducta a Subiecto, & ad hunc locum a Subiecto proprie spectant.

Ipsa quidem Axiomata in aliis locis ponuntur, & poni debent: etenim *loci* hi, sunt axiomatum vt dixi loci, non solum Argumentorum: sed in quocunque *loco* aut in quicunque classe ponantur, quatenus sunt fulchra, & bases aliarum rationum: certe quatenus ipsa actu ingrediuntur vllam rationem, & propositionem in ea faciunt, eatenus ad hunc solum arguendi locum referenda sunt, quia tum non vt axiomata & fulchra aliarum rationum sumuntur, sed vt partes huius ipsius argumentationis, quæ vnde ducatur ex lege fundamentali diiudicandum est.

Vsus multiplex est huius loci: Nam hinc probari solent rebus his aut illis proprietates seu adiuncta talia competere, quia subiecta *Vsus arguendi a subiecto.*

iecta istorum accidentium his aut illis conveniunt. Ex omnibus vtar tribus tantum exemplis, tu similia infinita attexere facile poteris: Primum in lapidibus, Hoc est *Magnes*, ergo vim habet attrahendi ad se ferrum. Et quidem hinc fit, vt *annuli quamplurimi se tacti, etiam sine implicatis circulis, extrinsecus sibi adhærant, sequè complectantur*, quasi concatenata essent, aut catena quædam annulorum, quod se vidisse testatur Aug. lib. 21. de Ciuit. dei, cap. 4. Hinc olim *in templo quodam Ethnicorum* (Arsinoes, vt ex Plinio [b] coniicio) factum est, vt *magnetibus tam impalmento, quam in Camera templi insita proportione positis, Idolum ferreum in medio, inter vtrosque lapides, sic vt nihil ipsum fulcire aut sustentare videretur, penderet.* Qua vna fraude magnam Idolo gloriam comparauit versutissimi nebulones, vt refert idem Augustin. lib. eod. cap. 6. & Plin. lib. 34. cap. 14. Qua eadem fraude Mahometis, Impostoris notissimi Cadauer, ferreo sepulchro inclusum, quasi miraculo quodam, sed fallaci & mendaci, hodieque *visitur suspendi in templo Mecha* (ea Arabiæ ciuitas est, & Mahometis [*] patria) vt præter alios, refert Munst. Cosmo. lib. 5. pag. 1039. Eadem fraude apud Treuerim olim *Mercurij Idolum suspensum* refert Cornel. Agrip. lib. 2. de occul. philoso. Sed & illa etiam Magnetis mira vis, quam tradit Plin. lib. 37. cap. 4. & Aug. li. cit. ca 4. & pro vero confirmat Iul. Scal. exerc. 112. *Sic cum eo dissidet Adamas, vt iuxta magnetem positus, ferrum non patiatur abstrahi, aut si magnes approbuerit & traxerit, auferat, et magnetem remittere faciat.* Sed ex omnibus nihil est admirabilius vel in vllo alio lapide, vel in ipso Magnete, quam quod *ferrum aut acum, boreali magnetis puncto tactam, facit ad Polum arcticum, australi vero magnetis puncto, ad austrum facis vergere*, vbicunque locorum quis sit. Mirabilis certe virtus, Aristoteli, Plinio ac priscis omnibus incognita, quâ vnâ iam perspecta & cognita, Nauigatio per & circiter vniuersum orbem, non facilis modo, sed fælix ac fausta facta est, Vnde vero hæc Magneti vis, disputant Philosophi. Alii ad montē quendam Magneticum, quem intra Americæ & Asiæ partem septentrionalem in freto Anian situm, & 17. gradibus a polo Arctico distantem statuunt, causam huius referunt: alii ad puncta aut partes duas cœli in sphæra cœlesti immobili sitas, referuntq; vna earum iuxta polum Arcticum est, altera iuxta australem polum: ab istarum altera vim magneti istam tribui putant, vt ea pars magnetis quæ boream in solo natali magnetis respicit, ad polum arcticum vergat; ab altera vt pars australis, ad australem. Hæc enim est magnetis mira conditio vt quem situm habuerit in solo natali, eundem perpetuo exoptet ametque, & nisi impediatur seruare contendat, quam eandem vim ferro etiam & acui eo tactæ tribuit. Ego in re tam ardua ac mirabili nihil audeo definire, sed nec fere coniicere. Legant qui plura de re hac desiderant, Anselmum Boe-

Exemplum de Magnete.

[b] *Lib. 34 ca 14*

[*] *Aut. Magin. Cosmogr. Tab. 33 pa. 272. & 274.*

tum

tium de Boodt, lib. 2. de Gemmis & Lapid. ca. 250. & 251. vbi hæc fusius & diligentius expenduntur, sed non satis tamen expediuntur. Tanta est autem illius vis vt non immerito a magnis viribus nomen habeat Magnetis, quare etiam Herculeus a multis appellatur: etsi a Magnete quodam illius inventore sic appellatum putet Plinius, a Magnesia verò regione nomen eius deducat Lucretius. A ferro autem quod domat, & sibi obsequens facit, Sideritis merito vocatur.

Exemplum in Adamante.

Similiter ab hoc subiecti loco, ad adiuncta aliorum lapidum arguere potes, vt ab Adamante, ad illius vim, quæ talis est, teste Plinio lib. 37. cap. 4. *vt sit inenarrabili duritia, & indomita vi, ferri ignisque contemptrix*, vnde Adamas, id est *indomitus* vocatur; & tamen lapis hic, quem nec ferrum, nec mallei aut incudes frangere, nec ignis vincere potest, *hircino sanguine recentiri rumpitur*. teste eodem Plinio.

Exemplum in Tussilagine.

Secundo in herbis sic arguas, hæc est *Tussilago*, ergo fumus illius per tubulum in pulmones haustus mirifice pulmonibus vtilis ac salutaris est. Quod ipsum in viro mihi charissimo, pietate ac prudentia insigni, fælici experimento compertum est. Diu ille ac periculosissime de pulmonum pthisi laborabat. Medicorum complurium ope atque opera diu, sed frustra vsus erat. Cum iam desperata plane illi salutis spes omnis videbatur, vno hoc *tussilagmis* fumo sanitatem ac valetudinem, Dei beneficio recuperauit, & iam decimum sextum, ex quo vitæ valedixerat annum agit, & vt agat diu atque fæliciter, ardentibus votis opto. Ex hoc factum, vt hæc Tussilaginis vis iam omnibus innotescat, & in vsum quasi post liminio redierit. Nam eam in hunc fere vsum commodam esse, & olim ex parte cognitum, vt ex Plinjo liquet lib. 26. ca. 6. *Tussilaginis*, inquit, *aridæ fumus per arundinem haustus, & devoratus, veterem sanare dicitur tussim.*

Exemplum in Remora.

Tertio in piscibus sic arguas. Hic est *Echenis*, (Remora alio nomine vocatur) ergo navem morari potest. De eo sic Plin. lib. 32. ca. 1. *Quid violentius usari, ventisq; turbinibus, & procellis? addantur his remorum impulsus, & velorum, & marini æstus inenarrabilis vis, tamē omnia hæc, pariterque eodem impellentia, vnus ac parvus admodum pisciculus, Echenis in se tenet; vires tantas compescit, & cogit stare navigia, quod non vincula ulla, non anchoræ, pondere irrevocabili iactæ valent. Infrænat impetus, & domat mundi rabiem, nullo suo labore, non retinendo, sed tantum adhærendo.* Hæc Plinius, qui non immerito hoc, *immensum occultæ potentiæ documentum* vocat. Potes nunc in aliis vel lapidum, vel plantarum, vel animalium generibus, infinita similia argumenta contexere: mihi pauculis his præire, ac viam monstrare satis erat.

Cap. X.

De septimo arguendi, Loco qui est ab Adiuncto, seu Accidente.

Adiunctum seu accidens, quid.

Septimus Locus arguendi est ab Adiuncto; Accidens verò seu Adiunctum hic vocamus, *quicquid vlli subiecto accidit, aut adiungitur, sive sit Accidens proprium, sive Commune illius subiecti.* Nam vt Accidens vocatur, quia accidit, ita & Adiunctum dicitur, quia adiungitur subiecto, neutrum itaque est de essentia subiecti.

Argumentum ad Adiuncto quid.

Argumentum ab Adiuncto, seu Accidente ducitur, *quandocunq; Medium est Adiunctum seu Accidens maioris Extremi*, vt homo est sensibilis, ergo est animal.

Regulæ de hoc loco, sunt hæ.

Omne Accidens seu Adiunctum quandocunque sit, si ipsum existat, aut sit, probat subiectum illud cuius est Accidens vel adiunctum, existere atque esse. Ratio est, quia *accidentis esse est Inesse in subiecto*: vt alibi tum ratione, tum ex Aquinate probauimus. Quare si accidens sit, & subiectum illius esse necesse est: quia aliter accidens existeret sine subiecto, atque ita accidens non esset accidens: & sic contradictoria de eodem vere dicerentur. Recte ergo hinc sequitur: Quod est miserum illud est, mortui sunt miseri: ergo mortui sunt. Hæc ratio vere ducitur ab adiuncto, quia miserum esse quod est *Medium*, est adiunctum *maioris termini*, quod est ens. Vere ergo sequitur, si miseria insit mortuis, quod subiectum illius miseriæ insit mortuis, ideoque quod mortui sint: id est sint entia. Hinc vulgatum illud dictum oritur: *Ab Esse tertij Adiacentis valet ratio.* Quod in positivis & realibus prædicatis nunquam fallit; in privativis & negativis non valet: vnde hoc non sequitur, Chimæra est non ens aut fictio, ergo est. Hinc etiam probatur, figmentum id esse, quod nonnulli garriunt de quamplurimis accidentibus, colore nempe, odore, sapore, quantitate & similibus, sine subiecto vllo existentibus. Nugæ vetæ & germanæ gerræ. Nec sana fides hoc dicit, & recta ratio contradicit. Recta autem ratio nunquam fidei contraria est, aut esse potest.

Cui-

Cuicunque conuenit Accidens vllum aut Adiunctum proprium, vel tale quod ab illo subiecto est inseparabile, eidem subiectum talis Accidentis aut Adiuncti sine dubio conuenit. Vt, hoc est risibile, ergo est homo: hoc est per se longum, latum, & profundum, ergo est Corpus. Hoc est laudabile, ergo est virtus, vel virtute præditum: Nam etsi præstantia quæ alicui inest sit *causa* quare sit laudabile; tamen ipsa virtus, vel id quod habet virtutem, est *subiectum*, cui ineſt & cõuenit esse laudabile. Idem de vitio & vituperabili dicendum.

Quod si ab accidente separabili sic arguas, non valet ratio, vt, hoc est bipes, & implume, ergo est homo. Diogenes forte tibi (vt olim Platoni) gallum in gymnasium afferat & dicat, *Ecce hominem Platonis*. Hinc fit, vt illud lepidum ac notum omnibus Biantis[c] dilemma non valeat. Non esse ducendam vxorem aiebat, *quia si ducas pulchram, habebis* κοινὸν, *si deformem, habebis* κοινόν. Neutrum sequitur; nam & multæ sunt venustate præstantes, quæ cum Penelope conferantur, cuius castitas & pudicitia viro ipsius per viginti annos absente, nullis precibus, nullis pollicitationibus, nec minis etiam expugnari potuit: multæ etiam quæ licet venustate non antecellant, propter virtutum tamen ornamenta gratissimæ sunt. Quare neutrius illa Adiuncta necessaria; ab vtrisque separabilia sunt. Ex quo fit vt retorqueri soleat, sed non satis recte, vt notat Aul. Gell. id Biantis dilemma. Si ducas pulchram non habebis κοινὸν, si deformem non habebis κοινόν. Sed & vitium in eo Argumento aliud, idemque ad hunc adiuncti locum spectans. Nam supponitur, fœminarum omnium, alterum horum Adiunctum esse, vt sit vel *pulchra* vel *deformis*. Est vero inter ista duo, *media forma*; illa nimirum quam Ennius *Statam*, dixit, quæ non inscite *vxoria forma* vocari potest: quæ & a nimiæ pulchritudinis periculo, pudicitiam incolumen faciat, & a deformitatis odio, maritum liberet. Eo adiuncti vitio laborat simile aliud dilemma, cuius meminit Arist. lib. 2. Rhet. ad Theod. ca. 23. vetabat quidem filium suum Causas agere, *Nam si iniusta*, inquit, *suades, Dij, si iusta, homines te odio habebunt.* Non sequitur: nam Contingens est, vt homines iusta odio habeant: quare & hoc etiam dilemma sic retortum fuit, sed non satis commode, Causæ sanè agendæ sunt, quia si iniusta suadeam homines, si iusta dij me amabunt. Regula nostra de Adiunctis necessarijs & inseparabilibus traditur, non de alijs.

Cuicunq; Accidens vllum proprium, vel Commune quod a subiecto illo separari non potest, non inest aut conuenit, eidem subiecto talis Accidentis non inest, aut conuenit; vnde recte sequitur, Hoc non est per se quantum, ergo non est Corpus. Contra fit in Accidente separabili, tale enim accidens non conuenire potest alicui, cui tamen subiectum talis accidentis ineſt. Quare hæc non sequuntur; Hic non est

[c] *Diog. Laert. in vita Diogenis, pa. 318. & apud A. Gellium lib. 5. ca. 11*

doctus, ergo non eſt homo; non eſt bipes, ergo non eſt animal.

Vſus Loci ab Adiuncto.

Vſus huius loci qualis ac quantus ſit, ex loco a ſubiecto ſciri poteſt. Nam ſicut ex eo, quòd ſubiectum alicui ineſt, aut non ineſt, firmiter probas accidentia omnia quæ neceſſario inſunt tali ſubiecto, eidem conuenire, aut non conuenire; itidem ex hoc quòd Adiuncta vel accidentia alicuius rei neceſſaria ac inſeparabilia inſunt, vel non inſunt, firmiter probare potes, ſubiectum illud eidem vel conuenire, vel non conuenire; vt, Hoc non poteſt morari nauigium, ergo non eſt echinus ſeu Remora. Lapis hic attrahit ad ſe ferrum, & acum boreali eius parte tactam, ad polum arcticum vergere facit, ergo eſt magnes. Itidem ab adiunctis ſuis alia cognoſcas: Onagrum ex velocitate, quæ tanta eſt, ſi Cardano (*e*) fides, vt, *ducenta millia paſſuum, 24. horarum ſpacio ſuperet.* Monocerotem, quòd vnicum ei Cornu, in media fronte emineat. Cornu id *præſentiſſimum* (*g*) *atque præſentiſſimum eſt aduerſus venena & inſanabiles morbos remedium*: Quod vero, *a multis dubitatur, an tale vllum animal Vnicorne in rerum natura ſit*, et an iſtas virtutes habeat, mirum eſt docrum vllum poſſe de hæc re vel hæſitare. Animalia eſſe vnicornia teſtantur ex priſcis Ariſtoteles [i], Plinius [k], Ælianus (*l*), ex recentioribus Cardanus (*m*), Iul. Scaliger (*n*), Munſterus (*o*), Pierius (*p*), Neander (*q*), alique; etiam *Vertomanus virobtimo* (verba ſunt Scaligeri) *qui ſe duos vnicornes vidiſſe dixit, habenda fides.* Quodque rem extra omne dubium ponat, ſacræ literæ multoties vnicornis meminerunt: vt Pſal. 22. 22. Pſal. 29. 6. Iſa. 34. 7. Quibus in locis (vt alios præteream,) Septuaginta *monoceros*, & Hieronimus, vetus & vulgata editio, & Tremel. ac Iunius Latine reddunt vnicornem: & vocem Hebræam *Reem*, vnicornem ſignificare, ſicque a robore & exaltatione ſui cornu dictum eſſe, Lexicographi conſentiunt. Denique quinque ſpecies vnicornium eſſe, ex Plinio, Ariſtotele Ælian, Garcia, aliſque declarat Anſelmus Boetius, lib. 2. de Lapid. & Gemmis, cap. 244. Hæ ſunt, *Bos Indicus, Rhinoceros, Monoceros*, (ſic proprie vocatum) *Aſinus Indicus*, & *Orix*. Inter has quinque duæ ſunt præter alias notandæ. Prior eſt vnicornis ille quem Ælianus lib. 16. de Animal. cap. 20. *Cartazonan vocat, qui pedum velocitate & robore corporis admodum præſtat, & inſtar Elephantis pedibus eſt articulatis.* Sed huius cornu virtutes nullas commemorat Ælianus: non omiſſurus vim illam miram aduerſus venena, ſi ineſſe ei cognouiſſet. Hunc eſſe vnicornem illum in ſcripturis toties celebratum, & a robore *Reem* dictum, non dubito. Alter eſt Aſinus Indicus, de quo Ælian. lib. 2. de Anim. cap. 52. ait. eſſe eum *equi magnitudine, corpore albo, capite purpureo, cornuque in fronte gerere ſeſquicubiti longitudine, cuius ſuperior pars ſanguinea, inferior alba, media planè nigra. Ex hoc Cornu* (ait ille) *potentiores inter Indos bibere ſolent, creduntque ex eo bibentem*

ab

(*e*) *Lib. 10. de Subtil. pag. 326.*

(*g*) *Neand. par. 1. Phyſic. p. 347.*

(*b*) *Anſ. Boet. de Boodt. lib. 2. de Gem. & lap. cap. 244.*

(*i*) *Lib. 2. de hiſt. anim. ca. 1.*

(*k*) *Lib. 8. cap. 21*

(*l*) *Lib 2. de Animal. cap. 52.*

(*m*) *Lib. et cap. cit.*

(*n*) *Exercit. 205.*

(*o*) *Lib. 2. in fine.*

(*p*) *Lib. 2. in Rhino cornte.*

(*q*) *Loc. cit.*

ab insanabilibus morbis tutum fieri, neque posse convulsionibus corripi, neque facto morbo affici, neque ullis venenis ladi. Asinum hunc Indicum vere vnicornem illum esse, cuius cornu tantopere celebratur, quôque a multis annis inter Gemmarios, & Principes nihil præstantius vel ad cognoscenda, vel ad præcauenda, vel ad superanda omnia venenorum genera habeatur, & sentit & probat Ansel. Boetius loco citato, cui ego vt diligentissimo horum indagatori subscribo. Qui vlterius etiam addit, alia multa venditari non sine magna fraude & errore, & haberi loco istius cornu, vt Monocerotis (sic proprie dicti) cuius tamen nullæ tales vires sunt; vt Cervorum Cornua, quæ quia certa experientia non exiguas aduersus venena vires habent, loco istius præstantissimi cornu sæpe substituuntur: vt ebur, lignum iuglandis, & nonnunquam feraxini, aliorumque, de quibus ille ait, *Habeo ego domi plures quam viginti differentias, cum tamen omnes mihi pro cornu Monocerotis datæ fuerint.* Sed de Vnicorni eiusque adiunctis satis multa. Vnicorni si vis adde *vrum*, qui * a vulgari tauro *nihil differt nisi magnitudine, & viribus*, quibus illum superat. *Cornua illi rarissima, quæ etiam Iulij Cæsaris ætate erant ad vsum poterarum, & nunc etiam in Samogithia & Mazouia*: (regiones illæ Poloniæ & Prussiæ vicinæ) ratioris apud nos vsus; ideo vt spectatu digna, nec sine magno honore alicubi asseruari norunt, qui Collegium Reginense sole æstino inuisunt. * Scalig. Exercit. 206. nu. 3.

Attexamus his Adiuncta Lapidis Bezoar. *Nullum* (vt ait Ansel. Boetius) *est hoc lapide, ad venena aliosque difficiles morbos præstantius gen. & Lapid. medicamentum, siue extrinsecus adhibeatur, siue intrinsecus. Ad omnium animalium venenatorum ictus & morsus valet, si vulneri imponatur. Carbunculis pestilentibus si inspergatur, venenum omne exugere creditur. Cordis affectibus, & palpitationibus, paroxismo, melancholicis humoribus, lepræ seu Elephantiasi, & Epilepsiæ mire auxiliatur.* Vere *Panacea instar habetur.* Quare *præstantissima quæque medicamenta atque Antidota, Bezoardica*, seu vt Scaliger ait, *Bezahurt*, id est, *vitam conseruantia per antonomasiam vocantur.* De generatione illius, lis non leuis. Iul. Scaliger confidenter asserit, esse *Cervi lachrymam, quæ post centesimum annum in Cervo ad oculi canthum accrescit, & ossibus illius concrescit, in tantam duritiem, vt cornu superet.* Hocque & sibi compertum esse, & se legato cuidam a Tarcis ostendisse commemorat. Ridet hanc Scaligeri sententiam Ansel. Bottius loco citat, ipseque lapidem *Bezoar* doctorum omnium testimonio *in ventriculo animalis cuiusdam nasci confirmat*, siue ex Ægypto, Persia, India, China, Cathaio, aliisque vicinis regionibus, siue ex America & Peruia adferatur. Animal illud quia Capræ & Cerui simul simile est, *Capricervus* vocatur, *a Persis vero Pazan aut Pazar*, vnde & lapis ipse Bezar nominatur, vel a Chaldæo nomine *Belzaar* sic (c) *Lib. 2. de Lapid. cap. 193.*

(s) *Exerc. 184. nu. 5.*

(t) *Exerc. 112.*

dictum autumat, quia dominus est veneni, *Bel* enim ipsis Dominum, & *Zaar* venenum notat; sicque merito vocatur quia venena omnia domat ac superat. Idem Boetius non solum ab Arabibus medicis ante 500. annos repertum esse, Rhasis testimonio probat, sed & modum quomodo in ventriculo Capricerui gignitur, accurate describit: etiam & vnde tanta sit ei vis aduersus venena indicat. Generatur enim lapis iste in dicto Capricerno, ex succo viscoso & terrestri, herbarum eiusmodi quæ aromaticæ sunt & valde salubres; ex quo fit vt si animalia illa vel solo gramine, vel herbis insipidis vescantur, lapis qui in eis nascitur nullius pene facultatis sit. Id quod *Indis* optime notum. Nam animalium in planis locis degentium lapides floccifaciunt, in montanis vero & locis aromaticis vescentium lapides maximo pretio habent. Initio autem cum nascitur lapis hic in marsupio quodam ventriculi, exiguus est; sed paulatim accedente indies crusta, eademque exiccata, concocta, atque indurata, excrescit lapis in maiorem molem, adeóque augetur vt aliquando vt Oui anserini magnitudinem exæquet. Qui plura de hoc lapide Bezoar desiderat, legat præter Nehandrum, & alios, sæpe nunc iam nominatum Ansel. Boetium.

Chameleontis hoc adiunctum Plinius narrat lib. 8. cap. 33. Quod *solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam aeris alimento: coloris ei natura mirabilior; mutat enim subinde & oculis & cauda, & toto corpore: reddit que semper quemcunque proxime attingit praeter rubrum candidumque.* Quod idem Solin. cap. 53. testatur; vnde natum prouerbium, *Chamaeleonte mutabilior.* Vtque ille aere, sic alia quædam animalia alijs simplicibus elementis ali feruntur; vnde illi versus (u),

(u) *Apud Nemand. lib. cit. pa. 355.*

Quatuor ex puris vitam ducunt elementis,
Chameleon, talpa, & maris haec, & Salamandra.

Piscium huc adiuncta adde, Eorum *genera sunt*, teste Plinio *, *centum septuaginta sex*; inter omnes nullius *Tritone* mirabilior. Homo is est marinus quem Virgil. (y) sic describit, *Frons hominem praefert, in priſtin(a) desinit aluus*: et lib. 3. Æneid. Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo Pube tenus, postrema immani corpore pristis: vere Philisteorum Dagon, de quo 1. Sam. 5. 4. Tritonem huiusmodi, se Romæ in spectaculis vidisse narrat Paulanias, alibi etiam visum testatur Plin. lib. 9. cap. 5. et Eugenio 4. pontifice marinum hominem captum in Illyrico refert Baptista Fulgosus: huius etiam generis Tritonem membris per omnia hominis similem, captum in Anglia regnante Iohanne, atque aliquot diebus asseruatum, tum dimissum in mare iterumque reuersum, ac duobus integris

* *Lib. 32. 11.*
(y) *Lib. 10. Æneid.*
(a) *Genus est piscis longi sed angusti corporis.*

integris mensibus in ædibus D. Barth. Glanuilli custoditum, testantur Chronica nostra. Attexerem aliqua de canum, Equorum, præcipue vero Elephantum Adiunctis; sed de his singulis abunde suis tractavit Iust. Lipsius. de Elephantis Epist. 50. Centur. 1. De Canibus epist. 44. Centur. 1. ad Belgas. de Equis Epist. 56. Centur 3. ad Belgas: ex eo quantum vis depromere poteris. (b) *Hollinsh. in vita Iohan.*

Ex istis nunc intelligis quomodo ab adiunctis arguas, vel ad probandum aliquid, esse tale subiectum, si Adiunctum illius subiecti ei insit; vel non esse tale subiectum, si Adiuncta eius ei non conueniant. Quod si ab Adiuncto aliquo subiectum vllum vel *laudare* vis vel *vituperare* (quod genus arguendi frequentissimum est) talia omnia argumenta ad locum, *A Causa Efficiente*, vt ante monui, spectant, non ad hunc ab Adiunctis. Quia adiuncta præstantia & laudabilia, sunt *Causa efficientes* cur subiecta quibus insunt laudabilia sunt; sicut e contra Adiuncta noxia, pestifera, aut vitiosa, *Causa sunt efficientes* cur subiecta quibus insunt sunt vituperio, odio aut detestatione digna. Nituntur autem omnia talia argumenta huic Regulæ, quod in hoc Adiuncti loco repono: *Cuicunque subiecto Adiuncta bona, præstantia aut laudabilia insunt, illud est laudabile*; & contra, *Cuicunque subiecto Adiuncta mala, ignobilia, aut vituperanda insunt, illa merito vituperanda sunt.* Et si comparationem inter duo aut plura facias, tum Regula cui talia argumenta innituntur est hæc, *Cui præstantiora Adiuncta insunt, illud est præstantius*; & contra, *Cui viliora ac peiora Adiuncta insunt, illud ignobilius est & deterius.* Exempla, horum omnium dedi supra in cap. de Causa Efficiente. Reg. 4

Nec de hoc ab Adiuncto Loco plura te monere necesse est.

CAP.

CAP. XI.

De Loco Octauo arguendi a Dissentaneis.

Dissentanea quæ, & quotuplicia.

OCtauus Locus arguendi est a Dissentaneis. Dissentanea autem vt in lib. de Prædic. cap. 20. diximus, sunt *quæ quocunque modo a se inuicem dissentiunt.* Eorum alia sunt *diuersa*, quæ natura & essentia differunt, sed possunt eidem subiecto conuenire. Alia sunt *Opposita*, quæ non essentia solum differunt sed subiecto, sic vt nunquam eidem subiecto simul inesse possint. Horum alia sunt *Disparata*, quæ ita opponuntur, vt non maxime inter se distent; alia *contraria*, quæ sic opponuntur, vt maxime a se distent: horum alia *Contrariantur in dividendo tantum*, non in inhærendo; alia *contrariantur & in dividendo, & inhærendo.* Et horum quatuor sunt genera, Contraria nempe *Relata*, *Aduersa*, *Priuatiua* & *Contradictoria*, de quibus omnibus fusius loco citato egimus. Hic igitur modum & rationem arguendi ab illis declaremus.

Argumentum a Dissentaneo quid.

Argumentum ducitur a Dissentaneis, *Quandocunque Medium est dissentaneum respectu maioris termini.* Et quomodocunque medium distentit a maiori termino, ab eo *speciali dissentaneorum genere* argumentum ducitur. Si medium sit *Diuersum* respectu maioris, est argumentum a *diuersis*, Si *disparatum* sit, a *Disparatis*, Si *Contrarium*, est a *Contrarijs*, Si Contrarium *Relatæ*, est a *Relatis*, Si Contrarium *Aduersæ* ab *Aduersis*, si *Contrarium priuatiue*, a Priuantibus, si *Contrarium Contradictorie*, a Contradictorijs. Regulæ de his istæ sunt.

Reg. 1. De Dissentaneis in genere.

De Dissentaneis in genere Regula generalis est hæc vna. *Omnia Dissentanea natura atque essentia inter se differunt sic vt quod vnum est iuxta suam naturam, alterum non sit illud, & nihil aliud.* Ratio est euidens, quia si omnino in essentia conuenirent, non essent dissentanea, sed vnum idemque: nihil enim est dissentaneum a seipso. Hinc in *Diuersis* sequitur, hoc est est accidens, ergo non est substantia; in *Disparatis*, hoc est album, ergo non est viride: in *Relatis*, hic est pater huius, ergo non est illius filius: in *Aduersis*, Hoc est virtus ergo non vitium: in *priuantibus*, hoc est vita, ergo non est mors: in *Contradictorijs*, hoc est animal, ergo non est non animal. Hæc & similia omnia huic vni regulæ communi omnibus dissentaneis innituntur. Dixi autem non esse idem omnino, iuxta essentiam.

tiam. Quia fieri poteſt vt vnum diſſentaneorum ſecundùm eſſentiam dicatur de altero, quod in ſubordinatis omnibus prædicatis clarum eſt. Ideoque fit vt vnum ſit alterum, & habeat totam eſſentiam alterius. Vt homo eſt animal & habet totam eſſentiam animalis: ſed tamen homo & animal non ſunt eadem omnino quoad eſſentiam: quia nec hominis eſſentia, eſt animalis eſſentia, nec eſſentia animalis, eſt integra & tota eſſentia hominis. Quod idem in Accidentibus prout in Concreto ſumuntur, dicendum eſt. Vere enim dicas, Quantum eſt quale, ſed quantum quatenus eſt quantum, non eſt quale, id eſt, idem quod quale quoad eſſentiam.

A diuerſis nulla eſt quam inuenire poſſum peculiaris arguendi ratio: ſed quæ ab eis ducuntur omnes, communem diſſentaneorum formam quam priori Regula indicaui, ſequuntur.

De Oppoſitis in genere Regula generalis eſt hæc vna: *Si vnum oppoſitorum de aliquo dicatur, alterum de tonegari debet*, vt in *Diſparatis*, hoc eſt album, ergo non eſt viride; in *Aduerſis*, Euclio eſt auarus, ergo non profuſus. In *primarijs*, Hoc videt, ergo non eſt cæcum. In *Relatis*, hic eſt pater, ergo non eſt filius illius. Fit quidem ſæpiſſime vt quis ſit & pater & filius reſpectu diuerſorum, ſed nunquam fieri poteſt, vt ſit pater & filius reſpectu eiuſdem. Quod intelligendum eſt de patre & filio naturali. Nam ſi legalem patrem, & legalem filium intelligas, (Sphingis hoc tibi ænigma fortè videbitur,) idem legitimo matrimonio eiuſdem eſſe poteſt & pater & filius: imo quod adhuc magis mirere, Idem ſibi ipſi & pater legalis & filius eſſe poteſt. An hic Oedipo tibi opus cenſes? Torque te pauliſper, & poſtea ex typo ſubiecto hoc tam clarum eſſe conſpicies, vt vel Iaxus quiuis ſoluere poſſit.

Reg. 2. De Oppoſitis, in genere.



Clarum hinc est, B. & filium esse legalem D. & D. vicissim filium legalem B. itidem B. esse legalem patrem D. et vicissim D. esse legalem patrem B. et quia B. est pater legalis eorum omnium quibus D. ipsius filius est pater: D. autem pater est legalis B, ideo etiam B. est legalis pater sibiipsi. Similiter de D. dicendum. Iterum hinc sequitur & B esse filium legalem sibiipsi, & etiam eodem modo D. esse filium legalem sibiipsi. Pari modo de matribus illis duabus arguendum. Nam ex Typo liquet, & A quia nupsit D, esse nurum C. et vicissim C, quia nupsit B, esse nurum A. quare & A est & nouerca & nurus C. et itidem C est & nouerca & nurus A. Præterea quia A. est nouerca omnibus, quibus C. filia ipsius nouerca est; C autem est nouerca A, ideo etiam A est nouerca sibiipsi: quod idem pari modo de C. dicendum est. Et quia A est nurus omnibus quibus C. ipsius filia legalis nurus est; C. autem est nurus A. ideo A etiam erit nurus sibiipsi, quod itidem de C. dici potest. Ita fit vt idem sit & pater legalis, respectu eiusdem, & etiam filius: sed diuerso modo: & idem sit & respectu sui ipsius & pater & filius legalis, sed diverso modo & respectu diuersarum relationum quæ ipsis insunt. Sed torsi te iam satis diu. De patre & filio naturali (de quibus solum loquutus sum) certum est,

quod

quod nunquam idem reſpectu eiuſdem, & pater eſſe poteſt & filius.

A Diſparatis peculiaris ratio arguendi vt opinor nulla eſt, ſed illa ſequuntur regulas generales Diſſentaneorum & Oppoſitorum. Quod idem de Contrarijs in genere & de Contrariis in diuidendo tantum dici poteſt.

De Relatis, hæc regula eſt, *Relata inuicem ſe ponunt & perimunt.* Non eſt aliquod ſenſibile, ergo non aliquid quod poteſt ſentire. Quadratura circuli (id eſt, inuenire & demonſtrare quadratum, eſſe circulo æqualem,) eſt poſſibilis, ergo poteſt inueniri & demonſtrari. Ac multi quidem id aggreſſi ſunt. Bryſo quem refutat Ariſt. lib. 1. Demonſt. cap. 7. nu. 10. Et Antiphon, cuius Ariſt. meminit lib. 1. Phyſ. cap. 2. & Hippocrates, (Geometer ille præſtantiſſimus ſed in alijs rebus ſtupidus & plane ſtultus, vt teſtatur Ariſt. lib. 7. Ethic. ad Eudæm.) & recenti memoria Ioſep. Scaliger, vir in Mathematicis acutus: ſed nemo adhuc demonſtrationem huius inuenit, tamen quia ſcibile eſt, etiam ab aliquo ſciri poteſt. *Reg. 3. De Relatis.*

De Contrarie Aduerſis (quæ vulgo Contraria ſine vlla additione vocantur,) Regula eſt vna. *Contrariorum eſt contraria ratio, ſeu contraria Conſequutio,* nempe quoad proprietates, & propria effecta quæ ab iſtis contrariis proueniunt. Tradit hanc regulam Ariſt. lib. 2. Rhetor. ad Theod. cap. 23. & exempla hæc ſubiicit, Intemperantia eſt mala, ergo temperantia eſt bona. Si bellum, horum malorum cauſa eſt, per pacem hæc emendabimus. Si non eis qui inuiti obfuerint par ſit iraſci, certe nec iis qui inuiti profuerint, gratia eſt habenda. Si multa etſi hominibus credibilia ſunt, ſint falſa, ſequitur, multa etiam quæ hominibus incredibilia ſunt, vera eſſe. Hæc Ariſt. Ex hac regula ſequitur, Frigus congregat heterogeneas, ergo Calor eadem diſgregat. Albedo diſgregat viſum, ergo nigredo congregat; virtus eſt laudabilis, ergo vitium eſt vituperabile. Sanus habet iuſtam & debitam temperiem Corporis, ergo æger habet indebitam temperiem Corporis. Dixi autem conſequentiam valere *quoad proprietates & propria effecta, ab illis contrarijs prouenientia,* quod ſedulo & diligenter obſeruandum eſt. Nam in hoc vis tota huius Regulæ poſita eſt, vt ſi quis effectus, proprius, aut proprietas inſequatur vnum Contrariorum, Contrarius effectus proprius, aut contraria proprietas inſequatur alterum Contrariorum. Etenim niſi proprietates aut effectus propriorum quæ contraria ſunt accipiantur, ſed ea quæ ſunt vtrique Contrario communia, tam Regula nunquam valebit. Vnde hoc non ſequitur, prodigalitas eſt malum, aut vituperabile, ergo liberalitas eſt virtus, aut bonum, aut laudabile: quia, nec malum, nec vituperabile, ſunt proprietates prodigalitatis, ſed proprietates vtriſque Contrariis communes, tales nempe, quæ vitium, quod eſt genus vtrique commune, inſequuntur. *Reg. 4. De Contrarijs Aduerſe.*

Reg. 5. De contrariis Immediatis.

De Adverse Contrariis immediatis, regula est hæc vna. *Si vnum talium Contrariorum immediatorum non insit in subiecto capaci, alterum inerit.* Ratio euidens est, quia vnum eorum subiecto capaci semper inest: vt, hoc elementum non est calidum, ergo est frigidũ: hoc animal non est sanum, ergo est ægrum. Sed in contrariis mediatis hoc non valet. Non enim sequitur, hic pannus non est niger, ergo est albus; potest esse viridis, purpureus, fuscus.

Reg. 6. De Privantibus.

De Privantibus Regula est hæc vna. *Cuicunque subiecto habitus inesse potest ac debet, si ille non insit, priuatio eius inest;* & contra, *si priuatio non inest, habitus inerit*: vt aer non est luminosus, ergo est tenebricosus. Socrates non vivit, ergo mortuus est: homo non habet visum, ergo est cæcus.

Reg. 7. De Contradictorijs.

De Contradictorijs Regulæ sunt duæ, prior est hæc, *Contradictorium vnum de omni ente dicitur*: quicquid enim est aut esse potest, vel est homo, vel non homo, lapis vel non lapis.

Altera regula est hæc. *Contradictoria ambo de eodem subiecto dici nunquam possunt.* Ratio est quia tum idem & esset, & non esset, & duo contradictoria essent simul vera, quod est impossibile, vt sæpe ex Arist. docuimus & probavimus. Et hæ duæ Regulæ de Contradictoriis, sunt Axiomata omnium prima, quæ primo ab omnibus cognoscuntur, omnium verissima, omnium certissima, quia veritas & certitudo omnium aliorum ex istis pendet. Atque hæc Arist. docet lib. 4. Metaph. ca. 3. & 4.

Vsus Loci a Dissentaneis.

Vsum nunc huius loci vnico exemplo declarabo. Argumentum scis esse tritum. Mala nostra opera merentur ex condigno mortem & pœnam æternam, ergo bona nostra opera merentur vitam & gloriam æternam: vtitur hoc argumento Aquinas in 2. sentent. Dist. 27. q. 3. *Sicut se habet culpa*, inquit, *ad pœnã, ita opus virtutis ad præmium; sed culpa ex condigno meretur pœnam æternam, ergo actus virtutis ex condigno meretur vitam æternam.* Itidem Altisiodorensis in Summa aurea lib. 3. tract. 12. *Quoniam homo malis operibus ex condigno meretur mortem æternam, ergo cum bona opera magis sunt bona, quam mala opera sunt mala, multo fortius bonis operibus meretur homo vitam æternam ex condigno.* Eadem ratione vtitur Thomas Stapletonus lib. 10. de Iustit. ca. 6. *Agnoscitur iniquitas esse mortis æternæ verum & iustum meritum, ergo quoties bonis operibus iustorum promittitur vita æterna reddenda vt merces, intelligenda sunt esse veri nominis vitæ æternæ merita.* Eadem similiter habet Nich. Sanderus lib. 6. de Iustif. pa. 680. & pa. 683. Et reliquos eandem canere Cantilenam, agnoscit Gretzerus, *Quid*, inquit, [a] *probare niteris ex Aquinate & alijs quod vltro fatemur? quod palàm, priuatimque docemus?* Argumentum hoc specie innititur regulæ illi supra positæ, de Adversis, *Contrariorum est contraria ratio.* Sed revera multis de causis non innititur: neque ex hoc arguendi loco vllam vim

a *Labyrint. Creticohun. in destruct. Laby. 1. ca. 5.*

vim habet.

Primo, quia *non est inter bona nostra, & mala nostra opera perfecta contrarietas*: mala enim opera perfecte mala sunt, & ideo possunt perfecte mereri pœnam: at bona opera nostra sunt imperfecte bona, vt luce clarius demonstrant verba illa Isaiæ 64.6. *quasi pannus menstruata vniuersa Iustitia nostra.* Cauilletur hic Bellarminus quantum vult, & cum Vertumno, vertat se in omnes formas, non expediet vnquam illa verba, *Vniversæ iustitiæ nostræ*: Sed nec eludet vnquam verba illa Bernardi Serm. 5. de Dedicat. eccl. *Si ipsæ iustitiæ nostræ omnes, ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruata inveniuntur, iniustitia quales deinceps reputabuntur? Si lumen quod in nobis est tenebræ sunt, ipsa tenebræ quanta erunt?* Quare cum omnia nostra bona opera *imperfecte bona* sunt, non poterunt tam perfecte mereri vitam, quam mala nostra opera, quæ *perfecte mala* sunt, merentur mortem. *1. Exceptio de imperfectione.*

Secundo: putemus bona opera nostra perfecte esse bona, sunt tamen (nemine refragari audente) *admista multis imo infinitis malis operibus.* Clare, & hic iterum Bernardus [b], idque ex sensu, scientia ac conscientia omnium qui sunt aut fuerunt, *Anima nostra est onerata peccatis, irretita illecebris, puriens concupiscentijs, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo ignominiæ & confusionis plena.* An ille vitam æternam mereri potest, cuius dispendium, singulis momentis, singulis peccatis perfecte meretur? Vt vere ac proprie vitam mereretur, integre ac perfecte Deo obtemperare debuit, non vel latum vnguem ab illo vitæ tramite discedere. Sicut muscarum mortuarum vna, perdit integram vnguenti pigmentarij pixidem, ita parum stulutiæ, quanto magis Culleum, imo Chaos istud iniquitatis, meritũ omne obliterat vel suauissimi vnguenti: ipso Deo prædicente, Ezec. 18. 24. *Si averterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem, numquid viuet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non memorabuntur, in prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato quod peccavit, morietur.* Ita vel vnum malum opus, ad tartarum te deprimere potest: at centena millia bonorum operum (quibus vna illa mortua musca admixta est) in cœlum te levare nequeunt. Vt viueres & vitam promerereris, debueras perpetuo & inviolabiter *hoc facere*: vt moriaris, & mortem merearis, satis est, *quacunque die*, quacunque hora peccaueris. Audi tuum Aquinatem, meritorum maximum patronum. *2. exceptio de Admistione.* b *loc. cit.*

Quilibet, inquit, (c) *actus charitatis meretur absolute vitam æternam, sed per peccatum sequens ponitur impedimentum præcedenti merito, vt non sortiatur effectum.* Impedimentum vero non solum peccatum *sequens*, sed & *præcedens* omne; & obicem certe æternum poneret, nisi misericordiâ amoveatur: vbi autem misericordia, ibi c *Prima secund*, q. 114. art. 7.

non meritum. Vides nunc secundo disparem rationem in bonis nostris, & malis operibus; mala perfectè æternam mortem merentur, quia in eorum vnoquoque est *violatio legis*: bona (vt sint perfecta) mereri vitam non possunt, quia per *admissa mala* non est in eis impletio legis. Deberes igitur sic a Contrarijs arguere, mala opera quæ sunt *violatio legis*, merentur mortem æternam, ergo bona opera quæ sunt *impletio legis* sine vlla mali admissione, merentur vitam æternam. Tua vero aut humana opera bona, talia nulla sunt.

3 *exceptio ab ipso subiecto.*

Sed nec sic etiam ex bonis operibus meritum æternæ vitæ stabilire posses, ex hoc a Contrariis loco. Putemus Adamum non peccasse, sed integrum ad hunc vsque diem perstitisse iustè præceptum illud *Hoc fac*: An tu illum idcirco æternam vitam promeruisse censeres? an Deum in ius vocare posset quod operis sui mercedem quam meruerat denegaret? quod cœlestis paradisi incolam non faceret? Non posset; vt meritum quis ex operibus præterat, & meriti stipendium exigat, *nihil quidquam ipsum deo debere oportet*, ôpera & officia & *indebita*, & tanto stipendio *digna* præstare debet. Iam præmium vitæ æternæ, est durationè æternum, & infinitum; at illius, nostraque opera omnia, temporalia & durationè finita; inter finitum autem & infinitum nulla proportio. Deinde, ille nosque omnes, (totum dico humanum genus) tanto & tam indissolubili debito Deo obstricti sumus, vt si millies millena sæcula, ipsi integre ac sine vlla vel leuissima offensa seruiamus, etiam & durissima seruitute seruiamus, solvendo tamen aut satisfaciendo tanto debito, impares omnes omnino essemus. Debemus scilicet illi, nos nostraque: quicquid vel facere vel pati in illius obsequium aut honorem possemus, infinitis parasangis minus esset, debito nostro: Nam quod faciamus quidquam, quod facere possimus, imo quod vel omnino simus, ab eo & habuimus & habemus. Quomodo vero vnquam ei satisfacere poteris, qui te ex nihilo vt sis aliquid, fecit? imo vt sis homo, creaturarum fere omnium præstantissima, Deoque proxima, cum te ille lapidem, truncum, vilem vermiculum, aut coaxantem butonem efficire potuisset, nec tamen tu idcirco ei dicere posses, quare me sic feci sti? Audires statim, *An non habet potestatem figulus in lutum, vas qualecunque ipsi placet, inde formare? An non licet mihi quod volo facere de meo?* Audi Sanderum, qui pessime quamplurima, hoc vnum de Adamo recte, & laudo. *Qui, inquit, ex nihilo conditus, totum quod erat, quodque poterat, ei a quo totum acceperat in æternum debiturus, nec tamen vnquam parem gratiam redditurus fuisset, quomodo is ex eo quod semper sui debuit persolvendi causa Deo reddidisset, Deum interim sibi nova ac præsertim tanta gloria debitorem facere potuisset?* Certissime non potuit: nec quisquam omnino alius; Christo ipso omnibus dicente (e) *Cum fecerit*

d *lib. 6. de Iustific. ca. 6. pa. 662.*

e *Luc. 17. 10.*

omnia

omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus. Inutiles vocat, ad quidquam amplius promerendum a domino; Nam hoc ipsum *quod condidit*, quod *creavit*, instar stipendii, & plus quam stipendium omnibus est; hoc quia *præmissum* donavit nobis e Deus, stipendium vlterius ab eo neque mereri possimus, neque flagitare debemus. Quicquid vltra hoc, quod tam a prima creatione accepimus, vel donat Deus, vel daturum se promittit, *gratia* est, non *debitum*; *liberalitas* est, non *Iustitia*; gratis primum promittitur, & sic promissum, *iuste* quidem tum, ac vt *debitum* præstatur; sed vt *debitum ex pacto gratia*, non *ex operis dignitate*; vt debitum ex *gratioso promisso suo*, non ex vllo *merito nostro*. Quod si vel Adamus vel quis alius vere mereri quidquam apud Deum posset, fingendum est, eum aliunde creari, nihil quidquam Deo debere; & tum ad Deum accedere, ac cum eo stipulari de stipendio, pro eo servitio quod adhuc non debitum præstare vellet.

Quo tamen casu, quia tam delictum, quam obsequium *finitum* esset, nec illius pœna, nec huius præmium æternum iuxta iustitiæ normam exigeretur. Solus ex omnibus qui bene meruit, & æternam vitam meruit, solus inquam est Iesus Christus, Deus simul atque homo: *Indebitum* ille obsequium subire voluit; non tenebatur vel mori, vel legi obedire, vel nasci, aut naturam nostram suscipere. Officia hæc omnia *libera* erant, *indebita* omni modo erant, *de suo* erant non aliena, quare vere merita erant. Et quoniam is vere Deus erat, natura, bonitate, dignitate ac maiestate infinitus, ideo merita ipsius obedientiæ, obedientiæ ad mortem, ad mortem etiam crucis, infiniti plane valoris, tum ipsi tum aliis erant, tanti, vt Clemens 6. pontifex Rom. non vereatur Extrav. Commu. lib. 5. tit. 9. ca. *Vnigenitus*, suo decreto, inserere, *quod vel modica gutta sanguinis ipsius pro redemptione totius humani generis sufficeret.* Nec vero redemptionem, nobis solum ille a peccatis, a mortis ac gehennæ faucibus meruit; sed & *gratiam* Dei qua nos fide, spe ac charitate donati, pie ac sancte hic viuamus, & *gloriam*, immarcessibilem inquam illam gloriæ coronam, qua æternum cum ipso, in cœlesti regno perfruemur. Hæc omnia illius sunt, & eius solius merita, Nos merita nostra nulla alia scimus, quam quæ Bernardus rectissime celebrat, *Meritum meum est Miseratio Domini.* Serm. 61. in Cantic.

Vides hic, tertio modo tuam hanc a Contrariis argutiam verius quam argumentum claudicare, quia nos *tales sumus* vt mortem æternam iustissime mereri, at vitam æternam mereri nullo modo possimus: vbi vero subiectum tale accipitur, quod tam vere possit bonis suis operibus æternam vitam mereri, quam nos mortem æternam vere meremur, tum recte probes illius opera bona æque

mereri

mereri vitam æternam, ac nostra merentur mortem æternam. Talis quia neque est, neque vnquam fuit aut esse potest præter Iesum Christum, ideo si recte a contrarijs arguere vis, ita concludendum est. Mala opera *eorum*, a quibus *solummodo bona* debentur, & a *finita* creatura infinito Creatori debentur, & *in æternum* debentur, vere ac proprie merentur mortem æternam; ergo Bona opera, & nulla *nisi bona*, præstita *ab eo* a quo nulla *debentur*; cuiusque opera quia ipse *infinitus* est, vere infiniti valoris ac meriti sunt, vere ac proprie merentur vitam æternam.

Sed arguere a meritis *nostrorum* operum quæ mala sunt, ad merita *nostrorum* operum quæ bona sunt, enervat, imo penitus tollit totã vim regulæ suprapositæ, quia illud *Nostrum* additũ malis operibus, facit ea verissime mereri mortem æternam. Primo, quia *imperfecte bona* sunt. Secundo, quia *malis operibus admista*. Tertio, quia sunt *debita*. Quarto, quia *non sunt infiniti valoris*: vbi autem præmium infinitum, & meritum ac pretium infiniti valoris esse debet. Sed diutius hic te detinui, ne graueris tamen. Certe enim hoc, operæ pretium erat; argumentum hoc & vbique obvium, & pluribus quam quis opinetur spinis implicatum; erunt tibi hæc olim vsui, & quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.

Ac de loco arguendi a Dissentaneis, hæc satis multa.

Cap. XII.

De loco nono arguendi, qui est a Comparatis, Paribus, vel Similibus, itemque ab Exemplis.

Comparata.

SEquuntur nunc loci arguendi a **Comparatis**. *Comparata sunt, quæ inter sese comparantur*; & quia sæpe euenit, vt eorum quæ comparantur, vnum sit quoad veritatem notius altero, ideo ex eo quod notius est, quodque verum esse asserimus, probatur illud quod est ignotius, itidem verum esse. Comparatio autem fit duobus modis, primo inter *Paria*, quando est *eadem par, similis*, aut *æqua ratio in vtrisque quæ comparantur*; vt par est ratio, quare Socrates sit rationalis,

nalis,& quare Plato. Secundò inter *Imparia*,vel *Maiora*, vel *Minora*, quando *disparest ratio inter ea,quæ comparantur*, sic vt vel maior sit ratio,vel minor,quare vnum insit quam alterum.

De vtrisque hoc communiter observandum est, Argumentum tum duci a Comparatis, *quando vna pars maioris propositionis comparatur cum alia, vel in paritate rationis vel in Imparitate.* Ipsa autem Comparationis nota, Indicium est, argumentum tale ab hoc,a comparatis loco duci. Nam quia hæc omnia argumenta formam sequuntur Syllogismi Hypothetici Conditionalis, in quem etiam resolui possunt, (Nota enim comparationis vim habet conditionis in arguendo) ideo in his regula nostra Fundamentalis non tam stricte observatur. Et quoniam Consequentia in his facilis est & conspicua, ideo de istis non aliam regulam arguendi tradi necesse est, quam quod *ex ipsa nota Comparationis dijudicari debeant.* Agendum est autem 1.de comparatis *Paribus*, qui est *nonus* arguendi locus. *Argumentũ a comparatis, quid.*

Quod ad Regulas ab hoc loco arguendi a Pari spectat, vna est generalis,quæ est ista: *De paribus par est Iudicium*; vel *Parium, par est ratio.* *Regula generalis.*

Quoniam autem comparatio in paritate rationis,fit tribus modis, vel cum *vnum duobus*, vel cum *duo vni*,vel cum *duo duobus* inesse dicuntur pari ratione,ideo de hoc loco tres sunt speciales, eæque faciles ac perspicuæ Regulæ.

Si par sit ratio cur vnum aliquod duobus insit, tum si vni eorum non inest, aut convenit, neque alteri inerit aut conveniet. sin vni inest, aut convenit, inerit vtrique: vt par est ratio, quare homo sit animal, & quare Brutum sit animal: at homo est animal,ergo pari ratione etiam brutum. Hoc argumenti genere, quidam Græcus histrio argute refutavit stultitiam Maximini Imperatoris, qui cum esset grandi & robusto valde corpore, ideo se prope immortalem esse nec posse occidi stulte opinabatur: vt narrat Iul. Capitolin. in eius vita. Histrio in scenam prædixit præsente Imperatore, & hos versus recitavit. *Reg.1.*

Qui ab vno non potest,a multis occiditur,
Elephas grandis est & occiditur,
Leo fortis est & occiditur,
Tigris fortis est & occiditur:
Caue multos,si singulos non times.

Idem est acsi dixisset, par est ratio cur Maximinus occidi possit, atque cur Elephas,Leo, & Tigris: at illi occiduntur, ergo ille potest & occidi & moti.

Si par sit ratio, cur duo alicui vni tribuantur aut insint, & vnum eorum *Reg.2.*

eorum non inſit, neque inerit alterum: ſin vnum inſit, vtrumque inerit: vt par eſt ratio, quare Temperantia ſit laudanda & amplectenda, & quare Iuſtitia: at Iuſtitia omnibus colenda eſt, igitur & Temperantia.

Reg. 3. *Si par ſit ratio quare hoc prædicatum conueniat huic ſubiecto, & cur illud conueniat alteri, tum ſi hoc huic non conuenit, nec illud alteri conueniet: & ſi hoc conuenit huic, & illud alteri conueniet*: vt par eſt ratio quare diſcipulis Chriſti liceret ſpicas vellere vrgente neceſſitate, & quare Dauidi ipſiuſque militibus licuit panes propoſitionis vrgente neceſſitate comedere: at Dauidi ipſiuſque militibus hoc poſterius facere licuit, ergo etiam Chriſti diſcipulis licuit, prius illud facere.

Argumenta a Similitudine, huc ſpectant. Plin. lib. 10. ca. 67.

Ad hunc locum ſpectant omnia argumenta a ſimilitudine ducta. In illis enim, *duo duobus ſemper conferuntur*, quare illa ad tertiam regulam antepoſitam referenda ſunt: vt, ſimilis eſt ratio tempeſtatis ad navem, ac ſeditionis ad rempub. at tempeſtas naui periculoſa eſt, ergo ſeditio reipub: vt Salamandræ *nunquam niſi magnis imbribus proueniunt, ſereni tate* deficiunt, ita multi ſunt, qui reipub. ſtatu, bello aut ſeditione turbato oſtendunt ſe qui ſint, & quo in rempub. animo; ijdem rebus pace compoſitis, tabeſcunt, moriuntur. Sic illud Virgilii eclog. 5. *Tale tuum Carmen nobis, diuine poeta, quale ſopor feſſis in gramine*: & infinita huius generis, quæ omnia veriſſime argumenta a *Pari* ſunt. Sed in his obſervandum eſt verum eſſe quod vulgo dicitur, *Nullum ſimile currere quatuor pedibus*, id eſt non eſſe in omnibus ſimile aut æquale ei quod confertur. Satis eſt ad vim argumenti ſi in ea parte, in qua comparatio fit, ſimilia ſint. Sin in eo diſſimilia eſſe doceantur, vis tota argumenti penitus enervatur, vt recte monet Ariſt. lib. 2. Rhetor. ad Theod. ca. 25. Quare inepta eſt ratio illa qua Bellar. [g] aliique vtuntur, quia *Rex vnus eſt in apibus*, ideo *in vniuerſa eccleſia debere ſimiliter eſſe vnum ducem, doctorem, primarium, & viſibilem Monarcham*. Nam eccleſia vniuerſa non eſt in hoc, ſimilis vni Alueario, ſed ſingulæ particulares prouinciæ, aut ſingula regna, ſimilia ſunt ſingulis aluearijs: vt ergo diuerſis Aluearijs præſunt diuerſæ apes, itidem diuerſis regnis, diuerſi reges, diuerſis diocæſibus diuerſi epiſcopi: ſed vt omnes apes per vniuerſum orbem, non confluunt ad *vnum alueare*, nec vnam *papalem apem* venerantur, itidem nec debent omnia regna, vnum Temporalem regem, nec omnes eccleſiæ particulares, vnum aliquem viſibilem Monarcham agnoſcere.

g *lib. 1. de Pont. ca. 2 ſect. Dauid; & ſect. Sed.*

Fabulæ & Apologi.

Spectant huc etiam *fabulæ*, & *Apologi*, quæ reuera nihil aliud ſunt quam *ſimilitudines*. Tales ſunt Æſopi notiſſimæ ſed vtiliſſimæ fabulæ. Sic autem arguit Æſopus (& veriſſimè in illis omnibus poetam agit,) Qui doctrinam aut virtutem, diuitiis aut voluptati poſtponit, perinde facit vt gallus gallinaceus, qui granum hordei

gemmæ

gemmæ antepoſuit: at gallus iſte ſtultiſſimus fuit, ſtultus igitur eſt alter. Poeta ſolum *minorem* exprimit, *maiorem* attexendam, & *concluſionem* inde inferendam, prudentiæ lectoris relinquit. Idem in aliis omnibus huius generis fabulis arguendi modus. A pati omnes ducuntur.

Spectant etiam ad hunc a Pari locum Argumenta omnia in quibus *vnum coniugatum, aliquid de altero arguit.* Ea enim omnia vere a pari ducuntur. Etenim a Coniugato ad Coniugatum alter non poteſt argui, quam ſub comparatione vnius cum altero in paritate rationis. Et ſemper in maiori propoſitione expreſſe vel implicite ponitur, quod *par ſit inter iſta ratio*: vt hic, auaritia eſt vitium: ergo auarus eſt vitioſus; appone maiorem, & erit iſta: par, ſimilis aut eadem eſt ratio avari ad vitioſum, atque eſt auaritiæ ad vitium. Sic & hoc. Corpus eſt quantitas, ergo corporeum eſt quantum. Sic & hoc. Omne quod fit iuſte, fit bene, ergo omnis qui facit iuſte, facit bene. Has atque ſimiles omnes rationes a *Pari* duci certum eſt. Nituntur enim omnia huic Regulæ, *Par eſt ratio huius coniugati ad ſuum coniugatum, atque eſt illius ad ſuum*; quæ nihil aliud eſt, quam *concluſio* deducta ex illa generali de Paribus regula, Parium eſt par ratio. Scio vulgus Logicorum longe ſecus ſentire; & locum a coniugatis conſtituere vt diſtinctum locum arguendi ab illis omnibus, & ab hoc ipſo quem nunc tractamus a Pari. Sed ego nullum omnino exemplum, poſt longam ac ſeriam huius rei conſiderationem, inuenire potui, in quo aliter a coniugatis argumentum formetur, quam eo quem iam dixi modo. Quare induci non poſſum vt locum a coniugatis diſtinctum arguendi locum faciam, paratus tamen ſententiam tum mutare cum certa ratione liquere poſſit, aut aliter a coniugatis argui, aut eſſe argumenta aliqua in quibus vnum coniugatum ſit medium, & alterum ſit maius extremum, vt ſic ex habitudine illa coniugati ad ſuum coniugatum aliud concludatur. Fruantur per me alij ſuo iudicio; non repugno. Dent itidem illi mihi veniam ſi rationem ducem ſequar, nec me abripi ſinam (vt multi ſolent) opinionibus receptis ac vulgaribus, vbi ratio contrarium euidenter perſuadet.

Argumenta quæ vulgo a Coniugatis duci putantur huc ſpectant.

Ad hunc eundem locum ſpectant *argumenta omnia ab exemplis.* Nam in omnibus illis hoc ſupponitur, *parem eſſe rationem* cur hoc tibi, aut huic, aut illi liceat & conueniat, atque eſt cur liceat aut conueniat ei quod pro exemplo adducitur: vt Dauid vir deo charus non tulit impune homicidium, & adulterium, ſed grauem vtriuſque ſceleris pœnam ſuſtinuit: nec tibi igitur pucato ſimilia flagitia impune futura: recte monet Ovid. *Cum ſciunt vnum, non vnum fulmina terrent.* Æneas ob pietatem in parentes, in patriam, ob virtutem quam in omni vita exercuit, merito celebratur & fama ſuper æthera notus eſt: tu igitur ſi eandem ſemitam virtutis calcabis, eo-

Argumenta ab exemplis huc ſpectant.

h *lib 3. de Ponto, eleg. 2.*

dem honore fulgebis, & super astra ferreris. Frequens est apud oratores hoc arguendi genus ab exemplis. Nam & *per exempla & fabulas, res facilius discitur*, teste Aristotele i, & nulla re facilius homines ducuntur quam aliorum exemplis. Pietique omnes eo ingenio sumus, vt quod ab aliis fit, id nobis licere arbitremur. Hinc Miles apud Comicum, *Hoc ipse Pyrrhus facit anus.* Hinc apud poetam, Didoni soror ipsius Anna, *Volane perpetua mœrens carpere iuuenta, Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?* Ita scilicet res est, exemplis magis commoveri solent homines quam vel oratione vel ratione; & aliorum facta nostris patrocinia esse putamus; eoque magis, si quis aut eminentiori loco ac dignitate sit, quem pro exemplo habent (nam in (l) *vulgus maxant exempla regentum,*) aut si propinqui nobis ac chari: *Si m damnosa senem iuvat ala, ludet & hæres bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.* Quare magnopere & parentibus, & viris omnibus principibus cauendum est, ne suis vitiis, aut exemplo viam aliis ad nequitiam præeant. Certe enim tales *plus exemplo quam peccato nocent*, vt vere Cicero: (u) nam vulgus hominum quasi pedibus it, & impingit in abominationes primatum; nec minus vere de aliis Iuvenalis: p *Velocius & citius nos Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis cum subeant animos autoribus.* Vnus aut alter forsitan hæc spernant iuvenes, quibus arte benigna, & meliore luto finxit præcordia Titan. *Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt, & monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.* Quare lubricus valde & infidus est hic ab exemplis arguendi locus. Quo rectius certiusque hic pedem figas, & scias vbi & quomodo aliorum vestigia premenda sunt, quatuor regulas tibi propono.

i 1. Ii *problem. sect.* 18. nu. 3.
k Æneid. lib. 4.
l Claudian.
m Iuven. Satyr. 14.
n lib. 3. de Legib. pa. 336.
o Loc. cit.

Reg. 1. *Exemplum illius qui errare a recta via non potest, sine omni metu aut hæsitantia sequendum est, in iis omnibus quæ ille vt communis cum aliis officia præstitit.* Talis autem nemo hominum vel est: vel vnquam fuit, erit ve, præter Iesum Christum dominum nostrum. Quicquid ille in iis quæ ad nostra officia spectant fecit, nobis etiam faciendi est. Hinc illud Iohan. 13. v. 15. & seq. *Exemplum ego præbui vobis, vt sicut ego feci, ita & vos faciatis.* Sic 1. Pet. 2. 21. *Christus reliquit nobis exemplar vt illius vestigia insequamur, Conviciis affectus, non vicissim conviciabatur: Cum malis afficeretur, & iniuriis, non minabatur, sed committebat causam suam ei qui iuste iudicat.*

Reg. 2. *Aliorum* p *omnium* q *etiam sanctissimorum exempla, sunt imitanda cum hac limitatione, quoad, & quatenus illorum actiones a norma legis non deficiunt, aut in quantum laudanda & approbanda sunt.* Docet hoc Apost. 1. Cor. 11. 1. *Imitatores mei estote*, (sed cum hac cautione) *sicut ego sum Christi*; & recte in hanc sententiam Seneca r *Optimum maiorum sequi vestigia si recte præcesserunt.* Quin & lex Imperatoria s idem docet; *Nam tam spectandum quid Roma factum est, quam quid fieri debeat.*

p Seu, *in sensu* q F. *De offic. Præsid. L.* Sed licet.

Facta

Facta aliorum, quæ privilegio quodam illis vel mandata a Deo sunt, Reg. 3.
vel indulta, idroque in illis laudanda fuerunt, non sunt in imitationem
aut exemplum ab aliis trahenda. Privilegium enim est privata lex aut concessio alicui contra ius commune facta. Vt Isiod lib. 4. Etymol. cap. 18. et alij testantur. Nam antiqui *Prima* dixerunt, quæ nos *singula*, aut *propria* dicimus, vt ex Lucilio declarat Aul. Gell. lib. 10. cap. 20. Hinc illæ Regulæ (r) iuris, *Privilegium personale per-* (r) *Sext. De*
sonam sequitur, & extinguitur cum persona; et, *Quod alicui gratiose* *cret. Regul. 7.*
conceditur, trahi non debet in exemplum. Et *Privilegium* (s) *vni conces-* & 74.
sum, non potest ad alium extendi propter identitatem rationis. Hinc est, (s) *Extr. de*
vt ista non sequantur, Abrahamus filium offerre in sacrificium vo- *Privil. cap. 9.*
luit, & recte in eo fecit, ergo & hoc tibi licet. Licuit Ehudi occidere Eglonem regem, ergo & tibi licèt regẽ cui subiectus es occidere.

Si factum cuius quam a lege aut regula ratione discrepet, non est ab Reg. 4.
illo in exemplum trahendum. Recte Cicero: *Errant qui quod exemplo fit iure fieri putant.* Et quamuis vulgo dicatur, *Viuitur exemplis*, vere tamen dicitur, *vinculum est legibus.* Sinite me hoc vnico exemplo illustrare. Exhibuit Angelo vt scitis Iohannes Apostolus, religiosum cultum. Apoc. 19. 10. et 22. 8. *Procidi*, inquit, *ante pedes eius vt adorarem eum*, (Adoratione nimirum Deo debita, vt recte docent tum Augustinus. Quæst. 61. in Genes. & lib. 20. contra Faustum, cap. 21. cum Aquinas secunda secundæ, quæst. 84. art. 1. alijque. *Sed dixit mihi*, *Vide ne feceris, Conservus enim tuus sum, Deum adora*: Latriam, ac religiosum Cultum, non homini, non Angelo, non vlli creaturæ, sed Deo soli tribuendum esse, beatissimus ipse Angelus profitetur. Risi profecto hic sæpissime Bellarminum, qui lib. de Sanct. beat. cap. 24. sect. Ad quartum, ita hoc argumentum eludere se posse putauit. *Dico*, inquit, *hoc* (quod de Iohanne & Angelo scribitur) *esse pro nobis. Nam vel Iohannes putauit eum qui sibi apparuit esse Deum vel Angelum: Si Deum, merito reprehensus est. Si Angelum esse putauit*, (& sic vere putauit; eumque sic putasse sentit Bellar. ibidem sect. Secundo) Si inquit, *Angelum esse putauit & tamen adoranit, cur nos reprehendimur qui facimus quod fecit Iohannes? Nam melius Iohanne norunt Caluinistæ, sinite Angeli adorandi.* Bellum sane hominem, & facetum, quitam belle ab Exemplo arguit. Vobis igitur licet pari patrocinio Abrahami, & Iacobi, mentiri, & æquiuocatione fallere? & Augustino (t) monenti, *nulla* (t) *Lib. de men-*
exempla mendaciorum, imitationi digna in moribus fallisue sanctorum *dac. cap. 21.*
inuenti, opponite Bellarminianum hoc scutum, An melius Abrahamo & Iacobo nouit Augustinus, sine mentiendum? Si forte Caluinianus quis Alexandum sextum Cæsaris Borgiæ patrem, * *Ex Pontano* reprehendat, quod *Lucretia & filia ipsius & sponsa audiat*, iux- *cit Cyp. Valer.*
ta notum illud Epitaphium, * Hoc iacet in tumulo Lucre- *lib de Papa. pa.*
tia nomine, sed re Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus; 135.

habet ex Bellarmino, quo se tueri potest: Fecit idem Lotus, an melius Loto norunt Caluinistæ, sitne incestus perpetrandus? Legent fortasse apud aliquem Caluinianum de Iohanne 12. quem in αὐτοφίρῳ a dæmone percussum narrat Litprandus (a): De Innocentio 8. tam fælice patre, vt illius soboles Epigrammate (b) hoc decantata sit, Octo recens pueros genuit, totidemque puellas. Hunc merito poterit dicere Roma patrem. De Iulio 3. qui Innocentium (c) quendam (inuenculum licet) quòd huic Romano Ioui Ganimedes esset, Cardinalitio galero decorauit. De Leone 10. Atheismo præter alia nobilitato, cuius iam morituri detestanda illa ad Card. Bembum vox in ore multorum fertur (d), O quantum nobis profuit hæc de Christo fabula. De cæteris etiam apud Caluinistas forte legant, vel illud ex Mantuano (e).

Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cynædis
Seruit, honorandæ diuum Ganimedibus ædes.

Vel illud ex Orichouio (f). *Questus hic est vberrimus, Scorta Romæ quotannis tributa conferunt*: earum (g) *censum cum anno ab hinc sexto ageret præfectus lictorum vrbis, censa sunt meritricum capita quadraginta quinque millia.* Vel illud ex Honorio Augustodunensi (h), *Verte te ad Clerum, videbis in eis bestiæ tentorium, sacerdotium per immunditiam polluunt. Contemplare Monachorum Conciliabula, & videbis in eis bestiæ tabernacula: plerique illorum gulæ & illecebris dediti, quidam in immunditiæ sordibus computrescunt. Aspice habitacula monialium: Cernes in eis bestiæ præparatum thalamum; Hæ a tenera ætate impudicitiam discunt, velo se operire festinant, quo magis fræna luxuriæ laxare queant: omnibus fornicarijs peius prosternuntur.* Hæc & similia forte apud aliquos Caluinistas legas. Ne metue ab his Caluinistarum obiectiunculis; neque vero necesse habes in illis tritis & detritis, effugia quærere, *quod sit (i) aliqua honesta fornicatio*, aut, *quod adulterium inter minora (k) crimina ab* Alexandro 3. censeatur; quod peccatum leuius (l) sit *Sacerdotem scortari, & concubinam fouere, imo plurimas (m) domi meritrices alere quam matrimonium contrahere.* Obsoleta hæc sunt; nec satis tuta subterfugia. En tibi, habes hic a Bellarmino, vere Aiacis clipeum, quo hæc, aliaque omnia nefanda scelera, facilime tueri poteris. Dices, nunquid aliud faciunt, quam quod olim fecit patriarcha, atque propheta? Num melius Dauide norunt Caluiuistæ vtrum scortatio & adulterium perpetranda sint? Voluit (opinor) Bellarminus, Asylum hic improbitati condere. Quod homicidium, sacrilegium, blasphemia, fandum aut nefandum flagitium, non sub hoc noui Aiacis clipeo patrocinium inueniat? Habes inter Pontifices Rom. qui in omni flagitiorum genere insigniter tibi viam præeant. Si Caluinianus quis

(a) *Lib. 6. cap. 11.*
(b) *Ex Marcel. citat. Cyp. Valer. lib. cit. pa. 130.*
(c) *Cyp. Val. pa. 163.*
(d) *Ibid. par. 150.*
(e) *Lib. 3. de calamit. temp.*
(f) *Stanisl. Orichou. orat. de Cælibatu habita in Concilio. pa. 110.*
(g) *Ibid pa. 108. & 189.*
(h) *Dial. de prædest. & lib. arbit. in medio.*
(i) *Causa 31. Ca. Hac ratione.*
(k) *Cap. Etsi Clerici. extr. de Iudicijs.*
(l) *Fr. Coster. Enchyr. cap. de Cælibat. propos. 9.*
(m) *Vox Card. Campegij in conuentu Norimberg. ann. 1524. apud Ioh. Sleid. lib. 4. comment.*

quis forte obmurmuret, aut male a te factum esse contendat, Scutum hoc arripe; vno hoc Bellarminiano spiritu, dissipabis integras Caluinistarum legiones, quasi ventus folia aut pannicula tectoria. Num tu Caluinista, tu novus morum censor, melius nouisti vtrum Blasphemiæ, Sacrilegia, parricidia, & flagitia alia perpetranda sunt, quam sanctissimi Romani Pontifices, quam orbis Iudices? Cæterum vnus hic restat scrupulus, quem eximi a Bellarmino oportuisset, vtrum nimirum grauius delinquant Papistæ, qui id faciant quod illicite, vel Angelo Iudice, fecit Iohannes, an Caluinistæ qui id in eis reprehendunt, quod in Iohanne beatus Angelus iustissime reprehendit. Sed satis opinor nunc intelligis, nullius ne optimorum quidem facta in exemplum trahenda, si a lege exorbitent.

Atque hæc de Loco arguendi a Pari.

CAP. XIII.

De Loco decimo arguendi, qui est a Comparatis Imparibus, nempe vel a Maiori ad minus, vel a Minori ad maius.

SEquitur decimus arguendi Locus, qui est a Comparatis Imparibus. Comparatio autem hæc fit duobus modis, vel a *Maiori ad minus*, vel a *Minori ad maius*. Argumentum ducitur a Maiori ad minus, *quando inter duas partes Maioris propositionis, talis est comparatio vt maior ratio sit quare vnum ita sit, vt esse asseritur, quam quare alterum.* Ex quo fit vt argumenti a *Maiori ad minus* duæ sint Notæ ac indicia: prior, quod in eo semper vel expresse vel implicite ponitur hæc aut similis clausula in maiori propositione, *Maior est ratio* aut *magis est probabile*, aut *magis est verisimile* hoc esse quam illud. Secunda, quod omnia argumenta a Maiori ad minus concludunt *negatiue*, cum hac vel simili clausula, *multo minus*. Semper enim quia negatur in eis id esse verum quod est magis verisimile, ideo concluditur negandum, id esse verum, quod non est tam probabile aut verisimile. Huius autem Loci vnica est Regula.

Argumentum a Maiori ad minus quid.

Si e duobus, magis verisimile sit, aut maior ratio sit cur hoc sit, aut insit alicui, quam illud; tum si hoc non sit, aut non insit, neque erit aut inerit alterum: Vt maior ratio est cur homicidæ, quam regicidæ venia donentur: at homicidæ venia nulla danda est. Ergo multo minus

Reg. 1.

minus regicidæ: magis verisimile est Satrapam posse amatorios sumptus sufferre quam te; at Satrapas si sier, amatorios sumptos istos non ferat. Ergo multo minus tu poteris. Ita arguunt fratres Iosephi; magis verisimile est, nos pecuniam saccis imposicam nobis relaturos, quam aurum de domo domini furto susceptu os; at prius non fecimus, sed pecuniam illam reportauimus, ergo multo minus hoc faceremus.

Similiter Christus Ioban. 3: 12. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis? Eadem autem omnino est ratio, a Maiori ad minus, siue vnum duobus, siue duo vni, siue duo duobus conferantur, vt non necesse sit multoties eadem Regulam repetere.

Argumentum a Minore ad maius quid.

Argumentum ducitur a *Minori ad maius* quandocunque *vna pars maioris propositionis, ita alteri comparatur vt minor sit ratio cur vnum verum sit, quam cur alterum.* Ex quo sit vt duæ etiam sint huius argumenti, a Minori *nota*. Prior, quod semper in maiori propositione vel expresse vel implicite ponatur hæc aut similis clausula, *Minor est ratio, minus est probabile*, aut *minus est verisimile*. Secunda, quod omnia argumenta a Minori ad maius, concludunt *affirmative* cum hac aut simili nota, *multo magis*, aut a *fortiori*: nam quia in his id asseritur, ineste aut esse verum quod minus est verisimile, ideo a fortiori concluditur, id ineste aut esse verum quod est magis verisimile. Huius argumenti est vnica etiam Regula.

Reg. 1.

Si duo inter se comparentur, & minor sit ratio quare hoc insit aut sit verum, quam illud; tum si hoc insit, aut sit verum, *multo magis alterum inerit, aut verum erit*: vt minus est verisimile, quod dominum persequentur, quam seruos, at me dominum vestrum persequuti sunt, ergo a fortiori, vos meos seruos; persequentur. Iterum, minus est verisimile, Deum prospecturum esse volucribus cœli, aut lilijs agri, quam hominibus electis, sibique dilectis; at volucribus & lilijs agri prospicit Deus, multo igitur magis vobis prospiciet. Et minus verisimile est Deum daturum vnicum suum filium nobis, quam victum & vestitum & ea quæ sunt vitæ necessaria. At filium suum dedit nobis; annon igitur multo magis cætera prout ex vsu nobis futura scit, suppeditabit? Eadem est autem arguendi ratio a Minori ad maius, siue vnum duobus, siue duo vni, siue duo duobus comparentur. Quare non est necesse in singulis regulam antepositam repetere.

Cap.

Cap. XIIII.

De Loco vndecimo a Distributione seu Diuisione.

VNdecimus Locus est a Distributione. Est autem distributio, *totius in suas partes diuisio.* Ex quo fit vt sicut tria sunt *totius* genera, itemque tria genera *partium*, ita est etiam triplex distributio; prima *totius vniuersalis, in partes subiectiuas.* Vt cum animal diuiditur in hominem & brutum. Secunda *totius essentialis in partes essentiales.* Vt cum homo diuiditur in animal & rationale. Tertia *totius integralis in partes integrantes*, vt cum homo diuiditur in caput, brachia, tibias pedes, &c. In singulis autem his dupliciter argui potest, vel a *distributo*, ad membra distribuentia: vel a *membris dividentibus* ad ipsum distributum. Quomodo pari modo argui solet a definitione ad definitum, & contra a definito ad definitionem; de vtroque genere (vtrumque enim sub hoc Distributionis nomine complectimur) sigillatim agemus: Primo de Distributo, tum de membris distribuentibus. *Distributio quid.*

Argumentum ducitur a Distributo, *quodcunque Medium est distributum in quocunque genere distributionis, & maius extremum est ipsa distributio, vel membra in quæ fit distributio.* Similiter Argumentum ducitur a membris distribuentibus, *quando Medium est ipsa distributio, vel membra distribuentia in quocunque genere distributionis, & maius extremum est ipsum distributum.* Hoc in omni genere distributionis perspicuum ex Regulis fiet. *Argumentum a Distributo.* *Argumentum a membris distribuentibus, quid.*

Regulæ de Toto *Vniuersali*, aut distributo vniuersali sunt hæ duæ.

Cuicunque vllum totum vniuersale seu distributum vniuersale conuenit, ei aliquod membrum in quod tale totum distribuitur, conuenire debet si distributio sit perfecta: vt hoc est animal perfectum in specie, ergo est homo vel brutum. Quod si vnquam eueniat vt Distributum conueniat vlli cui nullum membrum distributionis conuenit, certum est talem distributionem mancam ac mutilam tum fuisse: vnde non sequitur, hoc est animal, ergo est vel homo vel brutum, *Arg. A Toto vniuersali, Reg. 1.*

quia potest esse embryo, informatus iam anima sensitiua, neque tamen adhuc vel anima rationali vel irrationali.

Reg. 2. *Cuicunque vllum totum vniuersale, seu distributum vniuersale non conuenit, eidem nullum membrum, distributus illud totum, conuenire potest*, vt hoc non est substantia completa, ergo nec est Corpus nec spiritus.

Arg. a Partibus subiectiuis. Regulæ de partibus subiectiuis seu membris quæ distribuunt totum vniuersale, sunt duæ.

Reg. 1. *Cuicunque conuenit vllum membrum, seu pars subiectiua totius vniuersalis, eidem & distributum ipsum seu totum vniuersale conuenit*, vt hoc est vel ignis vel aer, ergo est elementum: sic, quicquid vel est homo vel brutum est animal, equus vel est homo vel brutum, ergo est animal.

Reg. 2. *Cuicunque nulla pars subiectiua, seu membrum in distributione conuenit, eidem neque distributum ipsum conuenire si perfecta fit distributio.* Vt quod non est vel quantitas continua vel discreta, illud non est quantitas. Instans aut punctum neque est quantitas continua, neque discreta, ergo non est quantitas.

Distributio Analogi huc spectat. Ad hoc distributionis genus spectant argumenta ex omnia quæ in *distributione Analogi in sua analogata* ducuntur, vel a *diuiso analogo* ad membra analogata, vel a *membris analogatis* ad analogum diuisum. Quia eadem est & par plane ratio arguendi ab eis, vt a toto vniuersali ac partibus subiectiuis. Tales sunt hæ. Hoc est vniuersale, ergo est vel genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens; hoc non est vel substantia prima vel secunda, ergo non est substantia completa.

Arg. a Toto essentiali. Arguendo a toto essentiali ad partes essentiales eius, regulæ sunt duæ. prima, *Cuicunque conuenit totum aliquod essentiale, eidem omnia membra, seu partes essentiales in quas illud totum distribuitur conueniunt*, vt hoc est homo, ergo est & animal & rationale.

Reg. 1.

Reg. 2. *Cuicunque non conuenit distributum essentiale, eidem non conueniunt omnes partes essentiales illius distributi*; aliquæ quidem conuenire possunt, sed non omnes. Vnde recte sequitur, hoc non est viuens, ergo non est mistum & animatum.

Arg. a partibus essentialibus. Arguendo a partibus essentialibus, seu membris distribuentibus totum aliquod essentiale, ad illud totum vel distributum, duæ item sunt regulæ. Prima, *Cuicunque partes omnes essentiales, seu membra distribuentia vllum totum essentiale conueniunt, eidem illud distributum, seu totum essentiale conuenit.* Vt hoc est substantia & incorporea, ergo est spiritus.

Reg. 1.

Reg. 2. *Cuicunque partes omnes essentiales, seu membra distribuentia totum aliquod vniuersale non conueniunt, eidem totum illud seu distributum non*

conuenire non potest. Vt, hoc non est & corpus & animatum, ergo non est viuens.

Arguendo a toto integrali ad partes integrales quæ sunt membra distributiua, duæ sunt regulæ; prima, *Posito toto integrali, ponuntur omnes partes integrales illius.* Vt hic est totus & integer homo; ergo habet & caput & brachia & pedes, & alia omnia membra. *Arg. a toto Integrali.* *Reg. 1.*

Sublato toto integrali tolluntur omnes partes integrantes ipsius. Vt homo non est, ergo neque est caput neque manus, neque pes, vel vlla pars humani corporis: desinunt enim esse hominis partes, mortuo homine, & incipiunt esse partes cadaueris? *Reg. 2.*

Arguendo a partibus integrantibus ad totum integrale, duæ sunt item regulæ. prima, *Positis omnibus partibus integrantibus, ponitur totum integrale.* Vt hic sunt & fundamentum, & parietes, & tectum, & reliquæ omnes partes ædificij, ergo hic est integrum ædificium. Huc spectat argumentum illud Dauidicum Psal. 139. quo probat Deum esse vbique. Si ascendero in cœlum illic es, si descendero in infernum, ecce ades; si assumam alas auroræ, illic prehendet me dextra tua. Quasi dicat, es in cœlo, in inferno, in vniuersa terra & aere, ergo es vbique. *Arg à partibus Integralibus.* *Reg. 1.*

Sublata vel vna aliqua integrali parte, (multo magis si plures aut omnes tolluntur) tollitur etiam ipsum totum integrale. Vt, deest huic manus, aut pes, ergo non est totus homo. Totus quidem esse potest *quoad essentiam*, & ita erit *Totum essentiale*, sed non est totus quoad integritatem partium, ideoque non est totum integrale. *Reg. 2.*

Atque hæc de Loco a Distributione dicta sint.

Cap. XV.

De Duodecimo arguendi Loco, qui est a Signo.

DVodecimus arguendi Locus est *a Signo*, siue rem antecedat, siue comitetur, siue sequatur. Est autem *Signum, conspicuum aut apertum aliquod indicium, ex quo res non apparens esse, vel non esse concluditur.* Vt, nihil hic tumultus, nihil ornatus, nullæ igitur hic hodie nuptiæ. Narrat de ventis, ergo est nauta, enumerat vulnera, ergo miles. Philautus est, & effusus in suis ipsius laudibus, ergo *Signum quid.*

vanus & stolidus: hinc illud Epigrammatistæ, [a] Bella es, nouimus, & puella, verum est: et diues, quis enim potest negare? sed dum te nimium *Fabulla* laudas, nec diues, neque bella, neque puella es: nil nisi stulta es. Hinc illud Seruatoris, Matth. 16. Quum fuerit vespera dicitis serenitas futura est, rubet enim cœlum: & mane dicitis, Hodie tempestas erit, rutilat enim triste cœlum. *Sic nil agere cuius te pudere debeat*, est Signum integerrimi hominis. Hinc Linius Diuus apud Pateic. lib. 2. pa. 26. cum ædificanti domum in Palatio, promitteret ei architectus, ita se eam ædificaturum, vt libera esset ac in munis a conspectu omnium, sic vt nemo in eam despicere possit, *Tu vero*, inquit, *si quid in te artis est, ita compone domum meam, vt quicquid agam ab omnibus perspici possit.* Tractare hastam, parmam, & arma, *signum* est viri: quo *signo* Vlysses, eam quæ tam cupide parmam tractaret non fuisse fœminam, sed Achillē in muliebri habitu se occultantem conclusit, iniecitque manum, sortemque ad fortia misit. Hæc & similia argumenta *a Signo* ducuntur. Tunc enim ducitur argumentum à Signo, quando, Medium est signum maioris extremi: vt, erubuit, salua res est, quasi dicat, adolescens verecundus, probus est: hic est verecundus, ergo probus; verecundia, quæ est *medium*, signum est futuræ probitatis, quæ est *maior terminus*. Idem in reliquis quæ adduxi exemplis facile conspicias.

[a] *Mart. lib. 1. Epig. 65.*

Frequens est hoc arguendi genus, tum in vulgari sermone, tum apud Oratores, præsertim in causis iudicialibus, vbi ex signis tam antecedentibus, quam consequentibus, reum aliquem esse cædis aut flagitij perpetrati concludunt. Est vero lubricus valde & infidus hic arguendi a signis modus, quare vt rectius ex hoc Loco arguere possis, Regulas tibi aliquas proponam.

Reg. 1. *Argumenta a Signis antecedentibus ab hominibus inuentis, quæ neque cum effectu neque cum causis illius effectus cuius signa esse dicuntur, necessario cohærent, non solum inualida sunt, sed plane inepta, imo & impia.* Talia sunt astrologorum omnes prædictiones ex situ Planetarum. Si nascatur quis, quando luna adit solem Arietem peruagantem, aut Scorpium, talis erit melancholicus. Si Iupiter cum Saturno in Horoscopo congrediatur, sapiens futurus est: Si Venus cum Ioue, elegans, venustus, gratiosus; & infinita huius generis. In quæ omnia verissime quadrat illa Sapientis vox, *vanitas vanitatis & omnia vanitas.* Signa ista neque cohærent cum effectis, neque cum causis horum effectuum, nec vero vllâ experientiâ istorum euentuum signa hæc esse scire vnquam possunt. Nunquam enim a mundo condito eadem fuit ex omni parti cœlestium sphærarū positio, cum periodus motus noni orbis cœlestis, non absoluatur nisi 49000 annorum spacio. Vt testatur Clauius in Comment. in cap. 1. Ioh. de Sacrob. pa. 55. Quare ex nulla cœlestium orbium

orbium positione experientia horum vnquam colligi potest. Deinde licet in corpora sublunaria, prout humida aut sicca, calida ac frigida sunt, magnam stellis fixis ac planetis, & præcipue Soli ac Lunæ vim inesse libenter fateamur, vis tamen illa sæpe a secundis causis ac sublunaribus, quæ perpetuo mutantur, multum retunditur ac impeditur ne effecta producat. Denique in ea quæ voluntario fiunt, quæque educatione, vsu ac consuetudine plurimum mutantur, nulla est astrorum vis, nec eorum significatis tanquam Prætorijs edictis, aut diuinis decretis obligantur homines: *Sapiens dominabitur astris*. Idem omnino sentiendum de signis illis quæ a volatu aut cantu anium, ab inspectione extorum, a Physiognomicis signis, ac Chyromanticis petuntur. Vanæ omnes ex his, similibusque coniecturæ ac diuinationes. Cornix sinistra cecinit, ergo infortunium prædixit. Decem passeres Calchanti visi, decennale igitur erit bellum Troianum. In Extis fissura est aut ruptura fibræ, ergo damnum aut exitium impendet. In Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulachrum multo sudore manauit, ergo Leuctrica calamitas Lacedæmonijs significatur; quæ aliaque complura videas apud Cic. lib. 1. de Diuin. Itidem mensa palmæ lata tibi est & spaciosa, ergo eris liberalis; angusta, ergo parcus & sordidus; tumet mons Veneris, ergo libidinosus. In Iouis monte duæ rectæ liuiæ, omnia igitur tibi ad votum fluent & voluntatem. Ineptiæ, nec quidquam aliud quam germanæ gerræ. Fateor saue euentum ex his signis prædictum nonnunquam accidere, sed hoc euenit non vi signorum, quasi illa ista arguant aut significent, sed summa fraude ac versutia Dæmonum, qui prænuntiata euenta sæpe ipsi efficiunt, aut vt fiant procurant, vt sic abducant cultores istarum vanitatum, à vero Dei cultu, & in his vanissimis deliramentis spem suam ac fiduciam locent.

Inuehitur acerrime in hæc, August. lib. 2. de doct. Christ. ca. 20. 21. 22. 23. Reijcit ibi hæc omnia, & cum his Notas etiam illas quas *Characteres* vocant, quibus vel suspensis collo vel alligatis vtuntur nonnulli ad morbos depellendos, quæque ille *sacrilega remedia, a præcantatoribus mathematicis, aut Diuinatoribus, accepta* alibi vocat. Reijcit inquam hæc omnia, vt *inepta*, vt *superstitiosa*, vt *damoniaca*, & vere *magnam dementiam, ac miserabilem seruitutem vocat*. Nam *quisque*, inquit, *liber cum ad Genethliacum, aut Diuinatorem ingressus fuerit, dat ei pecuniam, vt seruus inde exeat, aut Martis, aut Veneris, vel potius omnium siderum, imò omnium creaturarum*, ac præcipue ipsius dæmonis: nam signa ista præsumptione humana instituta nihil aliud esse dicit, quam *quædam cum dæmonibus pacta & conuenta*.

b *Lib. de Catech. rud. ca. 25. & 27.*

Eandem stoliditatem mathematicorum, qui *actus nostros constellationibus subdere, nosque ipsos stellis vendere volunt*, refellit iterum

ex conceptu duorum geminorum, *quibus idem Horoſcopus, ſed diuerſiſſima vita ratio ac fortuna.* lib. Quæſt. 83. q. 45. & inter alios Priſcillianiſtas Hæreſeos condemnat lib. de Hæreſ. ad Quodv. hær. 70. quod illi, ſicut Aſtrologi ſolent, *ſat alibus ſtellis homines alligarent, quadque corpora noſtra 12. ſignis cæleſtibus ſic ſubdi ſentirent, ac ſi in ſingula membra ſingula ſigna dominarentur: conſtituentes in Capite Arietem, taurum in ceruice, geminos in humeris, cancrum in pectore, & cætera vſque ad pedum plantas, quæ piſcibus tribuunt.* De quibus ita ſubiungit Auguſt. *Hæc & alia fabuloſa, vana, ſacrilega, hæreſis iſta contexit.* Ex eadem ſuperſtitione manauit obſeruatio dierum, menſium, aut annorum, quaſi infauſti aliqui dies eſſent & ſigna infortunij. Hinc factum vt Auguſtus apud *c* Sueton. *Poſtridie nundinas & omnibus Nonis nihil vnquam inchoare vellet.* Et quidem apud gentes pleraſque, præcipue apud Romanos tantum hæc ſuperſtitio olim inualuerat (vtinam non & hodie apud nonnullos Chriſtianos) vt fere nulli ex eis niſi conſulto aſtrologo aut aruſpice, an dies illa & hora fauſta eſſet, nihil vel leuiculum aggredi vellent: quos omnes, & omnia huius generis deliramenta merito diridet Iuuenalis, Satyr. 6.

c Suet. in Aug. ca. 92.

Ad primum lapidem vectari ſi placet, hora
Sumitur ex libro; ſi prurit frictus ocelli
Angulus, inſpecta geneſi collyria poſcit.
Ægra licet iaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſyris
Aſtrologus. ——

Hanc omnem ſuperſtitionem condemnat Apoſtolus, ad Gal. 4. 10. & ex eo Auguſt. in Enchirid. ad Laur. ca 79. *Magnum*, inquit, *eſt peccatum dies obſeruare, & menſes, & annos, & tempora* Lubens hic multo plura attexerem contra iſtam mathematicorum non artem (ars enim nulla eſt, vt veriſſime Auguſtinus) ſed diabolicam ſeductionem, qua multi dementati ſunt, niſi prolixior eſſe vererer. Moneo omnes, & vno verbo hortor, vt neque lucri, neque famæ, neque ſanitatis, aut vllius rei prætextu ſe a dæmonibus ſic abduci a vero Deo illiuſque cultu patiantur. Imitentur in hoc omnes Chriſtiani Auguſtinum, licet tunc non Chriſtianum. Cum iuuenis aliquando theatrici carminis certamen iniret, acceſſit ad eum Aruſpex, *quæſiuitque quid ei mercedis dare vellet vt vinceret?* (Sacrificijs ſcilicet ille ſuis dæmonia vt Auguſtino ſuffragentur inuitare volebat.) tum Auguſtinus fæda illa ſacramenta etiam tum deteſtationi habens, conſtanti animo reſpondit, *Nec ſi corona illa eſſet immortaliter aurea, vel muſcam pro victoria mea ſinerem necari.* Nunquam committamus, vt vel commodi vel vllius rei

gratia

gratia audiamus illud quod olim Ahasia; *An non est Deus in Israele, vt eatis ad consulendum Beelzebub?*

Quod vero dixi de signis huiusmodi antecedentibus quæ cum effectu, aut illius causa non necessario cohærent, sed ab hominibus dæmonum arte illusis inuenta sunt, & instituta, idem omnino de similibus signis concomitantibus, & consequentibus effectum vllum, dicendum est. Argumenta ab vllo tali signo ducta, vana, superstitiosa, sacrilega, dæmoniaca sunt.

A Signis vel antecedentibus, vel concomitantibus, vel consequentibus, quæ necessariam cum effectu quem notant, illiusque causa, coharentiam habent, argumenta firma ad effectus tales nisi præcaueantur, ducuntur. Incipit quis cibos fastidire, oscitatione, nausea, pandiculatione, seu distentione vexari; ergo qui sic affectus est, in febrim, nisi sedulò sibi prospiciat, incidet. Hæc enim ingruentis febris præludiis sunt & prodromi. Vt docet Leuin. Lem. lib. 1. de complex. pa. 13. Sic cum oculi, ipsumque corpus auriginosum, id est, luteo ac flauo croceoque colore perfusum, & auro quasi obductum, aut tinctum est, signum est, talem Ictericum esse, & Ictero (seu vt vocant morbo regio) laborare, nam hoc indicium est folliculum fellis, seu flauæ bilis receptaculum, non posse se ea noxiorum humorum copia, quam ab Hepate exhaurit, exonerare, ideo refundit biliosos istos humores in ventriculum aut iecur, vnde in vniuersum corpus flaua ista bilis cum sanguine diffusa, corpus eo colore inficit: quare etiam morbus ille vocari solet *Aurigo*, & qui eo laborant *Auriginosi* a colore auri, ab aliis *Arquatus* dicitur, a colore arcus cœlestis, Plinio *morbus regius* vocatur lib 30. ca. 11. quoniam non nisi exquisitissimo victu, mulso, ac mensa penè regali curatur. Vt notat Lem. lib. cit. pa. 137. frequentissime vero *Icterus* dicitur ab *Ictero* auicula flaui coloris, quam latine *galgulum* vocant, quæ *conspecta morbum eum curat*, de qua sic Plinius, citato loco; *Auis Icterus si spectetur, sanari id malum tradunt, & auem mori.* A Signis huius generis petuntur argumenta omnia Medicorum, quando ex *Symptomatis*, de morbis concludunt: Proprie enim *Symptomata* sunt neque ipsi morbi, neque morborum causæ, sed quædam morborum iudicia ac signa, quæ morbos velut vmbra corpus necessario sequuntur, vt ait Leonar. Fuch. Instit. medic. lib. 3. sect. 1. ca. 8. Signa autem istiusmodi quia connexionem necessariam habent vel cum morbis, vel cum morborum causis, ideo ab istis signis ad ea quæ designant, aut prænunciant, recte argumenta duci possunt. Estque apud medicos frequentissimum hoc arguendi genus, ad quos te vt illi exemplis te instruant, dimitto. Reg. 2.

Signa dubia, contingentia, talia, quæ necessario cum re quam quis infert, non coharent, generare solum possunt coniecturalem assensum, non firmum, non certum, non eum in quo certò quis acquiescere debet. Vt Reg. 3.

hic

hic est crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus: improbum hunc forte conijcias, cauè tamen asseueres. Inuidiosè nimis orator, orat pro Roscio Comœdo, in Fannij Chæream inuehitur, *Ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam & clamitare calliditatem videntur: qui id circo capite & supercilijs est rasis, ne pilum vllum viri boni habere dicatur.* Sæpe evenit vt homines sibi conscij perpetrati sceleris, pallore, timore, orationis titubantia, sese veluti sorices indicent, *Difficile est crimen non prodere vultu*: sed non est in his signis ac coniecturis, satis vitium ad condemnandum aliquem vt vere reum criminis. Iudex (nisi sciat contrarium) ex allegatis & probatis, non ex coniecturis iudicare debet. *Coniectura* autem solum ex hisce signis nascuntur, non *certitudo*. Nam quod Bellarminus [d] assensum ex coniecturis prouenientem *certitudinem vocat coniecturalem*, ludit omnino, et sophistam agens, verborum fuco decipere tentat. Nam coniecturalis ista certitudo, non magis *certitudo* est quam homo mortuus, homo.

[d] *Lib. 3. de Iustificat. 2.*

Præsumptiones ad hunc Locum spectant.

Ad hanc regulam spectant argumenta illa omnia quæ *Præsumptiones* a iurisperitis vocantur. Signa illa sunt, & suspicionem quandoque validam generare possunt, fidem vero facere, aut rem certo concludere non possunt. Quod vero dicitur, *præsumptiones hæc, adiuncta semiplena probatione plenam fidem sæpe facere.* Vt putat Conrad. Lugus part. 5. Method. vtriusque iuris, cap. 25. Quod etiam dicitur, in Glossa [e], *temerariam præsumptionē reijciendam esse, probabilem purgationem inducere, violentam vero quandoque sufficere ad condemnationem, & pro probatione accipi*: vnde hi versus nati;

[e] *Gloss. in ca. Quanto. De Præsumptionib. lib. 2. Decret. Greg.*

Tu suspensus eris, si causa *probabilis* extat:
Si *violenta* ruet, non te *temeraria* tanget. Non sunt ista vllo modo probanda. Nam vt ante dixi, vtque lex ipsa Imperatoria [f] præcipit, *Index debet ex allegatis, & probatis iudicare*, non ex præsumptionibus, vtcunque violentæ sunt & vehementes. Quare recte Innocentius 3. decreuit, [g] *Non esse propter solam suspicionem quamuis vehementem, aliquem de graui crimine condemnandum.*

[f] *Dig. de officio Præsidis. ca. Illicitas.*

[g] *Cap. Literas De Præsumpt. lib. 2. Decret. Greg. Reg 4.*

A Signis quæ a Deo instituta sunt, vt essent futuri alicuius eventus indicia, certissima & infallibilia argumenta ducuntur, ad probandum illa quæ præsignificantur euentura esse. Iris signum est mundum hunc nunquam iterum diluuio perituram, certissime igitur ab iridis existentia, & conspectu, illud concludere licet. Promisit Deus Hesechiæ non solam sanitatem sed vitæ prorogationem per annos quindecem. Cum signum horum postularet Hesechias, dedit ei Deus signum hoc quo ista certissime euentura sciret, h *retrocessit sol decem gradibus, stetque vmbra i solis in solario Achaſ*: singuli autem gradus semihoras non autem horas (vt putant quidam) notabant, aliter enim non potuisset solis vmbra & retrocedere 10. gradibus, & alijs decem declinare in solario; inde enim liquet, solarium

[h] *Isa. 38. 2 Reg. 20. 11*

Achaſi

Achasi 24 gradus seu diuisiones ἡμιωρίαι habuisse. Retrocessisse & solem & vmbram conspexit Hesechias: eo signo certissime sciuit se quindecem annos victurum. Isaiæ 7. 14. dedit Deus hoc vt signum omnium suorum promissorum, tam vniversalium, quæ omnibus, quam particularium quæ singulis facta sunt, *Ecce virgo concipiet & pariet filium, qui est Immanuel:* Virgo concepit & peperit filium, qui est Immanuel, id est, Deus in natura nostra humana: hoc signo certissimi sumus ne vnum iota aut apicem eorum omnium, quæ promisit aut prædixit Deus, præteriturum, sed omnia infallibiliter complenda esse.

A Signis vero libere ab hominibus datis ac institutis Argumenta invalida sunt. Possunt enim homines vel memoriæ lapsu vel alio errore, vel aliquo casu non præstare ea, quæ signo aliquo ipsi significare volebant. Cuius rei clarum est in Theseo exemplum. Misit eum Ægeus (*h*) pater in Cretam, Minotauro cum alijs ex pacto obiiciendum: dedit vero ei pater in mandatis vt si sospes remearet, velum quod nigrum præsentique fortunæ congruum erat, candido commutaret. Theseus occiso Minotauro, lætus remeauit, sed paterni moniti, & dati signi immemor, velo nigro revectus est. Hoc signo deceptus pater filium suum occisum ratus, se in mare (quod ab eo Ægeum dictum est) præcipitem dedit.

h *Plutarc. in Theseo.*

Sed de Argumentis a Signo hæc satis multa.

Cap. XVI.

De Decimo tertio Loco arguendi, qui est a Testimonio seu Authoritate.

SVperest nunc tredecimus & vltimus arguendi Locus. Eum alii a *Testimonio* vocant: sed vt ego sentio, rectius multo ab *Authoritate* vocari debet. Vis enim tota hic arguendi ab authoritate illius cuius testimonium adhibemus pendet. *Quanta enim fides testi debetur, tantam vim & pondus habet argumentum.*

Atque hinc ante omnia obseruandum est vnum, quod alijs scio plane paradoxon, & plus quam paradoxon videbitur, mihi verò post longam & seriam huius rei ponderationem pro verissimo habetur

An argumenta ducantur a Teſtimonio.

betur. *Argumenta nimirum in quibus Teſtimonia ad quidquam probandũ adhibẽtur, non eſſe argumenta a Teſtimonio, nec duci a Teſtimonio, vt a loco arguendi.* Hoc ex lege illa quam fundamentalem in arguendo dixi, liquet. Semper enim argumentum duci dicitur *ab eo reſpectu quem Medium habet ad maius extremum.* Contexe iam centum, aut mille argumenta, in quibus ex teſtimonio alicuius quidquam eſſe verum concludas, videbis Teſtimonium quod aſſert, nunquam eſſe *medium*, ſed ſemper *Minorem terminum*: ſic enim aut ſimiliter ſemper formandæ ſunt. Quod Deus teſtatur, id veriſſimum eſt, & fide certiſſima amplectendum. Quod Ariſt. Logicorum omnium periſſimus in Logicis aſſerit, eſt pro vero accipiendũ: at Ariſt. aſſerit in omni Syllogiſmo concluſionẽ neceſſario ſequi ex præmiſſis: ergo hoc pro vero habendum eſt: vel ſic, Quod vir ſumma authoritate, peritus in aliqua ſcientia, & verax ait, id eſt verum: ſed Ariſt. qui eſt vir peritus in Logicis, verax & maximæ authoritatis, hoc aſſerit: ergo hoc eſt verum. Vides in omnibus, *Teſtimonium eſſe minorem*, nunquam *medium* terminum. Neque alium omnino locum habet vnquam teſtimonium in vllo argumento, niſi *minoris termini*. Quare iuxta Regulam illam fundamentalem, extra dubium eſt, Teſtimonium proprie non eſſe vllum arguendi locum, neque vnquam vllum argumentum a teſtimonio proprie duci.

Vnde igitur inquies, ducuntur iſta & ſimilia argumenta ſi non a Teſtimonio? Ego teipſum hic magiſtrum ſtatuo ac Iudicem. Tu ipſe dicis *quem reſpectum medius terminus in his argumentis habet ad maiorem*, & notaſti certò locum a quo argumentum ducitur. Scio non eſſe facile ac promptu, ne illum quidem reſpectum recte indicare: ſed vt ego plane ſentio, *Medium* in omnibus huius generis argumentis, eſt *cauſa efficiens maioris termini*, & maior terminus eſt *Medij effectum*. Nam ſi rem perpendas, ipſa *authoritas, dignitas, & veracitas* teſtis (quæ ſemper eſt *medium*) eſt cauſa efficiens credendi, aut amplectendi teſtimonium eius vt verum, & fide dignum, quod eſt ſemper *maius extremum*, & de ipſo teſtimonio concluditur. Quare vtcunque paradoxon hoc videatur, ego tamen non dubito aſſerere, omnia illa argumenta quæ vulgo ac frequentiſſimo omnium ſermone dicuntur a Teſtimonio, vere a *Cauſa efficiente* duci, & proprie ac iuxta ſaniorum Logicorum iudicium, *ad locum illum arguendi a Cauſa efficiente ſpectare*. Nolui tamen vel locum hunc à Teſtimonio expungere, vel ad illum *Cauſæ* locum antea refetre, duplici de cauſa. Prima, ne viderer tot doctiſſimorum hominum iudicia parui pendere qui & locum hunc arguendi a Teſtimonio, vt diſtinctum tradunt, & ad eum talia argumenta retulerunt: Loquendum hic putaui cum vulgo, & hoc ſenſu vocanda hæc argumenta a Teſtimonio, *non quia a Teſtimonio ducuntur, ſed quia in hiſce, teſtimonia exprimuntur.* Altera, quia Locus

hic

hic a teſtimonio, etſi non ſit argumentorum, eſt tamen Axiomatum vere locus. Nullibi enim commodius Regulæ & Axiomata quibus argumenta talia nituntur, & ex quibus an valide Teſtimonia eorum teſtium quos adhibemus concluſionem inferant, locati poſſunt, quàm in hac Teſtimoniorum claſſe. His ergo de cauſis Locum hunc retinui & tractandum hic ſuſcepi, etſi ipſa argumenta in quibus teſtimonia vlla ponuntur, non ab ipſo teſtimonio (quod nunquam eſt medium) ſed ab authoritate, dignitate, ſcientia & veracitate teſtis, id eſt, a *Cauſa efficiente* duci ſentiam. Qua ipſa de cauſa Argumenta iſta omnia potius ab *Authoritate* quàm a Teſtimonio vocanda monui.

Atque hinc vlterius intelligi poteſt, quo ſenſu Argumenta hæc quæ a Teſtimonio duci putantur, *Inartificialia* vocari debeant. Certe enim non ſimpliciter Inartificialia ſunt, cum ab efficiente cauſa ducantur omnia: cumque magnæ artis, magnique ingenii ſit, recte iudicare quanta fides, quamque firmus aſſenſus teſtibus quibuſuis debeatur. Vtroque hoc ſenſu Artificialia merito dicas. Sed quia veritas concluſionis, quam inferimus, non pendet in his, (vt in aliis) ab habitudine vel vnius termini in quæſtione propoſita ad alterum, vel vnius eorum ad Medium, ſed ſolum ab authoritate dignitate, & veracitate teſtis, qui id quod in quæſtionem vocatur, vel aſſerit ita eſſe, vel negat; ideo Inartificialia vocantur, quia non requiritur in his argumentis talis ars, qualis in aliis, vbi ex rebus ipſis, & ex habitudine vnius termini ad alium, ſine reſpectu vllius teſtis, veritas inveſtigatur & invenitur.

Argumenta a Teſtimonio quomodo ſint Inartificialia.

His nunc breviter obſervatis, accedamus ad id quod caput eſt, & præcipuum in hac cauſa, quodque maximi plane laboris, artis, atque ingenii eſt, Regulas nimirum illas iudicare ex quibus ſcimus validumne ſit, an invalidum hoc arguendi genus, quomodocunque voces, ſiue a Teſtimonio, ſiue ab Authoritate. Ego aliquot proponam, & quaſi viam ſternam; tuum erit lector, alias noſtris addere, quando & quoties opus tibi viſum erit.

Regula vna generalis hæc eſt. *Quanta authoritas, dignitas, ſcientia, probitas & veracitas teſti debetur, tanta fides, tamque firmus aſſenſus illius teſtimonio debetur.* In omnibus enim his argumentis non *quid* dicatur, ſed *a quo* ſpectandum eſt: & *teſtibus, non teſtimonijs credendum*: vt recte dixit Hadrianus Imperator. Maxima autem eſt inter teſtes, fidemque quæ ipſis debetur diuerſitas. Agamus primo de *diuino teſtimonio*, tum de *Humano*.

Reg. 1.

Quicquid Deus teſtatur aut revelat, vel tibi ſoli, & cordi tuo, vel pluribus aut vniuerſis, ſive immediate per ſe, ſive mediate per vllum Angelum, Prophetam aut Apoſtolum, illud totum non ſolum veriſſimum eſt, ſed & ea certitudine fidei, cui falſum ſubeſſe nullo modo poteſt, indubitanter amplectendum. Nam Deus non totum verax eſt, ſed ipſa etiam veritas, quæ nec falli poteſt, nec fallere. Cæterum

De Diuino Teſtimonio.

Reg. 2.

illud hic sedulo obseruandum est, nunquam ex vllo testimonio Dei, quidquam posse a nobis certo concludi, sic vt fide infusa & infallibili ei assentiamur, nisi nobis certissime constet Deum ipsum esse qui id nobis testetur. Quomodo verò hoc certo sciamus? verbi gratia, hæc quæ ex sacris scripturis legimus, vel audimus esse vere verbum Dei? Dicam paucis. Externa *Motiva*, & *Inductiva* ad fidem multa sunt; & nullum ex omnibus, vel maius, vel efficacius quam Ecclesiæ testimonium. Cæterùm hic locum habet quod vere ait Bellar. *In eis quæ creduntur ob authoritatem humanam vtcunque celebrem, est solum certitudo fidei humanæ, siue certitudo moralis, quæ tametsi non sit tanta, vt ei vllo modo falsum subesse possit. (Omnis enim homo mendax) tamen tanta est, vt temerarius merito inducatur qui contra sentiat aut disputet. Quare* externa omnia motiua, etiam ipsius ecclesiæ vox, & testimonium quia humanum est, *fidem solum humanam, & moralem certitudinem* (quæ falli potest) generat. At *fides diuina* quæ *Infusa* dicitur, & certitudo illa fidei quæ infallibilis est, infallibili, ideoque Dei solius testimonio niti debet, atque in Deum solum vltimo resoluitur. Quæcunque enim dogmata fidei e scripturis hausta, quisquis fide infusa credit, ea credit, quia Deum ista reuelasse certissime credit; Deum vero ista reuelasse credit, quia Deum ipsum *intus sibi in corde hoc testificantem* audit, videtque. Eum vero quem sic testificantem intus audit, Deum vere esse, non *credit* quidem, (nam fides est rerum inuidentium,) sed ex se, & propter Deum ipsum solum, quem intus videt, euidenter scit: vt colores omnes per lumen, lumen vero ipsum non aliunde sed per se & ex se solum vides: ita quæcunque dogmata in scripturis reuelata, certitudine fidei fidelis animus credit, illa omnia credit, propter lumen illud diuinum & Cœleste, infusum in cor ipsius & mentem; illud vero lumen, lumen esse vere diuinum ac cœleste non aliunde nouit, quam ex illo ipso lumine, & per se, lumine ipso dicente, Iohan. 14. 21. *Qui diligit me, & ego diligam eum, & manifestabo, conspicuum me illi exhibebo.* ita fit vt Deo, ipsiusque verbo, non propter hominem vllum credamus, sed propter *Deum solum*, & fidem omnem non in hominem, sed in *Deum solum vltimo resoluamus*. Inducimur (*m*) quidem primo ad fidem, & fide humana primo credimus, propter vocem & testimonium ecclesiæ, vt Samaritani primo credebant, propter sermonem mulieris: quamprimum vero internus ille magister, qui (vt ait August. (*n*) *loquitur voce forti in aure interiori*) intus auditur, statim dicimus ecclesiæ, vt Samaritani dicebant mulieri, *Iam non propter tuum sermonem credimus, ipsi enim audiuimus & scimus quod hic sit Christus.* Audi hoc ex ipsorum Cano, (*o*) *Vltima*, inquit, *fidei resolutio, non fit in ecclesiæ testimonium.* In quid igitur? Dic clare. *Fit in eausam interiorem efficientem, hoc est, in Deum mouentem ad credendum*, verbi gratia; *Huic articulo, Deus est trinus, assentior per infusam fidem,*

12. Bar. lib. 3. de iust. c. 2. sect. Certitudo obscura.

m Non crederē nisi me ecclesiæ commoueret authoritas, Aug. lib. cont. epist. Manich. quæ Fundamentum dicitur, Ca. 5.

n Aug. lib. 12. Conf. ca. 11.

o Canus lib. 2. ca. 8. sect. His vero.

deus, non quia Iohannes hoc dixit, aut quinis alius homo, sed quia Deus reuelauit. Hunc autem Deus hoc reuelauit, immediate credo, a Deo, non per instinctum specialem. Audi etiam Stapletonum (p). Ecclesiæ p Stap. lib. 8.
vox non est vltima fidei resolutio, ita vt in eam tanquam in authori- Princ. cap. 20.
tatem supremam desinat, in eaque sistat meus fidelis.

Quæna igitur illa suprema authoritas? Doctrina, q inquit, nostra q Stap. Triplic.
est, supremam causam & vltimam fidei resolutionem non esse ecclesiæ cap. 16 pa. 490.
vocem, sed Spiritum intus collustrantem, intus docentem, intus persuadentem. Iterum r, Ecclesiæ iudicium inter causas externas ad credendum mo- r Stap. lib. 2.
uentes, est maxime mouens, maxime inducens. Ecclesia verò non de Auth. Sac.
est formalis ratio cur credamus, sed Deus intus loquens, suoque scrip. cap. 12.
diuino Spiritu omnem nobis veritatem intus testificans. Sic ille, sect. 12.
qui idem plus centies inculcat. Clarissime atque optime omnium Augustinus, Quærit ille de vno textu Scripturæ quod s Cap. eod. sect.
de singulis fidei dogmatibus atque articulis quæri potest; quo- 11.
modo sciat verum id esse quod scripsit Moses, In principio erat t Aug. lib. 11.
verbum. Scripsit, inquit, (t) hoc Moses; scripsit & abiit. Nam si Confess. cap. 3.
hic adesset, tenerem eum & rogarem eum, & per te obsecrarem, vt ista mihi panderet: Quod si Hebræa voce loqueretur, nescirem quid diceret: Si autem Latine, scirem quidem quid diceret, sed vnde scirem an verum diceret? Quod si & hoc scirem, num & ab illo scirem? Intus vtique mihi, intus in domicilio Cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec barbara veritas, sine oris & linguæ organis, sine strepitu syllabarum diceret, verum dicit; & ego statim certus, confidenter illi homini tuo dicerem, Verum dicis. Sic & diuinitus plane Augustinus. Sed fisto. Nec iri tam altum pelagus immittam hanc cimbam. Concludam igitur verbis Stapletoni (u). Fides eadem est in reliqua u Stap. lib. 8.
tota ecclesia, quæ est in Prophetis, Apostolis, vsque omnibus qui immediate a Deo edocti sunt. Vnam atque eandem habent formalem sui actus Princ. cap. 20.
(id est, fidei) rationem. At Apostolorum & Prophetarum immediate reuelata fides, in solum reuelatorem Deum vltimo resoluebatur, in eum solum tanquam supremam & vltimam credendi causam desinebat, atque sistebat, ergo & reliquæ totius ecclesiæ fides idem formale obiectum habet.

Esto testimonia omnia Dei certissima sunt, omnia tamen non sunt Re- Reg. 2.
gula catholicæ fidei, sed solum publica ipsius vox in sacris literis reuelata, ideoque ab istarum solum testimonio ad dogmata fidei Catholicæ probanda arguendum est. Ad Regulam enim Catholicæ fidei duo requiruntur. Primo vt sit certa & infallibilis: secundo vt sit nota iis quibus est regula. Si nota non sit Regula ipsis esse non potest. Si certa non sit, Regula omnino esse non potest. Hinc primo liquet ea quæ Deus priuatim alicui reuelat, quæque intus in cordibus fidelium loquitur, etsi tam in se quam ijs quibus reuelantur, certissima sunt, tamen ad fidem solum specialem spectant, &

ab ijs ſolum credenda ſunt quibus reuelantur, non ſpectant ad fidem catholicam, quæ ab omnibus fide amplectenda eſt, nec pro fidei catholicæ regula ab omnibus recipienda ſunt. Secundo liquet; humanum nullum teſtimonium aut iudicium poſſe eſſe Regulam fidei catholicæ: quia iudicium tale, etſi notum ſit, tamen non eſt certum & infallibile. Ea omnes homines conditione ſunt vt & falli ipſi poſſint, & fallere: neque infallibiliter eos verum ſemper iudicare, poteſt vlli certo ac infallibiliter conſtare. Vnica igitur & ſola fidei Catholicæ Regula eſt verbum Dei publice in ſacris literis & canonicis libris conſcriptum. *Hîs ſacris ſcripturis, quæ propheticis, & Apoſtolicis literis continentur*, (verba cito Bellarmini [o]) *nihil eſt notius, nihil certius*: quare *hæ fidei (q) catholicæ ſunt ſine dubio Regula.* Et eas quidem *Regulam* (fidei, puta morumque) diſerte vocat Apoſtolus, Galat. 6. 16. & Phil. 3. 16. Eaſdem, *Regulam & ſtateram* vocat Auguſtinus (r:) & *Regulam veritatis* Tertullianus (s:) & de ijs Chryſoſt. hom. 13. in 2. ad Cor. *Habemus* inquit *omnium exactiſſimam trutinam, & gnomonem, ac Regulam, diuinarum legum aſſertionem.* Idem & omnium clariſſime declarat Beda ſuper Math. [t] *Vbi Sacras literas dicit, vnicam eſſe credendi pariter & viuendi præſcriptam Regulam.* Regulæ aliæ omnes regulæ Lesbiæ ſunt, plumbeæ, flexibiles, fallibiles. Sola Sacra Scriptura vere eſt Aurea regula, inflexibilis, infallibilis. Dirigat te hæc Regula, & tutus a duplici ſcopulo curſum tenebis. A læua, velut Scylla Swincfeldij & Anabaptiſtarum ſcopulus tibi occurrit. A dextra velut Charibdis, Romanenſium cætus eminet. Vterque Regulam vilipendit, & ſibi ſubijcit ſuoque arbitrio: vterque Spiritu, ſed humano, præter & contra regulam ducitur. Prior ſpiritu *priuato*, alter *publico*. Illi (u) literam occidere dicunt, Spiritu ſuo interno viuificari & regi volunt. Hi, ſcripturam, *vocant gladium delphicum* (x) *Naſum* (y) *cereum ad ſenſum quemuis flexibilem*; quæ (z) *nonniſi eccleſiæ* (luæ) *authoritate authentica ſit*, de qua *poſſe po* (a) *ſenſu dici* volunt, *eam ſi deſtituatur eccleſiæ authoritate, non plus valere quam Æſopi fabulas.* Spiritu igitur ſuo externo, & humano quem clam antem audire poſſunt, id eſt, Spiritu Papæ, regi volunt ac dirigi. In vtroque pernities: vterque, & æque fidem euertit ac tollit. Tu vtrumque declina: In rebus Catholicam fidem moteſque concernentibus, ſi vel ſpiritus priuatus vllius hominis, ſuggerat, vel ſpiritus publicus illius eccleſiæ (id eſt, Papæ [b]) ingerat quidquam, præter aut contra Aueam illam, & vt rectiſſime ait Beda, *vnicam fidei morumque regulam*, alterum ſuſurrus eſt, alterum clamor, vtrumque maligni ſpiritus, vox eſt: in vtroque naufragium.

Etſi ſimpliciter ab authoritate nulla, ne diuina quidem negatiue concludere liceat, tamen in ijs quæ ad fidem Catholicam ſpectant, negatiuum argu-

p *Bell. lib. 1. de verb. Dei, cap. 2. ſect. At ſacris.*

q *Ibid. in Præfat. ſect. Porr.*

r *Aug. lib. 3. cont. Epiſt. Parmen. cap. 2.*

s *Tert. Apol. cap. 47.*

t *Et citatur Cauſ. 8. q 1. ca. Nec ſufficere.*

u *Calu. Inſtr. cont. Libertinos.*

x *Turrian. cont. Sadel. pag. 99.*

y *Canus lib. 3. Loc. Theol. cap. 2. ſect. Nec vero.*

z *Ecchius in Ench. tit. de Eccleſia.*

a *Hoſius lib. 3. de Auth. ſac. ſcrip. ſect. Fingamus, pag. 148.*

b *Per Eccleſiam intellige Pontificem. Gretz. Defenſ. cap. 10. lib. 3. de verb. Dei pag. 1450. Reg. 4.*

argumentum a sacris scripturis firmissime ducitur, sic vt si quid in scripturis non continetur, neque expresse, neque implicite, & per bonam consequentiam, illud vt fidei Catholicæ dogma recipiendum nullo modo sit. Ratio est, quia vt scriptura est Regula fidei, ita omnium fide catholica credendorum, est absoluta, integra & perfecta Regula. Omnem salutis doctrinam tam plene, tam perfecte, addo etiam tam perspicue complectitur, vt mandauerit Deus, Deut. 12. 32. *Quod ego præcipio, hoc tantùm facito,* (sic habet eorum vetus & vulgata editio, quæ sola ipsis authentica) *nec addas quidquam, nec minuas.* Et Isa. 8. 20. *Ad legem & Testimonium; si non dixerint iuxta verbum hoc, non est in eis lux:* ne mantutina quidem, aut crepusculi lux, non scintilla vlla lucis. Verissime August. lib. 2. de doct. Christ. cap. 9. *In ijs quæ aperte* (nota aperte) *in scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia* (audin' omnia) *quæ continent fidem moresque viuendi.* Nec minus clare Chrysost. hom. 3. in 1. ad Thessal. *In scripturis diuinis, quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt.* Ecce, *omnia* ad fidem necessaria, & scribuntur, & *clare ac dilucide* in sacris literis scribuntur. Quicquid ibi non scribitur, non creditur. De omni dogmate non scripto, verissime & rectissime arguas, vt olim contra Heluidium Hieronimus, *Vt hæc quæ scripta sunt, non negamus, ita ea quæ non sunt scripta renuimus. Christum natum de virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse* (id est, cognouisse virum) *post partum non credimus, quia non legimus.* Arguas vere ac firmiter vt contra Hermogenem Tertullianus, cap. 22. *Adoro scripturæ plenitudinem; doceat Hermogenis officina, Scriptum esse* (illud quod pro fidei dogmate tradit) *Si non est scriptum, timeat Væ illud, adijcientibus aut detrahentibus destinatum.* Quis nunc traditionibus locus? Traditionibus inquam non scriptis. Quo in genere, præter alia, hæc recensent, *Precationes,* (c) *& oblationes pro defunctis. Imaginum Christi, & Sanctorum venerationem: vnctionem Chrismatis; Sacrificium Missæ, & quæ in ea peraguntur officia. Beatam* (d) *Mariam fuisse semper virginem. Originale* (e) *peccatum baptismo expiari, Eucharistiam esse merum Christi Corpus,* seu *transubstantiari panem. Petrum* (f) *fuisse Romæ, & Romanum episcopum. Totum Sacramentum Confirmationis, Ordinis, Matrimonij, Fœnitentiæ, vnctionis extremæ; necessitatem satisfactionis, enumerationem peccatorum faciendam sacerdoti* Bene certe est: vobisque gratulor, quòd tradita hæc, non scripta agnoscitis. Nihil igitur horum in sacris literis habetur, non inquam ibi vel expresse vel implicite, Nam si illic vel explicite vel implicite haberentur, *Scripta* essent. vos vero hæc *Non scriptas traditiones,* verbum *non scriptum,* esse dicitis: Idem vero verbum, vt sit & scriptum, & non scriptum plane impossibile est. Nolite deinceps nobis molesti esse in scripturis ad ista probanda torquendis. Vno hoc verbo, expunxistis et æternùm refutastis omnia, quæ pro vllo horum,

c *Pet. Canis. in Summa doctr. Christ. Tit. de præcep. eccles. nu 5 pa. 96.*

d *Bell l. 4 de verb. Dei cap. 2. sect. Altera.*

e *Lindan. Panopl lib. 4. cap. 100.*

f *Pet. Soto. lib. cont. Brentium.*

horum, ex sacris scripturis tam operose scripsistis, aut vnquam conscribere potestis, verba ista *non scripta* sunt. Et nos sane, quia non sunt scripta, repudiamus. Norma nobis fidei, Scriptura est, eritque. *Quæ in libro legis non continentur, ea nec nosse debemus*, vt pulchre ait Hilarius *g*, non nosse inquam, vt verba Dei, non nosse vt fidei dogmata. In ijs quæ ad Catholicam fidem spectant, vltra hanc Regulam non scimus quidquam, non sapimus. *Fides in Regula posita est. Nihil vltra scire, omnia scire est*, vt eleganter ait Tertull. lib. de præsc. cap. 14.

g *Hil. in Psal.* 132.

De Testimonio Humano. Reg. 5.

Dictum satis de *Diuino*, ad *Humanum* veniamus Testimonium. De omni tali testimonio generalis est hæc vnica Regula. *Humanum nullum testimonium certum, indubitatum, & infallibile est, aut tale cui certitudine fidei, falsum subesse non posse, sit assentiendum.* Humanum dixi non hominum. Nam testimonia quorundam hominum, eorum nempe qui θεοπνεύστοι erant, (quia Spiritu dei infallibiliter regebantur,) infallibilia sunt; non enim *ipsi* h *tum loquebantur, sed spiritus Dei in ipsis*: nec *i a voluntate humana, sed acti a Spiritu sancto loquuti sunt homines Dei*; Quare testimonia eorum vere diuina erant, non humana. Ipsis dictum, ipsis inquam solis, non alijs, non episcopis, non ecclesiæ, *Spiritus* l *ducet vos in omnem veritatem*. Humanum vero testimonium illud est quod ab *humano spiritu proficiscitur*, cuique fides acquisita, id est, per humanarum causarum incitamenta, vt loquitur Canus *m*, datur. Tale est omnino omnium (exceptis prophetis, Apostolis atque amanuensibus Dei) testimonium. Testimonium igitur omne huius generis fallibile est, quia etsi verissimum sæpe id sit, quod homines testantur, tamen omne illud quod testantur, verum esse, nobis certo atque infallibiliter constare nullo modo potest. *Omnis* n *enim homo mendax*, fallax; qui & falli potest ipse, & alios fallere. *Humanum est errare, labi decipi.* Recte hic Canus o. *Nunquam ita per fidem acquisitam quemuis hominem existimamus esse veracem, quin formidemus eum posse, vel falli, vel fallere.* Atque hinc sequitur, fidem infusam, cui falsum subesse non potest, nunquam inniti humano testimonio vt vltimo suo fulchro & fundamento, sed solummodo diuino.

h *Math.* 10. 20.
i 2. *Pet.* 1. 20. 21.
l *Ioh.* 16. 13.
m *Canus*, l. 2. *loc. Theol cap.* 8 *sect. Ad hæc.*
n *Psal.* 116. 11.
o *Loc. cit. sect. Præterea.*

Est vero inter humana testimonia permagna atque latissima differentia: nam sicut alij alijs magis periti, probi atque veraces sunt, ita maiori fide, & firmiori assensu eorum testimonijs adhærendum est. Agemus de Testimonio primo *Ecclesiæ*, secundo *Conciliorum*, tertio *patrum*, quarto *Episcopi Romani*, quinto *Scholasticorum*, sexto *Philosophorum*, septimo *Historicorum*, tam Ethnicorum quam Ecclesiasticorum, octauo *Hominum quorumuis* e Plebe. Agit de his Mel. Canus, sed in plerisque tam longe a vero abit, & tam fallaces regulas tradit, vt operæ pretium esset, illius errores non

non detegere solum, sed refellere. Quod ego hic pro virili, fecissem, inque votis habebam; nisi metuissem filum hoc Logicorum argumentorum tam longe protrahere; digitum ergo solum intendam, quod reliquum est, lectori illiusque ingenio atque industriæ relinquendum censui.

Ecclesia quæuis particularis errare in fide potest, adeo etiam a fide deficere, ideoque ab illius testimonio infallibile argumentum peti non potest. Errauit & defecit a fide Ecclesia Iudaica, vinum eius in acetum, aurum in scoriam multis iam sæculis versum est; Ipsi primarij Sacerdotes quos maxime ab errore immunes fecit Mosis Cathedra, & promissio illa Dei, *Ipsi indicabunt tibi iudicij veritatem,* illi inquam *Christum blasphemasse* p, *& reum mortis esse iudicarunt.* Pudeat vos Hosij vestri, cuius hæc sunt verba q, *Ver tas iudicij hic indicata, vera sententia hic pronunciata fuit.* Quænam illa? *Reus est mortis. Hanc sententiam à Spiritu sancto profectam esse, non est dubium.* O hominem sacrilegum, ac blasphemum? Illene reus mortis qui innocens & innoxius vitam dedit? An & blasphemus etiam? Ea iudicij pars. Errarunt & a fide defecerunt ecclesiæ illæ Asiaticæ Galatarum, Ephesiorum, & aliæ quæ olim Christiani orbis clarissima lumina & lampades fidei fuerunt: quarum vnam Apostolus r vocat (quod idem in reliquias, aliasque omnes particulares ecclesias quadrat) *Columnam veritatis.* Officio enim columnæ sunt: sic esse debent: reipsa & actu, sæpe sunt sentinæ Hæresium. Idem de Alexandrina, Cōstantinopolitana, Antiochena, & Hierosolymitana (patriarchalibus illis ecclesijs) facilè ostendi posset. Tu quoque Roma (quæ magistra fidei, Domina, & Regina audire amas (quæ dicis in corde tuo, *Sedeo Regina, errare s non possum, mortem & luctum non videbo*) tu inquam non erroris solum, sed & Apostasiæ rea es; Inebriasti omnes gentes vino scortationis tuæ, Domicilium facta es dæmoniorum, & Asylum Idolatriæ; Ruina, exitium, & lapis molaris t magnus (non es nescia) imminet tibi & ceruicibus tuis: prehendent te die vna plagæ, luctus, mors & desolatio: visio ad constitutum tempus est, & non mentietur; si cunctabitur expecta; nam omnino euentura est, & non tardabit. Vis errores tibi designem & tempora? Edicto suo pijssimo anathematizauit hæretica illa tria Capitula (sub quibus omnia Nestorij dogmata latebant) Imp. Iustinianus. Insurgit u ante omnes aduersus Imperatorem, ipsiusque sanctissimum edictum Papa Vigilius, vere signifer Nestorianorum. Postquam ille classicum cecinisset, sequuntur hunc ducem non Romana solum, sed prope tota occidentalis ecclesia. Bello sic per ecclesiam Romanam Iustiniano, & fidei catholicæ indicto, Vigilius non literis solum ac censuris, sed etiam Synodo, & Decreto x definitiuo cui ipse cum alijs subscripsit, defendunt acriter tria illa capitula, & defendenda desi-

De Ecclesiæ Testimonio. Reg. 6.

p Math. 26. 65.

q *Hos. lib. 2. cont. Brent. fol. 54.*

r 1. Tim. 3. 15.

s *Bell. lib. 4. de Pont. Rom. cap. 4.*

t Apoc. 18. 21.

u *Complures, imò & ipse Vigilius insurrexere. Bar. an. 546 nu 38. & ardentius profilierunt ad pugnam, idem an. 553. nu. 251.*

x *Extat apud Bar. ann. 553. a numer. 50. ad nu. 211.*

miunt:

niunt: & pro istorum defensione, exilium eorum nonnulli (inter quos si Baronio y fides Vigilius) patiuntur. Viden' tuum lapsum in omnes Nestorianorum hæreses? Sed a me, scio, erroris argui non feres. Audi igitur tuum Thomam Waldensem, (insignem illum hæresium Wicklefi expugnatorem,) qui explicans, quæ illa sit ecclesia, *cuius fides indefectibilis est*, diserte asserit, *Non esse vllam specialem ecclesiam: non Africanam vt voluit Donatus, non etiam particularem illam Romanam.* lib. 2. doctrinal. fid. Artic. 2. cap. 19.

y *Ann.* 553. *nu.* 222.

z *Possev. Appar. in Thom. Walden.*

Reg. 7.

Ecclesia vniuersalis, prout sumitur pro toto cætu fidelium, huius aut vllius sæculi a morte Apostolorum, errare potest, ideoque illius testimonium non est infallibilis fidei; quamuis etiam totam illam ecclesiam nunquam errasse fateamur, quamuis insuper eandem totam simul infallibilem esse concederemus, nihil tamen inde concludi posset, vel pro diiudicandis controuersijs vllis fidei, vel pro discernenda veritate. Errare totam posse liquet, quia singuli in ea falli possunt & fallere; Vigilius æque ac Cyprianus; Siluester & Leo, æque ac Irenæus, & Papias. Singuli homines sunt, & quia singuli errare possunt, possunt igitur & vniuersi. Sed ponamus omnes simul nunquam errare, nunquam simul errare posse; potest tamen dimidia, potest maior illius pars errare; & cui te parti tum adiungas? vel quomodo singulorũ qui per orbẽ sparsi sunt (myriades myriadum sunt) iudicia exquiras? vt possis, tamẽ omnes authoritatẽ iudicandi Controuersias fidei non habent; non enim Laici vlli quorum longe maxima pars. Recte Canus a, *Veritas in controuersijs fidei non est quærenda a populo, tum quia id operis esset infiniti, omnium fidelium sententias rogare, tum quia (vt commodissime fieri possit,) non decet tamen omnium sigillatim inquirere & expectare iudicium. Ineptissimum esset* b, *vt imperitum vulgus, delirus senex, garrula anus, sutor indoctus consulatur: quare ridicula futura esset talis inquisitio; sic enim per ecclesiæ authoritatem nulla penitus controuersia finiretur*: sic ille. Idem plane docet Stapletonus. *Ecclesia*, inquit d (*vt pro toto corpore fidelium accipitur, habet assistentiam Spiritus, & stabilitatem fidei; sed ecclesia sic accepta de rebus controuersis non iudicat. Ratio est, quia nec omnes consuli & adiri possunt, nec omnium est de fide pronunciare, quia Laici & priuati homines nullam habent de rebus fidei iudicandi potestatem.* Quare ad ecclesiæ sic acceptæ iudicium appellare, aut ab eius testimonio argumentum petere, res est inepta nimis & ridicula.

a *Can. Lib.* 4. *Loc. Theol. cap.* 4. §. *Quarta.*

b *Idem lib.* 2. *cap.* 7. §. *Fallitur.*

c *Lib.* 4. *cap.* 4. *Vbi supra.*

d *Stap. lib.* 5. *Princ. doct. cap.* 1.

* *Reg.* 5.

e *Ecclesia Catholica est omnis series illa fidelium a Christi prima congregatione in ripa Iordanis vsque ad nostra tempora, & deinceps vsque ad finem mundi. Wald. lib.* 2. *Doctr. fidei Art.* 2. *cap.* 17.

* *Ecclesia Catholica* (seu vt Waldensis e vocat Symbolica, quia illa est cuius in Symbolo mentio) *per totum mundum sparsa, & a baptismo Christi, per Apostolos & eorum successores ad hæc tempora deuoluta, veram fidem continet, & testimonium fidele veritati perhibet* (hucusque verba Waldensis:) ideo ab huius ecclesiæ testimonio quod infallibile est, firmissime in rebus fidei arguere potes. Ratio est quia in huius Symbolicæ ecclesiæ testimonio semper includitur Apostolorum

lorum testimonium, quod est infallibile: Reliquorum autem consensus, humanam solum fidem addit. Itidem ecclesiam accepit f, Driedo lib. 1. de eccl. dog. cap. 1. & vt Canus fatetur, eodem sensu sumpsisse videntur Irenæus, lib. 3. cap. 3. & Tertull. lib. 4. contr. Marc. & August. lib. 33. cont. Faust. et lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. et Epist. 63. Atque hinc merito Stapletonum rideas. Explicans ille articulum illum Symboli, *Credo sanctam Catholicam ecclesiam*, ait g, hunc esse illius sensum, *credenda esse ea quæ docet ecclesia*, vel, *credo illa omnia quæ Deus per ecclesiam me docet*, id est credo ecclesiam vera docere. Quia vero videbat Stapletonus, Grammaticam non posse hunc sensum ferre, (si enim ea Symboli mens fuisset, dici debuisset, *Credo ecclesiæ*, non *credo ecclesiam*,) ideo vertit se ad nobile subterfugium, *Sensum hunc esse Theologicum quidem, licet non sit Grammaticus.* Abage Stapletone: an Theologia cum Grammatica pugnat? Imo conspirant vbique, & optime. Sed vt Bellarminus, cum iuxta Logicæ regulas solide arguere non posset, confugit ad *regulam prudentiæ*, itidem plane Stapletonus, cum videret se a vero, genuino, et grammaticali Symboli sensu aberrare, Theologicum sensum qui Grammaticæ repugnat excogitauit. Scilicet ita res se habet. Nupera ipsorum Theologia, antiquis Logicæ, & Grammaticæ simul, regulis repugnat; noua illis Logica, noua Grammatica cudenda erat, vt noua ipsorum Theologia vel sensum habeat vel rationem. Age vero, putemus eum quem tu inuitis Grammaticis omnibus, vis, Symboli sensum esse. Ne sic quidem hilum proficis. Crede ecclesiam catholicam non modo veram et veracem, sed et infallibilem esse. Ea tamen ecclesia Symbolica est, vt docet Waldensis, Driedo, etiam Irenæus, Tertull. et Aug. ecclesia huius præsentis, aut vllius alterius post apostolos æui, vt tu h, tuique i maximo errore accipere soletis, sed est totus fidelium cætus a baptismo Christi ad hæc tempora. Ecclesiam vero hanc veracem et infallibilem esse quis negat?

* *Ecclesiæ præsentis authoritas, iudicium, & testimonium quodcunq; & quantumcunque sit, ad Orthodoxam solum ecclesiam referendum est, & ad eam spectat.* Sæpe evenit vt Ecclesia vniuersalis in duas partes scissa et schismate dilacerata sit. Pars altera sana est, integra et orthodoxa; altera corrupta, hæretica, idololatrica, aut Antichristiana. Hoc quoties evenit, (et evenit certe sæpissime.) Schismaticæ partis, hæreticæ et idololatricæ, etsi multo maxima pars sit, (vt sæpe est) iudicium et testimonium in causis fidei nullius omnino ponderis, authoritatis, aut valoris est, aut apud Christianos æstimari debet. Ista enim pars, arbitrio suo ducitur, non ratione; factionem sequuntur, non Regulam fidei; Imo ipsi *factio* sunt in ecclesia. *Factionem enim facit non numerus sed causa*: cum pertinaces homines siue multi sint, siue pauci, semita veritatis re-

f *Canus lib. 2. Loc. Theol. cap. 7 §. At vero.*

g *Stap. lib. 8. Princ. doct. cap. 21.*

h *Stap. lib. 9. Princ. cap. 12.*

i *Can. l. 2. c. 7.*

§ *Illud. Gretz. Defen. cap. 10. lib. 3. de verb. Dei & Calibi.*

* *Reg. 9.*

lecta, pro libito ſtatuunt, et quid ipſi credere volunt, et quid ab alijs credi volunt, et ab eis qui contra ſentiunt quique veritatem et regulam vnicè amplectuntur, ſchiſmate in eccleſia facto ſe ſegregant. Illa pars eccleſiæ quæ ſana & orthodoxa eſt, etſi puſilla ſit, & anguſtis vnius ſolum provinciæ finibus comprehenſa, Catholica eccleſia vere eſt & dici debet. Vt recte docet Driedo & poſt eum Bellarminus *k*. Huic catholicæ eccleſiæ quantumcunque puſilla ſit & anguſta, fides tanta habenda eſt, quanta eccleſiæ præſentis illius æui debetur. Quantacunque ſit multitudo prioris partis Eccleſiæ, quæ corrupta & hæretica eſt, nullius ponderis & authoritatis eſt iſtorum iudicium ac teſtimonium. Multitudine ſæpe vincunt non veritate; multitudine vero fides non eſt metienda ſed Regula. Decem tribus vitulos coluerunt, duæ ſolum Iehouam: at in duabus his ſana eccleſia, decem illæ (quæ numero vincebant) factio ſolum erant, ſchiſmatici erant. Cum in terris agebat Seruator, Sacerdotes, Scribæ ac Phariſei (in quorum ſententiam vulgus Iudæorum pedibus ibat) fidem, & Chriſtum ipſum oppugnabant; qui fidem amplectebantur, & Chriſtum, erant pauci, nec numero nec dignitate ac ſplendore cum prioribus conferendi. In hac tamen eccleſiæ ſciſſura, pauci hi ſana erant eccleſiæ pars, infinitus vero aliorum numerus nil niſi *factio* in eccleſia, nil niſi ſchiſmatica eccleſiæ pars. Sub Conſtantio Imperatore *nomine* l *vnitatis & fidei, infidelitas eſt ſcripta*, & Mediolanenſi & Ariminenſi Concilijs decreta; Ariani vbique tum triumphabant, vrbes, oppida, eccleſias omnes occupabãt, opplebant. *Oufia nomen pene abolitum, & Nicena fidei damnatio conclamata erat: Ingemuit totus orbis & ſe Arianũ eſſe miratus eſt.* Athanaſius, Hoſius, Liberius, & pauciſſimi quidam alij, inopes, exules, vbi & orbi exoſi, pro fide ſtabant, nec perſtabant omnes tamen. Arianos tum ſequi erat, *vnitatem ſequi, communionem eccleſiæ ſequi, a partibus Athanaſij ſtare* nil erat aliud quàm *a totius mundi communione ſciuiſſe*. Et tamen pauciſſimi hi, ſana erant tum eccleſiæ pars, reliqui omnes (totus fere tum mundus) factio erant & nihil aliud niſi ſchiſmatica, hæretica eccleſiæ pars, maior quidem longe, ſed & longe deterior. Quid hic faceres? ſi ab Eccleſia (quam tu numero, dignitate, ac ſplendore metiris) ſuffragia petijſſes, ſi multitudini, ſi præſentis eccleſiæ teſtimonio tum fidem habuiſſes, euerſa & ſubmerſa fuiſſet tum Chriſti nauicula. Pulchra eſt Liberij pontificis Rom. vox & diſceptatio pro fide aduerſus Imperatorem, mortem ei & exitium minitantem. *Quota* m *pars orbis es tu Liberi, vt tu ſolus homini ſcelerato* (Athanaſium vult) *aſſentiaris, & orbi terrarum ac totius mundi pacẽ diſſoluas?* Cui ſic Liberius. *Non diminuitur ſolitudine mea verbum fidei: nam et olim tres ſolum inuenti fuerunt qui edicto Nabuchodonoſori reſiſterent.* Ipſi illi qui multitudinem Notam n eſſe eccleſiæ clamitant, non ſunt neſcij, futuum tempore Antichriſti, vt multo maxima pars eum

k Bell. l. de Notis eccl. ca. 7. §. Tertiò.

l Hieron. aduer. Luciferi.

m Theod. lib. 2. cap. 26.

n Bell. lib. de notis eccl. cap. 7.

eum veneretur, *Faciet ille* o *vt omnes parui & magni, diuites & pauperes, liberi & serui accipiant Charakterem eius vel* (palam) *in fronte, vel* (occulte) *in dextra. Interdicet ille diuinum omnem cultum, cessabunt publicæ religionis ceremonia & sacrificia.* Præ ista multitudine, quid sunt pauci illi, in solitudine, in Cryptis se abdentes & latitantes? Et tamen ille pusillus grex, erit sana tum ecclesiæ pars, Antichristi vero turma & turba, nil aliud quam præualens & prædominans in ecclesia factio. Si tum fides ex numero & multitudine æstimetur, actum plane erit de fide: maior pars vincet meliorem. Hora hæc, hora est Antichristi, & fuit ab anno a nato Christo plus quam septingentesimo. *Ecclesiam* (Romanam intelligit) *tum mandram asinorum* q, tum etiam *vitulum* r esse dicit, ac docet Sciopius: vitulus iste (Antichristum dico) natus circa annum 605. cum Vniuersalis nomen obtinuit Rom. pontifex. Adoleuerat vitulus post annum 700. & cœpit cornua gestare; summum robur ac vim quanta esset, voluit primo omnium experiri in secundo Niceno Concilio; postquam tam robusta vidit, vt episcopos quosuis non ferire solum posset, sed ad libitum quo vellet pellere, ac depellere; voluit deinceps cum Regibus, Imperatoribus, ac mundi Monarchis certamen inire. Et quia vitulus iam in taurum excreuerat, ferox ac ferociens tum in Hildebrando bestia, prosternit sub pedibus, & conterit Imperatores, sceptra eis & diademata adimit, ceruicibus eorum inculcat, eosque pro libito proculcat instar luti. Factus iam mundi dominus, nihil supererat nisi vt in thronum Altissimi ascenderet, factum & id quoque: vitulus in taurum, taurus in Luciferum, imo in Deum versus est i factum hoc cùm in Concilio Lateranensi sub Leone decimo se supra omnia concilia euexit. Illius post id vox, pro voce Dei, illius decreta pro decretis fidei habita sunt. Tum ille verè *Petra* & ecclesiæ & fidei: verè tum *fundamentum, & lapis angularis*; lapis ille de quo Isaias, *s Ecce pono in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Ecce vobis, inquit Bellarminus t (papam digito demonstrans,) *Ecce vobis lapidem in fundamentis Sion.* Ita vitulus iste Romanus primo imperium in *Episcopos*, tum in *Imperatores*, postremo in *Christum* ipsum sibi arrogauit *& sedit in templo Dei tanquam Deus, præ se ferens se esse Deum*, dicensque *Deus u sum, errare non possum.* Ætates nunc vides Antichristi: *Nascentis* in Bonifacio circa ann. 606. *Inuenliter Exultantis* & lasciuientis in 2. Niceno Concilio ann. 787. *Regnantis* in Hildebrando & successoribus post ann. 1075. *Triumphantis* in Leone decimo. ann. 1517. vltima periodus *senescentis est*: nam non diu post marcescere cœpit, & velut tabe confici & consumi spiritu oris Domini: abolebitur verò illustri aduentu Christi. Quæ obsecro istis sæculis, gliscente hoc Schismate, fides habenda ecclesiæ isti, factioni illi, inquam Anti-

o Apoc. 13. 16.

p *Bell. lib. 3. de Pontif. cap. 7.*

q *Gasp. Sciop. præfat. ad Imper. in summa, cap. 147.*

r *Idem in Ecclesiast. cap. 38.*

s Isa. 28. 16.

t *Bell. præfat. in lib. de Pont. Rom. §. Qua.*

u *Gregor. 7. sic dixisse testatur Ioh. Auent. li. 5*

christi prædominanti tum in ecclesia, & dominanti in fide? Quantam fidem ecclesiæ habes, tota orthodoxæ debetur: schismatica in ecclesia factio nihili plane est æstimanda.

Reg. 10. *In rebus non ad fidem sed disciplinam ecclesiæ spectantibus, ecclesiæ vniversalis toti ecclesiæ, ecclesijs particularibus ecclesiæ particularis, testimonium firmum est, & pro regula disciplinæ sequendum.* Ratio est quia in his scriptura silet, nec particulariter quidquam sequendum præscribit. Quoniam igitur omnia in ecclesia ordine ac decenter fieri oportet, eorum vero quæ ordinem & decorum spectant, nemo Iudex est præter ecclesiam, igitur in his sequenda semper est ecclesiæ authoritas, Principum nimirum & Episcoporum, quibus suam ecclesiam regendam commisit Deus. Recte ita in his adiaphoris arguere potes & debes, Ecclesia hoc vel illud obseruandum præscribit, ergo hoc vel illud est mihi obseruandum; & nisi observem, scandalum do. Nec vero (quod insolentia quadam & fastu faciunt nonnulli) carpendæ sunt ecclesiæ consuetudines, quasi prauæ sint, quasi parum vtiles, quasi in meliores mutari possunt. Mutatio omnis, præsertim in ecclesia, periculosa est, *Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuvat vtilitate, nouitate perturbat*: vt rectissime Augustinus (x). Nec minus in ecclesia quam rebusp. observandum id quod Arist. præcepisse ait Conrad. Lagus, (y) *Non cogendi homines vt id dextra faciant, quod sinistra recte facere didicerunt.* Et licet in his magna sæpe sit obseruationum diuersitas, in diuersis ecclesijs, vt vestis variegatæ diversus est color, nihil tamen id pulchritudini internæ officit, quandiu vnitas fidei in diversitate ritum conservetur. Vetus est & verum dictum, *Dissonantia (z) ieiunij non dissoluit consonantiam fidei.* Rectissime Aug. epist. 86 ad Casulanum. *In his de quibus nihil certi statuit scriptura, mos populi dei vel Instituta maiorum, pro lege tenenda sunt.* Et lib. 1. ad Inquis. Ianuarij, ca. 2. *Disciplina nulla est in his melior aut graui prudentique Christiano dignior, quam vt eo modo agat* (in rebus his adiaphoris) *quo agere viderit ecclesiam ad quamcunque forte deuenerit.* Audi Oraculum Ambrosii, cum (a) esset aliquando in ciuitate Mediolanensi Monica Augustini mater, sollicitudinem magnam gerebat, vtrùm secundum morem suæ, i Hipponensis ciuitatis esset Sabbatho ei ieiunandum, an ecclesiæ Mediolanensis more prandendum; Augustinus, (qui Mediolani tum erat,) vt matrem suam ea sollicitudine liberaret, Ambrosium illius ciuitatis tum episcopum adit, quid sit faciendum consulit, cui sic Ambrosius: *Quid hic possum docere amplius, quam quod ipse facio. Quando hic Mediolani sum non ieiuno sabbatho; quando Romæ sum* (ibi ieiunium sabbatho pro more obseruatur) *tum ieiuno sabbatho; & ad quamcunque ecclesiam veneritis* inquit, *eius morem servate, si pati scandalum non vultis aut facere.* Hoc consilium Monica tum sequuta, & Augustinus illud

x Aug. lib. 1. ad Inquis. Ianu. cap. 5.
y In Method. Vtr. iuris part. 1. cap. 5.
z Concor. Aug. Confess. pa. 586
a Aug. Epist. 86 in fine.

lud pro oraculo habuit. Itidem & tu si sapis habe. Vera enim & vere aurea est illa Augustini vox: *Contra Rationem nemo sobrius, contra Scripturas, nemo Christianus; contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.*

Ab Ecclesia, ad Concilia, id est, ab *universali* ecclesia ad *repræsentativam* progrediamur, ab horum testimoniis quomodo arguendum sit, videamus. *Inter omnia humana testimonia, firmissimum, certissimum, & fide dignissimum est Concilij generalis & legitimi testimonium.* Generalia Concilia sunt, ad quæ episcopi omnes Christiani orbis evocantur, & evocati liberum accessum habent. Nam nisi omnes vocentur, partes solum aliquas ecclesiæ, non ipsam totam ecclesiam repræsentant, nec iudicium eorum, iudicium totius ecclesiæ, sed partis solum illius erit: Quare cum Arriani Concilium suum Antiochenum in quo damnatus est Athanasius, pro generali Concilio venditabant, merito ac iure optimo respondit ipsis Iulius, non debere illud Concilium generale æstimari, *quia* [a] *ipsum suosque* occidentales episcopos *in iudicium, ne convocabant quidem ad Concilium. Oportuit vero* (verba sunt ipsius Iulij [c]) *secundum Canonem, & non isto modo iudicium fieri; Oportuit scribere nobis omnibus* (non soli Papæ sed omnibus episcopis) *vt ita ab omnibus quod iustum esset decerneretur.* Concilia tum legitima sunt, quando episcopi & legitima authoritate evocantur, & legitimo ac synodali ordine procedunt in iudicando: Legitima vocatio ad Imperatores solum spectat, ad vnum si vnus orbi Christiano præsit; ad plures, si præsunt plures. Legitimus ac Synodalis ordo requirit ante omnia, vt præsideat in Concilio Imperator, aut reges illi qui illud convocant: & sic præsideant vt synodalem omnem ordinem & ipsi seruent, & ab omnibus seruari procurent. Synodalis ille ordo quem eos procurare oportet, in duobus præcipue consistit. Prius vt sit libera causæ discussio, libera etiam eiusdem per suffragia episcoporum decisio, idque ex verbo Dei. Vtrorumque habes illustre exemplum in Concilio Niceno primo. Sic & plane diuinitus Constantinus Imperator Concilium alloquitur. (*f*) *Evangelici & Apostolici libri & antiquorum prophetarum oracula, quæ* [g] *euidenter seu plane instruunt, quæ de Deo sapere debemus; deposita igitur discordia, sumamus ex dictis diuini spiritus explicationes quæstionum.* Quare tam in Concilio Ephesino, (*g*) quam in Chalcedonensi, (*h*) *ante omnium oculos ventilandum Euangelium in throno qui medium Locum in Concilio obtinebat, propositum est*, quod idem in aliis Conciliis obseruatũ fuisse non est dubium. Alterum ad Synodalem ordinem spectans, est vt id pro *Decreto* Concilii habeatur & consignetur, in quod maior pars episcoporum qui Concilio interfunt, consentiunt. Hoc præterquam quod Ratio ipsa docet, (quia aliter in tanta multitudine iudicium nunquam ferri posset,) præterquam quod Bellarminus (*i*) idem agnoscat, Concilium Oecumenicum quin-

De Testimonio Conciliorum, Reg. 11.

Conc. Generale.

[a] *Socr. l. 2. c. 13.*

[c] *Epist. Iulij apud Athanas. Apol. 2.*

Conc. Legitimum.

[f] *Theod. lib. 1. hist. cap. 7.*

[g] *Act. Ephes. conc. 3. c. 22.*

[h] *Conc. Chalc. Act 12. p. 119.*

[i] *Bell. lib. 1 de Conc. c. 21. §. Quinta.*

tum, diserte hoc declarat; vbi sancta synodus ita ait. (l) *Constituendum hoc est, quod in Conciliis non vnius vel alterius interloquutionem attendere oportet, sed hæc quæ communiter ab omnibus vel amplioribus definiuntur.* Quandocunque episcopi omnes ad vlium Concilium legitima authoritate congregantur, & legitima authoritate sic gubernantur, vt legitimo ordine, causa & discutiatur, & definiatur, *generale tum sit & legitimum Concilium.* Si aliquando episcopi in cætum aliquem coeant, vel *non omnino vocati*, vel vocati quidem, sed alia quàm *Imperatoria authoritate*, non Concilium illud est, sed seditiosa turba, tumultus, Conventiculum, Conciliabulum. Si Episcopi vocati, & congregati sint, iusta & legitima, id est Imperiali authoritate, sed *ordinem synodalem non observent*, sed vel vi, vel fraude res agant, Concilium tale coniuratio & conspiratio verè ac proprie vocari debet. Et quidem Concilia nulla generalia ante annum a Christo nato millesimum, vel congregata sunt alia quàm Imperatorum authoritate, vel alios qui ordini præsiderent quam Imperatores habuerunt. Nullius Episcopi ne Romani quidem fastus, eo adhuc intumuerat, vt vel vocare episcopos ad Concilia generalia, vel vocatis præsidere auderet: Quæ vtraque ex Actis Conciliorum tam liquida sunt, vt si quis ea legat, cæcum esse oporteat si hæc non videat, proteruum aut impudentem si neget. Dixi iam Testimonio Conciliorum talium summam inter omnia humana fidem ac authoritatem deberi; & vere dixi, quia Concilium tale, est *summus plane in terris iudex.* Singuli episcopi singulas dioceses repræsentant: Nec enim vel Laici, vel presbyteri potestatem aut authoritatem habent decidendi Controuersias fidei, ideoque neque suffragia in his Conciliis. Nota illa Theodosii, Imp. vox, (m) *Nefas est eum qui non sit episcopus ecclesiasticis tractatibus immisceri.* Sic nempe, vt definire ac decidere velit causas fidei. Nota & illa in Chalced. Concilio, sæpius iterata vox, (n) *Synodus Episcoporum est non Clericorum; superfluos mitte foras.* Episcopi vocantur Præpositi, gubernatores, *Pastores* (o) *ecclesiarum*, quia Pastoralis Diocesium cura ipsis incumbit, cuius partem illi (quod & Apostoli fecerunt) in presbyteros inferiores transfundunt. In episcoporum, igitur omnium voce (quia illi pastores sunt diocesium omnium,) Diocesium omnium vox auditur. Episcopi sententia totius dioceseos sententiam exprimit. Quare cum sententia Concilii generalis sit nihil aliud quam *consensus omnium Episcoporum*, certe in ea consensus est totius ecclesiæ. Nec refert si aliqui episcopi aut non intersint Concilio, aut cum intersint dissentiant. Nam adesse omnes libere possunt, & debent etiam per se, vel per suos delegatos: si absint, causam illam suffragiis præsentium, decidendam sua sponte & tacito consensu relinquunt, ita in præsentium consensu implicatur consensus absentium: sin dissideant, tamen ratione ipsa duce,

in

l *Concil. gen. 5 Coll. 6. pa. 563.*

m *Act. Conc. Ephes. to. 1. ca. 32.*

n *Conc. Chalc. Act. 1. pa. 7.*

o *Sic frequẽter a Cypriano vocantur. Sic ab Aug. tract. 46. in Ioh. et Pastoralis honor vocatur a Prosp. lib. de ingratis. Et Greg. curam pastoralem regimen vocat: quis vero regit nisi cui virga pastoralis quam Hier. Apostolicã vocat? epist. ad Rip. et Contra Vigilant.*

in hoc ante omnia, omnes consentiunt, *sententiam maioris partis pro sententia Synodi habendam esse*; aliter enim frustra cogerentur Synodi: nihil vnquam in tanta multitudine decidi, nihil iudicari posset, si dissensus vnius aut pauciorum, iudicium Synodi frustrari posset. Quare in consensu maioris partis, implicatur consensus minoris: etiam tum, cum ipsi actu & expresse dissentiunt. Quare cum omnes Episcopi tam absentes, quam præsentes, in sententiam maioris partis, *vel actu & expresse, vel virtute & implicite* consentiant, certe in sententia Concilii generalis & legitimi, consensus est totius plane ecclesiæ; ideo eorum iudicium totius ecclesiæ, & orbis iudicium iure vocari potest; & sic vocatur a sancto Concilio Ephesino. Nam etiamsi certo scirent episcopos multos & abfuisse a Concilio, & dissensisse a sua qua Nestorium condemnaverant sententia, tamen generalis illa & sanctissima Synodus (*a*) iudicium suum expresse vocat, *sensum & consensum totius orbis*. Omnes enim vel *explicite*, vel eo quem dixi modo *implicite* consenserunt. Iudicio autem totius ecclesiæ, totius orbis, maius nullum in terris vel expeti potest, vel expectari debet. Neque vero aliter, quam vt *supremus in terris Iudex*, habitum fuit ab vniuersa ecclesia Concilium generale, per annos 1500. vsque ad tempus Leonis decimi. Leo vero iste cum sua factione *in quodam catu* (vt Paris. Vniversitas (*b*) ait) Lateranensem * autem volunt) *nescimus qualiter, non tamen in nomine Domini congregato, antiquam & Catholicam fidem abrogans*, evexit pontificem supra omnia Concilia generalia, & Papam supremum iudicem constituit: Fidem dico Catholicam, quia sic Constantiense (*c*) simul & Basiliense (*d*) Concilium definit. Vtrumq; decreto suo declarat, *Concilium esse supra papam, & papam teneri Concilio obedire, tam in eis quæ ad fidem pertinent, quam quæ ad reformationem ecclesiæ, in capite & membris*. Basiliense insuper definit, tum quòd *Decretum* e *illud est veritas fidei Catholicæ*, tum *quod quicunque ei pertinaciter repugnat est censendus hæreticus*. Imo addit veritatem istam Catholicam, tam vnanimi consensu ab ecclesia Catholica, singulis ætatibus, ab Apostolis ad id vsque tempus defensitatam esse, vt diserte dicat, (& auditu sane dignissimum est) *Nunquam* [f] *aliquis peritorum dubitauit* (audi, ne dubitauit quidem) *summum pontificem in his quæ fidem concernunt, iudicio Conciliorum vniuersalium esse subiectum*. Indignum omnino facinus, Leonem, & cætum illum Lateranensem (quem Synodum vocat) docere id ausos fuisse, quod fidei Catholicæ tam liquidò repugnet, vt per annos 1439. (eo anno decretum illud Basiliense editum) nemo doctus, nemo peritus, vel *de eo dubitauit*, sed sine omni dubitatione pro hæretico sensit. Et tamen hi sunt qui Antiquitatem, ecclesiam, & concilia crepant.

Testimonium Concilij generalis legitimi infallibile quidem non est, tan- Reg. 12.

[a] *Act. conc. Ephes. to. 2. c. 17.*

[b] *In Appellatione Vniuers. Paris.*

[*] *Conc. Later. sub Leon. 10. sess. 11.*

[c] *Conc. Constant. sess. 4.*

[d] *Conc. Basil. Sess. 29.*

[e] *Conc. Basil. in Decreto quinq; conclus. pa. 96.*

[f] *Ibid.*

te tamen authoritatis, vt eius sententia nisi certa ac euidenti ratione contrarium tibi constet, assentiri debeas, & nisi assentiaris, pertinax & contumax censeri, & contumacie ac pertinacie grauissimam censuram, id est, Anathema, & exclusionem ab ecclesia subire debeas. Testimonia horum fallibilia sunt, quia sunt humana, nec immediate ac infallibiliter a Sp. sancto reguntur episcopi in Concilijs congregati; Assentiendum autem est eis, dixi, nisi certa ac euidenti ratione tibi constet quod errent; aliàs enim opinionem tuam, & iudicium tuum priuatum, iudicio summi in terris Iudicis anteponis. Addo etiam, Si tibi certo constet tale Concilium errasse, subeunda tamen est Concilij censura, & sic subeunda vt ad superiorem nullum in terris Iudicem prouocare possis. Quia tale concilium supremus plane est in terris iudex. Si erret, & iniquo anathemate te ferit, errauit tum clauis ecclesiæ, & per errorem te ligauit, ab ecclesia exclusit, vel potius se ligasse te, & exclusisse putauit. Sed errante claue Christus non ligat, non excludit. Ferenda igitur sententia suprebi Iudicis, donec vel ipse, vel alius ipsius successor cui est æqua authoritas, eâdem te soluat & liberet. Vt Cardinales aliquot iniqua papæ sententia offensi, *a pontifice male informato, ad eundem vel alium melius informandum appellabant*; itidem nec aliter, a principe in ciuilibus, a Concilio in ecclesiasticis causis prouocandum, a Philippo *dormiente*, ad Philippum *vigilantem*, a Concilio generali *male informato*, ad concilium idem aliudue generale *melius informandum*. Appellatio alia ad humanum iudicem nulla.

g Bin. in vita Greg. 12.

Fallibile solum dixi: nam actu errasse tale concilium nolui dicere. Quid vero & de hoc, an actu errarint, sentiã, non grauabor significare. Sex fuisse Generalia legitima concilia nemini est dubium. Ea sunt Nicenum, habitum contra Arium, an. 325. Constantinopolitanum primum, contra Macedonium, an. 381. Ephesinum contra Nestorium, an. 431. Chalcedonense contra Eutychetem, an. 451. Constantinopolitanum secundum, sub Iustiniano, & tempore Vigilij, contra trium Capitulorum defensores, an. 553. Constantinopolitanum tertium sub Constantino Pogonato contra Monothelitas an. 680. His sex duo alia addenda, Sardicense, an. 347. et Constantinopolitanum sub Menna, an. 536. quæ vtraque *generalia* h, vtraque *legitima*, sed idcirco in *numero Conciliorum* non recensentur, quia in eorum neutro controuersia vlla noua de fide definita est, sed quæ antea in alijs Concilijs fuerant definita, in his firmata & corroborata fuere. Concilia igitur erant, non vt alia *Declaratiua* fidei, sed solum *Corroboratiua*, Sardicense quidem Concilij Niceni, illud sub Menna, Chalcedonense. Præter hæc non facilè concesserim Concilia vlla Generalia ac legitima vnquam extitisse. Aut si ex reliquis vlla hoc nomine ac honore digna sint, non dubitauerim palmam hanc deberi duobus solum: Francofurdensi contra cultum imaginum, an. 794. & Constantinopolitano sub Basilio Imperatore, an.

Conc. generalia, & legitima quot.

h *Sardicense vniuersale vocat Sulp. Seuer. li. 2 sacr. hist. Socr. li. 2. c. 16. Iustin. in Rubr. contra Tria Capit. & declarat. idem epist. ipsius concil. apud Athanas. Apol. 2 Alteram sub Menna, Generale fuisse agnoscit Bell. li. 2. de Pontif. c. 13. S. Secundum.*

an. 879. tempore Iohannis illius qui Adriano secundo successit, (quem Platina nonum, Baronius & Binius non sine magna fraude octauum vocant) in quo concilio Photius est restitutus, & Synodus illa prior Constantinopolitana sub Hadriano 2. habita, an. 870. (in quo Photius condemnatus erat) penitus abrogatur. Duo hæc postrema cum aliqua formidine, octo vero prima sine vlla dubitatione, & præter hæc nulla omnino in numero generalium legitimorum Conciliorum habenda sentio. Iam ex Concilijs septem illis primis, quæ ante annum a Christo nato 600. habita sunt, nullum omnino vel in decretis fidei, vel in Canonibus errasse libenter & constanter asseuero. Nec illud etiam quod vulgo sextum vocatur, habitum sub Constantino Pogonato; illud inquam non errauit, si Canones illos 102. excipias, qui tempore Iustiniani Rhinotmeri editi sunt, quique vulgo *Trullani Canones*, Baronio ac Binio Canones *Concilij Quinti sexti* vocantur. In illis errores varij, sed an illi sunt Concilij sexti Canones, dubium. Ego multis ac validis rationibus vere fuisse sexti illius Concilij Canones confirmare ac prope demonstrare possum. De duobus vltimis, Francofurdensi & Constantinopolitano sub Iohanne, in quo Photius restitutus est, quia Acta eorum integra non extant, nihil habeo quod dicam. Hac ego de causa, Concilia generalia legitima fallibilia dixi, errasse actu non audebam dicere.

Concilij generalis illegitimi authoritas vel nulla omnino est, vel nihili facienda, ideoque ab eius testimonio in causis fidei nulla omnino firma argumenta duci vnquam possunt. Reg. 13. Nam si Concilia talia illegitima sint per defectum legitimæ vocationis, nulla authoritate legitima coeunt episcopi, ideoque nullam omnino authoritatem quidquam statuendi, definiendi, aut iudicandi habent. Sin cum episcopi legitime vocati atque coacti sint, illegitima sint concilia propter defectum ordinis synodalis, tum quia nil sunt aliud quam Conspirationes contra veritatem, ideo nullius omnino sunt ponderis ea quæ in illis iniuste & factiose decernuntur. Quæres quænam ista sunt Generalia illegitima Concilia: vt malo cognito vitari possit. Dicam paucis. Ante annum a Christo nato millesimum quatuor omnium confessione numerantur. Primum est Mediolanense an. 355. In eo gladius atque ensis pro argumentis erant, nec lex alia quam arbitrium Tyranni. *Quod i ego volo pro canone sit, aut igitur subscribite, aut exules estote.* Secundum est Sirmiense an. 357. in quo Hosius sexagesimum k & plus eo annum in episcopatu tum agens, Episcoporum pater, princeps, & antesignamus in Synodis, lumen, columen, & columna ecclesiæ, ille inquam Hosius *exilio* l *fatigatus, afflictus, attritusque malis, coactus vi & tyrannica potestate, contumelijs, minis, impar verberibus subscripsit* (quod non sine luctu loquor) *in Arianam perfidiam cessit ad tempus, sed non consensit.* Tertium est Ariminense

Conc. generalia illegitima.

i *Vox Constantij in conc. Mediol. apud Athanas. epist. ad solitar. vitam agent. pag.* 228.

k *Athan. ibid.* 230.

l *Ibid. pa.* 232.

an. 359. Illic *per vim et metum extorta confessio*, etiam & fraus addita. Nam vt Nicenam fidem suam dicerent, *vbi* in *Homousion erat scriptum, illi Homoiusion scriptum esse mentiuntur*; leui quidem in litera, sed in fide maxima iactura; nam sic similitudinem stabiliunt, veritatem adimunt. Quartum est Ephesinum secundum an. 449. merito *Latrocinium* vocatum. *Violenta* [n] *ibi facta est vis per Dioscorum, pura charta inuiti subscribere compulsi sunt; Flauianus o multis iniurijs affectus, plagis cæsus, demum oppressus est: vbi* [p] *fustes ac gladij, qualis Synodus?* Et hæc quidem sunt omnia quæ Concilia generalia seu Oecumenica vocari debent. Antiochenum quidem illud in quo depositus est Athanasius pro Generali habebant Ariani, sed non fuisse generale demonstrauit papa Iulius [q], quia *omnes episcopi non erant ad id vocati*. Nonnulli Constantinopolitanum, habitum an. 754. sub Constantino Iconomacho pro confringendis imaginibus; alij Nicenum secundum, habitum an. 787. pro cultu Imaginum, pro Oecumenicis censent; vtrique errant. Neutrum horum *Generale* fuit, vtrumque per Concilium Francofurdense penitus abrogatum; sic enim inquit, *i neutra Synodus septima est post Nicenum, sed prior secunda, altera* (nempe Nicena secunda) *post Arimine[n]se tertia computari debet*. Testatur idem & clarissime Athelmus g. *Carolus*, inquit, *Concilium episcoporum* (Francofurtum) *conuocauit. Affuerunt in ea Synodo Legati Rom. pontificis Theophilactus ac Stephanus, vicem tenentes Adriani papæ. In hoc concilio hæresis Felicina condemnata est: Synodus etiam quæ antepaucos annos Constantinopoli* [h] *sub Irene & Constantino congregata, & ab ipsis non solum septima, verum etiam vniuersalis erat appellata, vt nec septima nec vniuersalis haberetur, diceretur que, sed quasi superuacua omnino ab omnibus abdicata est*. Sic Athelmus, qui eodem sæculo vixit. Aliqui Constantinopolitanum illud contra Photium habitum, an. 870. sub Adriano pontifice, pro generali censent. Non recte. Nam hoc Concilium penitus abrogatum est per Concilium illud generale ac legitimum tempore Iohannis habitum an. 879. *cuius quartus Canon* (verba sunt Turriani [i]) *superiores Synodos aduersus Photium tum Rome tum Constantinopoli habitas, Nicholai & Adriani temporibus explodit, & reijcit, imo vt de Synodorum numero tollatur iubet*. Et Baronius qui acta integra huius Concilij, (sicut etiam Turrianus) vidit, sic ait [k], *Sequuta sunt hæc subscriptiones omnium, inprimis vero Legatorum Apostolicæ sedis, cum detestatione omnium Synodorum contra Photium collectarum*. Ita non illegitima modo fuit, sed plane detestabilis illa Synodus sub Hadriano. Sed nec Græcis pro generali habitum esse testatur Marcus Ephesiorum episcopus (Græcorum omnium nomine) in Concilio Florentino, vbi agens de illa sub Hadriano habita Synodo, ita ait [l], *Concilium illud inter generalia commemorandum non est, quandoquidem non modo non susceptum, verum etiam antiquatum fuisse constat*. Sic ante annum a Christo nato millesimum, Generalia Concilia in vniuersum, non

m *Sulp. Seuer. lib. 2. Sacra. histor.*

n *Act. Concil. Ephes. relata in Conc. Chalced. Act. 1. pa. 7.*

o *Liberat. in Breuiar. ca. 12.*

p *Conc. Chalced. loc. citat.*

q *Supra.*

h *Paul. Diacon. lib. 23. docet concilium illud Constantinopoli inchoatū fuisse sed postea Niceam translatum.*

i *Turrian. lib. de 6. 7. & 8. Synodo in fine.*

k *Bar. an. 879. nu. 70.*

l *Conc. Florent. sess. 6. pa. 422*

i *Lib. Carolin. 1 in Præfat. p. 96*

g *In Annal. Franc. Pipini, Caroli et Ludou. an. 794.*

niſi quatuordecim fuerunt; quarum decem legitima erant, quatuor illegitima; & illegitima (quod meminiſſe oportet) ſolum per defectum Synodalis ordinis, non propter illegitimam vel vocationem vel Præſidentiam.

Poſt annum milleſimum numerantur a nonnullis Concilia generalia numero tredecim, Lateranenſe primum ann. 1119. Vbi de *m* inueſtituris agere volebant, ſed nihil actum. Lateranenſe ſecundum an. 1139. contra Leonem *n* Antipapam. Lateranenſe tertium, ann. 1180. contra Catharos *o*, & Waldenſes. Lateranenſe quartum ſub Innocentio 3. ann. 1215. in quo *p* Tranſubſtantiatio definita eſt. Lugdunenſe primum ann. 1245. in quo *q* ſententia depoſitionis contra Fridericum Imper. ab Innocentio 4. fulminata eſt. Lugdunenſe ſecundum ann. 1274. contra Græcos, negantes proceſſionem Spiritus S. a filio. Viennenſe ann. 1311. in quo Templarij, Beguardi, & Fraticelli condemnantur. Piſanum ann. 1409. in quo depoſitis Gregorio 12. & Benedicto 13. Alexander 5. electus eſt. Conſtantienſe ann. 1414. contra Iohannis Hus et Wickleſi doctrinam. Baſilienſe ann. 1431. Vbi Conſtantienſis Synodi decretum quòd *Concilium ſit ſupra papam*, roboratur. Florentinum ann. 1438. Vbi pro fidei dogmatibus definitur *r* eſſe ſeptem ſacramenta. Lateranenſe quintum ſub Leone 10. ann. 1517. in quo decretum *ſ* eſt, *Papam eſſe ſupra omnia Concilia*, & Contrarium *t* *decretum editum in Conſtantienſi & Baſilienſi Concilijs reprobatur.* Tridentinum inchoatum ann. 1545. abſolutum verò ann. 1563. in quo decretum eſt traditiones *u* non ſcriptas eſſe verbum Dei, libros Maccabæorum et reliquos qui Apocryphi vocantur eſſe Canonicos, veterem et vulgatam editionem eſſe authenticam, ſolam *x* fidem non iuſtificare, bona *y* opera vere mereri vitam æternam, et ſimilia, contra Lutheri (vt vocant) doctrinam, quam illi tum extinctum ibant.

Tredecim hæc vocantur a nonnullis Concilia generalia, etiam et legitima. De Piſano, Conſtantienſi, et Baſilienſi nolo hic quid quam dicere. De reliquis decem, vere dico et conſtanter, nec *Generalia* fuerunt, nec *legitima* Concilia. Non generalia: Occidentalia ab ipſis *a* vocantur. *Ab orientalibus* vix cogniti, certe, Bellarmino *a* ipſo teſte, pro *generalibus non agnita. Græci*, inquit *b* *prima ſeptem tantum recipiunt*, vt ſint generalia; omni modo *illegitima* fuerunt. Omnia *Pontificis* (vt vos *c* non dicere ſed plenis buccis gloriari ſoletis) nulla omnino Imperatoris authoritate conuocata. In multis etiam Imperatores præſidebant, quos conſtat poteſtate continere omnes in officio atque ordine oportuiſſe. Præſidebit *d* in omnibus Pontifex, non epiſcopali præſidentia, (illam nemo ei inuidet,) ſed plus quam Imperatoria: ille alios in ordinem cogendi poteſtatem ſibi arrogauit, qui maxime omnium in ordinem cogendus erat; qui ad omnem hæreſin, rebellionē ac nequitiam

m *Krantz. Saxon lib. 5 ca. 40.*
n *Abb. Vſperg. an. 1139.*
o *Bin. not. in id Conc.*
p *Act. Concil. illius ca. 1.*
q *Act. Conc. illius apud Bin. 1487.*
r *In Decret. Eugenij.*
ſ *Seſſ. 11. Conc. Later. quinti.*
t *Bell. lib. 2. de Conc. Auth. ca. 17. §. Denique.*
u *Seſſ. 4.*
x *Seſſ. 6. ca. 9.*
y *Seſſ. 6. ca. 16.*

a *Bell. lib. 1. de Conc. ca. 6. ſeſt. confirmat.*
b *Ibid ſect. Ex his.*
c *Bin. notis, in ea Concil.*
d *Bin. Not. in ea Concil.*

quitiam signifer omnibus erat, & Antesignanus. Quæ ibi Synodus, vbi ad illius nutum dicuntur, decernuntur omnia? vbi, *Quod ego volo pro Canone sit?* Non adhibuit virgas, fustes, & gladios. Certe: nec opus erat. Ita reges omnes proculcauerat, ita episcopis omnibus dominabatur, vt contra ipsum metire, aut hiscere, nemo auderet. Iuramento etiam sibi sic episcopos obstrinxerat, vt nullæ compedes, nulla vincula ei conferenda sint; non fustes, non gladij sic cogebant in obsequium, vt ille alios tyrannica quantum vsurpabat authoritate, & iuramenti vinculo. Quare ab istorũ Conciliorũ authoritate, non rectius arguas, quã ab Ariminensis aut Mediolanensis Concilij authoritate. Nullum ab eis firmum aut sanum argumentum duci vnquam potest. Quæ vos decreta vocatis istorum Conciliorum, quia libera non sunt, *illegitima decreta* sunt. Quia vero ab illis episcopis decreta, qui legitima nulla authoritate coibant, ideo nec omnino quidem *decreta* sunt, nec Conciliorum, sed *Conventiculorum* (quibus nulla decretum vllum faciendi authoritas inerat) *placita.*

Reg. 14. *Concilia nulla, neque vlla decreta Conciliorum vel ideo approbata aut approbanda sunt, quia Papa illa approbauit aut confirmauit; vel ideo reprobanda quia papa illa reprobauit: Sed ideo et approbata sunt, quia consensu maioris partis episcoporum legitime coeuntium, & legitime decernentium, approbantur; & reprobata, quia vel illegitime congregantur episcopi, vel illegitime decernunt.* Ratio est quia in Concilijs id semper habendum est pro Decreto, sententia, & iudicio Synodi, in quod maior pars episcoporum consentit, non obstante vnius aut paucorum (quicunque demum illi sint,) dissensu aut peruicacia. Liquet hoc ex Conc. Chalcedonensi, cum in eo *e* decem episcopi Ægyptij dissentirent a reliquis, *haereticis audiuerunt*, & parum abfuit quin pro *haereticis damnati* essent. Habe aliud & illustre admodum ex eodem concilio exemplum. Reliqui in Synodo consenserant in id decretum *f* pro dignitate sedis Constantinopolitanæ, vt ea post Romam proxima esset, prior verò tam Alexandrina quam Antiochena sede. Dissentiunt *g* hic & contradicunt, non acriter solum sed pertinaciter, Legati Leonis, atque *eorum contradictio gestis illius Synodi* (in æternum eorum ipsiusque Leonis dedecus) *inhaeret.* Quin & Leo ipse dissensit *h* ab eo decreto, & vehementer ei contradixit, suumque dissensum *per Legatos i Synodo aperte significauit*, & tamen gloriosissimorum iudicum (qui Imperatoris vice præsidebant) iudicio, (cui tota Synodus *k* consensit,) id quod a reliquis definitum erat, (contradicente licet Leone Papa & suis legatis) *pro decreto totius Synodi habendum esse decernitur*, semperque habitum est. Habe alterum exemplum. Condemnauit *l* Tria Capitula (in illis virus omne Nestorianorum latebat) Concilium generale quintum, habitum sub Iustiniano ann. 553. Vigilius Papa aderat,

c Conc. Chalc. Act. 5. pa 90.
f Conc. Chal. Act. 15 can. 2.
g Ibid Act. 16.
h Leo Epist. 53. & 54.
i Inter cætera nobis mandauit, &c. Act Legatus Leonis, in Conc. Chal, Act. 16. pa 136
k Tota Synodus approbauit. Ibid. pa. 137.
l Hæc in Actis Conc. quinti habes.

aderat tum Constantinopoli vbi Synodus habita, aderant cum ipso occidentales plures episcopi: Vigilius ipsiusque consortes, quia Capitula illa defendebant & defendenda censebant, interesse Concilio & rogati renuunt, Orthodoxæ Synodi sententiæ non contradicunt solum, sed eandem respuunt, & Apostolico decreto reprobant. Non obstante tamen illa Vigilij Papæ & aliorum pertinacia & reprobatione, & concilium illud tum fuit semperque (& iustissime) habitum est sanctum, legitimum & Oecumenicum Concilium; & illius decretum quo tria Capitula condemnantur, vt approbati legitimi ac Oecumenici Concilij Decretum tum fuit, semperque ab vniuersa ecclesia habitum est. Atque hic merito ab omnibus deridendus est, qui toties Lutheranos ridere solet, Melc. Canus. *Nego*, inquit *m*, *cum de fide in Conciliis agitur, sequi plurimorum iudicium oportere. Non hic vt in humanis iudicijs ex numeris suffragiorum sententiam metimur.* Vnde igitur tu metiris? *Non numero hæc*, inquit *n iudicantur sed ponere, pondus autem Conciliis dat summi pontificis grauitas & authoritas, qua si adsit centum patres satis sunt; si desit, nulli satis sunt sint quamlibet plurimi.* Sic ille. Qui nihil hic aliud agit, quam vt vis & vsus omnis Conciliorum penitus tollatur. Nulli enim vsui sunt, si quod Pontifex cum paucis suis assecls suggerat, maiorem vim in Concilio habeat quam consensus 300. aut 1000. episcoporum, doctrina, pietate etiam, & quoad potestatem definiendi, ipsi nullo modo inferiorum. Sed nimirum ita res est, Pontifex Rom. vaccis illis macilentis, quas Pharao vidit, simillimus est: vt illæ vaccas pingues & pulchras, ita iste episcoporum aliorum omnium authoritatem deuorauit; nec sic tamen satiari vult: Reges, regna omnia, vniuersum mundum absorbere sitit. Age vero, quia sic lubet, satia te mundo quem semper sitisti. Sed caue tamen ab illis apud Iobum *o* verbis. Panis iste in vtero vertetur in fel aspidum; diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus.

Concilia nulla Prouincialia, nec legitima quidem sunt infallibilia, sed tanta authoritatis, vt qui subiecti eis sunt, sub censura, quam infligunt eis assentiri teneantur, alij verò non aliter eis quam patrum aliorum testimonijs assentiri tenentur. Erasse quam plurimi huius generis concilia, liquet ex Africanis illis frequentibus Synodis *p* tempore Cypriani habitis, in quibus *rebaptizandos eos esse qui ab hæreticis baptizati fuerant* decreuerunt. Liquet ex Concilio *q* alio Africano tempore Iustiniani habito, in quo Papa *Vigilius* (iam tum Catholicus, & trium Capitulorum Condemnator) *excommunicatur & synodaliter a Catholica communione excluditur.* Liquet ex Concilio Romano cuius mentio est in Cap. Ego Berengarius De Conſ. dist. 2. in quo, ex sententia Synodi profitetur Berengarius, *panem & vinum post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam verum corpus*

m *Can lib. 5. Loc. Theol. cap.* 5. §. *Verum.*

n *Ibid.* §. *Non itaque.*

o *Cap.* 20. 15.

Reg. 15.

p *Apud. Cyprianum lib.* 1. *epist.* 12. *& lib* 2. *epist.* 1. *& lib.* 2. *post epist. ad Quintum*

q *Caius memini* [illegible] *Tom. conc. circa.* 0. *post Conſt. B. sily.*

corpus & sanguinem Domini Iesu Christi esse, & sensualiter, non solum in sacramento, sed in veritate, manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Quibus in verbis tam multi tamque crassi errores continentur, vt non immerito Glossa notet, *nisi sanè intelligas Berengarij verba, in maiorem incides haeresin quam ipse habuit.* Similes Synodi quamplurimæ afferri possent. Et plane ridiculus est Melc. Canus, qui ex omnibus (quæ innumeræ sunt prouinciales Synodis) *vix* r *quinque earum aut sex a recta via declinasse asseuerat.* Rectius multo sexcentas dixisset.

r Can. lib. 5. ca. 4. §. Sexta Concl.

Ad Patres progrediamur. Vbi in primis Melc. Cani aliquot regulæ reijciendæ & merito deridendæ occurrunt. Dicitis s *in expositione sacrarum literarum, communē omnium sanctorum veterum intelligentiam esse certissimum in Theologia argumentum.* Idem ait Stapletonus, (t) *Iudicium sanctorum Patrum valet, quando omnes idem loquuntur.* Certissime hic delirabant Canus & Stapletonus: Quis intelligentiam omnium sanctorum veterum? quis sanctos Patres omnes vel citare, vel inuenire, vel exquirere vnquam queat? Vt omnes scias, an vnquam omnes conspirare (nemine omnium dissentiente) credis? Quod si vel vnus tibi desit ex tot millibus myriadum, si vel vnus ex omnibus dissentiat, & vana tum est Cani & Stapletoni Logica, & incerta hæc illorum Theologia. Age vero, quia Patres omnes conspirasse impossibile est, vt quis vnquam sciat, videamus an ex vnius aut duorum testimonijs firmum argumentum peti possit. Non potest. Est enim hæc altera Cani Regula. *Vnius aut duorum sanctorum authoritas etiam in his quæ ad doctrinam fidei pertinent, argumentum firmum subministrare non potest.* Atque hoc, inquit x, *demonstrat ratio illa manifesta cui nulla prorsus via occurri potest; quia sanctorum quisque (his duntaxat exceptis qui libros Canonicos ediderunt) spiritu humano loquutus est, & aliquando vel in eo errauit quod ad fidem spectat;* sic ille.

Regula Cani.

s Canus lib. 7. c. 3. §. Quinta.

t Doctr. Princ. lib. 7. ca. 12.

Alia Cani Regula.

x Can. lib. 7. ca 3. sect. Secunda

Sed quid si plures ex Patribus consentiant, an ex plurium consensu argumentum firmum ducitur? Ne sic quidem: Est enim hæc etiam Cani * Regula. *Plurium sanctorū authoritas, reliquis licet pancioribus reclamantibus, firma argumenta Theologo præstare non valet.* Hinc Canus Augustini vnius opinionem (quod opificium mundi non sit sex dierum spacio paulatim completum, sed omnia simul vnoque puncto temporis facta) sententiæ Basilij, Chrysostomi, Eusebij, Ambrosij, Hieronomi, Gregorij, & Bedæ anteponendam (sed immerito) censet. In diuisione Decalogi quatuor præcepta (& ex eis vnum de Imaginibus non colendis) recensentur in priori tabula, a Philone, Iosepho, Origine, Athanasio, Ambrosio, Hieronimo, Greg. Nazianzeno, Chrysostomo; sex vero in secunda. Solus ex omnibus Patribus qui adhuc reperiri potuit, solus inquam, Augustinus y (propter Trinitatis mysterium) tria reponit in prima tabula, & septem in secunda, diuidens vltimum præceptum in duo;

Alia Cani Regula.

* Ibid. sect. Tertia.

y Aug. Quæst. 71. in Exod.

&

& secundum (quod Imaginum cultum vetat) referens ad primum. Longe plures ab illa parte patres; & tamen Romanenses Augustinum vnum hic sequuntur; & quod Augustino nunquam in mentem venit, totum illud secundum præceptum de Imaginibus non colendis, penitus omittunt in recitatione decalogi, tum in Officio [z] B. Mariæ nuper authoritate Pij 5. reformato, tum in Catechismo Ledesmæ, quasi de hac re præceptum omnino nullum dedisset dominus. Male factum, quod consensum tot Patrum, eumque verbo Dei nitentem, vnius sententiæ postponant. Sed factum ex Regula Cani; quem vel hac sola de causa non oportuit Cardinali Caietano tam grauiter [a] succensere, quod is *sibi licere dicat* [b] *scripturæ nonnunquam sensum eum dare qui sit a torrente doctorum sacrorum alienus.*

z *In Principio*

a *Canus loc. cit. §. Quinta.*

b *Caiet. præfat. Com. in lib. Mosis. Reg. 16.*

Ex his iam dilucide, exque ipso Cano declaratis, facilius erit iudicare quomodo a Patrum testimonijs arguendum sit. Regula prima sit hæc. *Neque a testimonio omnium patrum argumentum vllum, neque a testimonio vnius patris, neque ex consensu plurium aut maioris partis, firmum argumentum quod indubitatam fidem faciat duci vllo modo potest.* Liquet hoc non ex Cano tantum, sed & Aquinate, *Sacra* inquit [c] *doctrina authoritatibus sacræ scripturæ vtitur proprie ex necessitate arguendo. Authoritatibus aliorum doctorum ecclesia vtitur arguendo quidem ex proprijs, sed probabiliter.* Siue ergo ab vnius, siue a plurium patrum testimonio arguas, firmam & indubitatam fidem inde nunquam facias. Vide hic quam ridiculum id sit quod Glossa [d] Gratiani asserere non erubuit, *Hodie iubentur sanctorum patrum scripta teneri vsque ad vltimum iota.* Nec multum ab hac glossæ insania, abest Campianus [e], cum sic glorietur: *Nos tenemus patrum antiquorum volumina integra:* Et tamen *nemo omnium est*, teste Cano [f], *qui non errauit in eis quæ ad fidem spectant:* Vos igitur tenetis, imo mandatur vobis vt teneatis, errores in fide, & hæreses pro authentica veritate. Sed maledictam istam glossam textus ipse refellit: sic enim diserte Augustinus. *Noli* [g] *meis literis quasi Canonicis scripturis deseruire*, & iterum, [h] *In omnibus meis literis non solum pium lectorem, sed liberum correctorem desidero.* Vide iterum quam fallax illa sit Stapletoni Regula. *Sanctorum* [i] *patrum authoritas tunc valet quando vel omnes idem loquuntur, vel magna pars quæsitæ veritati testimonium perhibet.* Quod de omnium consensu ait, fatuum est, ac vt ante docui, deridendum. Consensum multorum patrum & reiecit Canus, & reiiciet scio Stapletonus; An non magna Sanctorum pars in Chiliastarum hæresi? *Papias* [k], *Irenæus, Apollinarius, Tertullianus, Victorinus, Lactantius, Nepos* [l], *Iustinus Martyr*, & vt ait Hieroni, *multi* [m] *ecclesiasticorum virorum, & Martyres ista dixerunt.* Opinor

c *Aqui. part. 1. q.*

d *Gloss. in cap. Noli meis, dist. 9.*

e *Rat. 5.*

f *lib. 7. ca. 3. §. Secunda.*

g *Aug. in præfat. lib. 3 de Trinit.*

h *Ibidem.*

i *Stapl. lib. 7. ca. 12.*

k *Hier. de script. eccles. in Papia.*

l *idem in Nepo.*

m *Hier. in cap. 19. Ierem.*

pinor, quia magna Patrum pars in hac sententia, Stapletonum in Chiliastarum castris invenies, aut suæ regulæ renunciabit. Sed quam vere Lesbia hæc apud illos Regula sit, quam nihil consensum Patrum faciant, quoties in rem ipsis sit, luce clarius est ex eo cuius Canus meminit exemplo. *Sancti* inquit *n*, *Omnes* (observa omnes) *qui in eius mentionem incidere, uno ore asseuerarunt Beatam virginem in peccato originali conceptam, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Euseb. Emissenus, Remigius, Maximus, Beda, Anselmus, Erardus, Bernardus, Sanct. Bernardinus, Diu. Bonaventura, Diu. Thomas, Diu. Vincentius, Diu. Antoninus, Damascenus, Hugo; Hi* inquit, *Omnes illud affirmant, & nemo Sanctorum contravenit*, Quid igitur, an firmum argumentum ex hoc tanto numero, ex hoc tanto consensu patrum, patrum (vt Canus ait) *omnium* duci potest? Non certe; contra vnanimem hunc omnium sanctorum consensum, *Beatam virginem in peccato non fuisse conceptam, pie*, inquit Canus *in o Ecclesia defenditur; & pie ac recte existimari potest, eam ab omni omnino peccato fuisse immunem*, ait Bellar. *p* & eam sine originali peccato conceptam fuisse, ita definit Conc. Basil. sess. 36. vt *doctrinam fidei Catholicæ consonam, ab omnibus tenendam, sic vt nulli de cætero liceat contrarium prædicare & docere*: addit etiam Perer. *q* Iesuita, *hoc esse certum & indubitatum in ecclesia Catholica, beatiss. virginem omnis peccati etiam leuissimi ac minimi per omnem vitã fuisse expertã*. Sed pertũ vobis sit Patrũ hic omnium consensum respuere, an & id parum, Sacris literis etiam apertè contradicere? In eis, *omnes r* (excepto Christo) *in Adamo peccasse, & mortem in omnes transijsse*, diserte asseritur. Tamen apud vos *piam est* & docere & dicere, B. Virginem immunem esse ab omni peccato *originali, atque actuali*, mortem in eam non transijsse. Sed de Patribus agamus. Quia iam nec a singulorum patrum testimonio, nec a complurium consensu indubitatum argumentum duci posse ostendimus, quæres scio quomodo ab eis arguendum sit? Scio quam acriter hic dimicent Sebrandus, & eius Antagonista, sed longe illi impar Gretzerus. Debacchatur iste in Sebrandum, nec tamen modum indicat quo arguendum sit: Si noluit emendare, debuisset commendare; mihi ita videtur.

n *Can. lib. 7. ca. 3. §. Sancti.*

o *Ibid.*

p *Bell. lib. 4. de Amiss grat. ca. 15.*

q *Perer. Com. in cap. 3. ad Rom. disput. 6.*

r *Rom. 5. 12.*

Reg. 17. *A testimonio aut iudicio antiquorum patrum non est temere dissentiendum, id est, nonnisi vel propter euidentem rationem, vel propter grauiorem aut æqualem authoritatem.* Duplex hic cautio. Primum dixi *Antiquorum*, nam a iunioribus patribus, qui *facilioni* in ecclesia adhæserint, etiam sine tali ratione dissentire licet. Ratio enim generalis in promptu est, Illi factione ducebantur non ratione. Illi in causis multis quæ iam in controuersiam vocantur, partes ipsi fuere

fuere & aduerſarij. Non magis igitur nos mouere debet, quid patres in 2. Nicena Synodo & qui ipſis adhæſerint dicant in quæſtione de veneratione Imaginum, quam illos mouet authoritas Concilii Conſtantinopolitani ſub Conſtantino Iconomacho. Quia igitur *Sciſſura* in eccleſia, circa an. 640. facta eſt, & quia ſchiſmate facto Papa illi parti quæ vere *factio* erat ſe ſigniferum dedit, ex eoque tempore factionem iſtam fouit, ideo a patribus illis (Epiſcopi omnes Patres ſunt) qui ab eo anno Papæ adhæſerint, nullum niſi invalidum imo ineptum argumentum duci poteſt. Antiquos patres qui ante hoc ſchiſma in eccleſia floruerunt, quique a partium ſtudiis ac factione pontificis liberi ac immunes erant, eos veneramur, ad eos provocamus. Nota & in ore omnium volitat doctiſſimi noſtri & ſanctiſſimi Iuelli, [f] ad crucem S. Pauli provocatio an. 1560. ad *certamenin hoc patrum antiquorum campo.* Obiit, & abiit ad ſanctos patres, ſanctus hic pater, currus Iſraelis, & auriga eius. Sed Eliſhas aliquot poſt ſe reliquit: nec deerunt vnquam in caſtris Domini exercituum, multi fortiſſimis Dauidis perſimiles, qui patrum ante 600. poſt Chriſtum annos conſenſum a nobis ſtare demonſtraturi ſunt, nec vnquam contra quemvis Philiſteum (vtcunque gloriabundi ſunt,) pugnam iſtam detrectabunt.

[f] *Conc. in illa verba, Ego accepi a Domino, & 1. Cor. 11.*

Dixi ſecundo, *non eſſe ſine iuſta ratione vel authoritate diſſentiendum*; ponderanda eſt enim patrum doctrina, integritas, diligentia, examinandæ rationes, & cedendum vbi ratione nos vincunt; vbi nos illos, repudiandi ſunt. Docet hoc Auguſtinus. [t] *Alios*, inquit, (præter ſacram ſcripturam) *ita lego, vt quantalibet ſanctitate, & doctrina præpolleant, non ideo verum puto, quia ita ſenſerunt, ſed quia mihi per authores Canonicos, vel probabili ratione perſuadere potuerunt*: Et alibi * ait, *Epiſcoporum literas per ſeminem* (id eſt, rationem) *ſapientiorem, & per aliorũ epiſcoporum grauiorem authoritatem emendari.* Et lib. 2. cont. Creſc. cap. 32. *Literas Cypriani ex Canonicis conſidero, & quod in eis diuinarum ſcripturarum authoritati congruit cum laude eius accipio, quod autem non congruit, cum pace eius reſpuo.* Similia habet de Nepote Dionyſius [x] Corinthius, *In multis Nepotem laudo & hominem admodum veneror. At veritas amica eſt, & pro cunctis honoranda; quid recte dicitur laudandum eſt & approbandum; quæ vero non recte ſcripta ſunt, inquirenda ſunt & refellenda.* Quod illi de Cypriano & Nepote, idem de omnibus alijs patribus dicendum eſt. Etiam Bellarminus * huic noſtræ Regulæ conſonat. *Doctor*, inquit, *non proponit ſententiam ſuam vt neceſſario ſequendam, ſed ſolum quatenus ratio ſuadet. Auguſtinus & cæteri patres in ſuis commentarijs fungebantur officio doctorum.* Quare ſi patrum ſententiam ratio ſequendam non docet

[t] *Epiſt. 19.*

* *Lib. 2. de baptiſ. ca. 3.*

[x] *Apud Euſeb. li. 7. hiſt. ca. 23.*

* *Lib. 3. de verb. Dei ca. 10 §. Reſpondeo, alius.*

docet, ea cum bona patrum venia, etiam Bellarmino iudice, repudiari potest. Si absq; iusta ratione a patribus dissentias, temerarius es. Si vero quis tantum patribus tribuat, vt eorum scripta, sicut olim Cypriani scripta Donatistæ pro *fundamentis fidei* habeant, huic certe omnia patrum dicta ad vltimum iota, amplectenda sunt, vt rectissime docet August. lib. 2. cont. Cresc. cap. 32. *Vos*, inquit, *qui scripta Cypriani tanquam firmamenta Canonicæ authoritatis, nobis opponitis, quicquid de Cypriano contra vos proferre potuimus, necesse est credatis.* Tali, ipso Augustino iudice, semper ita formandum est argumentum ductum a patribus, vti ex Bellarmino (qui videri voluit tale firmamentum fidei in Patribus ponere) formauit Sebrandus: Quicquid Cyprianus, Irenæus, Tertullianus aut Augustinus dicit, hoc est verum. Si patrum testimonia vt fidei vestræ *firmamenta* nobis opponitis, sic arguite, sic desipite: sin vt Doctorum sententias, earenus solum sequendas, quatenus ratio suadet proponitis, nolite stomachari, si ratione recta suadente, dissentiamus: vestram vero ipsi proteruiam & peruicaciam agnoscite, qui nulla iusta ratione inducti, non alia quam quæ olim Donatistarum * erat, *Quod volumus sanctum est*: contra clarissima scripturæ testimonia, contra vnanimem *omnium* (sic Canus fatetur) *patrum* consensum, Beatam virginem ab omni peccato, originali atque actuali immunem docetis. Vos tamen ij estis qui iuramento ' vos obstringitis, non *accepturos nec interpretaturos sacram scripturam, nisi iuxta vnanimem consensum patrum.*

* *August. li. 2 contr. epist. Parmen ca. 13.*

a *Bulla Pij 4. super forma Iuramenti professionis fidei. Reg. 18.*

Vt a patrum authoritate rectius arguas, diligenter videndum est, vt neque falsa & adulterina scripta sub nomine antiquorum Patrum obtrudantur, neque genuina eorum scripta mutilentur, aut corrumpantur. Nam a scriptis spuriis argumentum nullum nisi mendax & fallax duci potest. Talia sunt quæ sub Clementis, Anacleti, Fabiani & aliorum complurium Pontificum Rom. nominibus venditantur. Vere nil aliud sunt quam impostorum deliria, qui vt Rom. pontificis dignitatem & authoritatem euehere possent, exuta omni modestia ac pudore, & ingenio suo & otio abutebantur; Habe ex mille exemplum vnum. Vna *b* ex illis epistolis missa est a Clemente tum Papa ad Iacobum fratrem Domini & *Episcopum* Hierosolimorum. In ea mandat Clemens, tum moriens Petrus, vt *post ipsius obitum, quæ ille a Petro audiverat, Iacobo significaret*, additque *Iacobum admodum gavisurum cum intellexerit Clementem tam doctum ac dignum virum Petro successisse.* O stupidum Impostorem. Petrus obiit ' anno 13. Neronis. Iacobus vero ille, cui tot miranda per Clementis literas significari vult Petrus, cuique vt episcopo Hierosolimitano Clemens ea scripsit, septimo *d* Neronis anno

b *Epist. Clementis 1.*

' *Bar. an. 69. nu. 1.*

d *Euseb. in Chron. in eum annum.*

anno obijt, eumque obijsse sciebat *e* Petrus; & tamen impudens iste impostor, non erubuit introducere Petrum *mittentem nuncios*, & Clementem *literas* ad eum episc. Hierosol. quem quinquennio & plus eo ante obijsse nouerant. Et quod hoc longe impudentiâ superat, Turrianus Iesuita vt stupiditatem hanc tueri posset, multas esse & iustas rationes ait, *f* cur *ad mortuos littera mittantur*; fecisseque id Theodosium Imp. qui ad Chrysostomum (quem certo sciebat defunctum ac sepultum fuisse) literas misit & tradi curauit. Sed Iesuitâ mendacium mendacio tuetur: nec stultitiam Impostoris vllo modo excusat, sed suam prodit. Et tamen hæ similesque pontificum illorum epistolæ, commentitiæ, stramentitiæ, & quas verissime dicas ab homine plumbei cordis, & ferrei frontis confictas, hæ inquam quia in rem pontificis faciunt, vt *sanctissimæ & viris Apostolicis dignissimæ* vocantur *g*. Etiam Glossa *h* in Gratianum non veretur in Rubrica asserere, *Inter Canonicas scripturas decretales epistolas connumerari*: vt probent Inuocationem sanctorum, citatur *i* liber Aug. de spiritu, & anima, ca. 59. Et quidem in Missali nullo, clarius quam illic inuocantur sancti, *Orate pro me ad Dominum vt educat me de isto carcere*. At interim Augustini liber iste non est, vt agnoscunt Louanienses *k*, & Bellarminus *l*: spurium esse, & *a Cistertiensi quodam monacho confictum*, testatur Aquinas *m*. Non debuerunt Colonienses tanta ostentatione hoc testimonium proferre, *Audiamus* n *inexpugnabile illud Catholicæ fidei propugnaculum D. Augustinum*. Pleni sunt Pontificorum libri talibus confictis, & ementitis authoribus, quos sub Cypriani, Athanasij, Ambrosij, Augustini, Hieronimi, & aliorum antiquorum nominibus venditant, cum verè nil sint aliud quam Larvæ patrum, vere Gibeonitæ, homines nuperi & novitij, quos illi per antiquis vestibus et laceris calceamentis vt facilius imponant, induerunt.

Etiam et altera fraus cauenda, ne quid e genuinis patrum scriptis eradatur, expungatur, vel corrumpatur. In recentiorum scriptis frequens hoc esse et prope solenne demonstrant illorum Indices expurgatorii. Quam multa ex Erasmo, Stapulensi, Fero, Iansenio, Conr. Lago, Fabricio, aliisque expuncta? Ex vno Anton. de Rosel. vnoque in loco, tres integras et amplas paginas *o* in folio delendas mandarat. Quid ni faciant? mirifice Papæ authoritatem quæ ibi habentur infringunt. Quam multa ex indicibus patrum expungenda censuerunt? ex Indice Chrysostomi *p* hæc, *Fides sola a iustificato requiritur. Coram Imaginibus procumbere quanta stupiditas. Intercessoribus non opus est apud Deum, sed pro nobis per nos accedendum. Iustificatio ex sola fide sine operibus*. At a sanctis Patribus, opi-

e *Turrian. defens. Can. Apost. & Epist. pontif. li. 2. c. 13 in principio.*
f *Ibidem.*
g *A Turriano, loco cit.*
h *Dist. 29 ca. In Canonicis.*
i *In Censura Colon. Dial. 6. pag. 205.*
k *Louan. Censur. in tom. 3. Aug.*
l *Bell. lib. de eccl. script. in August. to. 3.*
m *Aquin. Quæst. disput. q. de Anima art. 12.*
n *Cens. Col. loc. citat.*
o *Ex part. 1. Ant. de Rosel. de Monarch. delendum totum caput 70. a pa. 296. ad 300. Index expurg. ed. an. 1599. pag. 87.*
p *Ind. expurg. pag. 24. 25.*

nor, abstinent, ex eorum scriptis nihil ista sacrilega manus delere audet, nihil expungere, nihil corrumpere. Imo et in hos involant. Extat apud Authorem operis Imper. in Math. homil. 49. aureus plane tractatus, de sacrarum literarum dignitate. *Nunc*, inquit, *nullo modo cognoscitur, quæ sit vera ecclesia nisi tantummodo per scripturas.* Locus prolixus est, sed lectu dignissimus. Integrum hunc locum, duas pagellas complentem, expungi curarunt ex editione Paris. an. 1558. In tertia editi. Bibl. sanct. Patrum, ex præscripto Indicis expurgatorii emendata, deleta sunt ex Optato sex integræ paginæ, e fine libri 7. In lib. de vnitate ecclesiæ, quam fæde corruperunt Cypriani verba, contra antiquorum et optimorum codicum fidem, inserentes illa verba, *Petro primatus datur.* In genuina editione Ignatii (illius scripta ipsis genuina habentur) in epist. ad Smirn. legitur, *Honorare oportet & Regem, nec enim Rege quisquam est præstantior, aut quisquam similis ei in omnibus rebus creatis.* In edit. Lat. Paris. an. 1561. itemque græca, 1562. sic mutarunt hæc verba, *Honorare regem oportet, neque enim Deo potior est quisquam, aut compar in omnibus rebus.* Antiquum nimirum hic obtinent: nec faciunt aliud quam quod ipsi Rom. pontifices olim facitarunt. Vt suam authoritatem stabilire possent, corruperant Nicenos q Canones Zosimus & Bonifacius, fraus ipsorum ab Africanis patribus clarissime tum detecta: nec vllo nitro elui vnquam potest illius facti labes. Si a Patrum testimonio recte argure velis, cauendum ne spurios pro genuinis, corruptos pro integris proferas.

* *Non falso solum, sed inique & improbe accusant alios*, quod sint r vbique Patrum contemptores & adversarij, *cum illi ipsi antiquos patres si quando eis occurrat aliquod quod palato ipsorum non sapiat, non libere solum, sed sæpe non sine fastu respuant.* Antiquos patres nos amplectimur, & ita accipimus, vt nec sine *iusta* & *euidẽtiratione*, ab vno pluribusve, nec ab vnanimi ipsorum *consensu* vnquam in causis fidei dissentiamus: vtrum illi magis eos colant ac venerentur ex ipsorum scriptis iudicate. *Sanctorum* s *quisque errauit vel in eo quod ad fidem spectat. Reliqui* t *scriptores sancti* (præter authores Canonicos) *deficiunt quandoque ac monstrum pariunt: In dictis* u *aliquorum patrum incommodis & erroribus, commode eos exponere conuenit. In libris* x *sanctorum doctorum, quos authentice legit Ecclesia, nonnunquam inueniuntur quadam praua & hæretica. Dionisius* y *Corinthius dum Sabellium oppugnare nititur, nimio contentionis studio in contrarium vitium fertur. Ienæus* z *impetu ipso refellendi Gnosticos, in partem contrariam delatus est. Chrysostomus* a *impetu disputandi cum Manicheis, sæpenumero natura nostra vires plus æquo attollit. Ego* b *de Origine susque deque fero. Origines* c *hunc errorem hausit*

q *Vide Concil. Carthag. 6. & Conc. Afric. cap. 101.*
* *Reg. 19.*
r *Can. li. 7. ca. 3. §. At Gelas.*
s *Can. li. 7. c. 3. § Secunda.*
t *Ibid. § Ecclesiastici.*
u *Stap. doct. princ. lib. 7. ca. 15.*
x *Sixt. Senen. præfat. in lib. 5. suæ Biblioth.*
y *ibid.*
z *Feuar. com. in lib. 2. ca. 39. Irenæi.*
a *Sixt. Sen. loco cit.*
b *Perer. com. in cap. 3. ad Rom. disp. 6. pa 226.*
c *Sixt. Sen. lib. 6. Annot. 119.*

hauſit e ſchola Clementis Alexandrini præceptoris ſui. Non d eſt omnino fides habenda Tertulliano hac in parte. Tertulliani e & Euſebii in dogmatibus parva eſt authoritas. Cyprianus f plus ſatis excandeſcit, nec ab ipſis conviciis abſtinet, nihil in ea epiſt. temperantius agit. Non g mirum ſi Cyprianus more errantium tunc ratiocinetur. Lactantius h in plurimos errores lapſus eſt, cum eſſet magis liberum Ciceronis quam Scripturarum teſtis. Victorinus i Martyr fuit ſed eruditio ei defuit. Epiphanius k ſibi non conſtat. Epiphanius l zelo captus erat, ſed non ſecundum ſcientiam. Hilarius m nauſe non caret. Ambroſius n ita exponit, ſed non puto hanc expoſitionem eſſe veram. Ambroſii o ſententiam (quæ fuit etiam Juſtini Martyris, p Methodii, Clementis Alexand. Euſebii, & Lactantii, Philaſtrius inter hæreſes recenſet. Caveat q lector ſi Chryſoſtomum in hunc locum legat, ne in Pelagianorum hæreſin incidat. Admoneo r hic lectorem, ſententiam B. Chryſoſtomi nec probabilem eſſe nec probam: Ille verba illam Pſalmi, Non eſt qui faciat bonum, non eſt ad uſque ad unum, nimio plus quam par eſt extendens, pertinere ea putauit ad B. virginem: Dico eum in hac ſententia, veritatis & pietatis terminos exceſſiſſe. Non s facile admittamus quod Philo, Clemens, Nazianzenus, Origines, & Ambroſius dicunt. Quod t Auguſt. ait de Petro, lapſus humanus eſt. Auguſtinus u ex ignorantia linguæ Hebreæ deceptus eſt. Hieronimus x memoria lapſus eſt. Gregorius y velut in ſcena aliam perſonam agit. Non z eſt in hoc ſtandum ſententiæ Dimaſceni. Theophylactus a tempore ſchiſmatis vixit, ergo eius authoritatem non recipimus. Mich. Medina b affirmat Hieronimum idem omnino cum Arianis ſenſiſſe, neque ſolum Hieronimum in ea hæreſi fuiſſe, ſed Ambroſium, Auguſtinum, Sedulium, Primaſium, Chryſoſtomum, Theodoretum, Oecumenium, & Theophylactum. Tertullianus c, Irenæus Origines, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambroſius, Clemens Rom. D Bernardus, (quibus accedunt, d Juſtinus martyr, Lactantius, Victorinus, Prudentius, Auguſtinus, Arethas, Euthymius) omnes ſenſerunt viſorum animas ante diem iudicii Dei viſione non frui: at contrarium eſt dogma fidei, in Concilio Florent. no definitum; & ſententia Bernardi damnata eſt: non infitior. Pleriſque e patribus viſum eſt Angelos eſſe Corporeos, Senſerunt ſic Philo, Origines, Lactantius, Athanaſius, Methodius, Hilarius, Baſilius, Damaſcenus, Caſſianus, ipſa etiam Nicæna Synodus ſecunda: ego contrariam ſententiam potiorem exiſtimo, ait Sixtus Sen. nec credo eſſe corporeos, ait Pererius. Angelos g multis ante hunc mundum ſeculis creatos fuiſſe ſentiunt Græci ſcriptores, Latinis quicunque fuerunt ante Auguſtinum, illi ſunt Origines, Baſilius,

d Bell. lib. 4. de Rom. pont. ca. 8
e Idem lib. 1. de Chriſt. ca. 9.
f Bar. an. 258. nu. 37. 38.
g Bell. li. 4. de verb. dei ca. 11
h Idem lib. de Beat. ſanct. ca. 5 in fine.
i Ibidem.
k Hoſius lib. 4. cont. Brent. pa. 212.
l Th. Wald. Sacrament. Tit. 17. ca. 157.
m Bar. an. 369. nu. 24.
n Bell. lib. 1. de Purg. ca. 4.
o Sixt Sen. lib. 5 Anno. 77.
p Ibid.
q Mald. in cap. 6. Iohan.
r Perer. in cap. 3. ad Rom. diſp. 6.
s Bar. in Appar. nu. 52.
t Stapl. lib. 6. princ. doct. ca. 3.
u Bell. li. 1. de Pontif. ca. 10,
x Idem lib. 2. de Monac. ca. 9.
y Bar. an. 593. nu. 18. z Aq. queſt. diſp. q. 10. de proceſſ. Spir. a Bell. lib. 2. de Chriſt. cap. 27. b Idem lib. 1. de Cler. ca. 15. c Stapl. lib. 1. de Author. ſacr. ſcrip. ca. 2 ſec. 5. d Six. Sen. lib. ann. 345. e Perer. com. in Gen. lib. 1. diſput. 10. pa. 248. f Sixt. Sen. lib. 5. Ann. 8. g Perer. loco. cit. pa. 245.

Greg.

Greg. Nazianzenus, Seuerianus, Damascenus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Isidorus, & Cassianus: at hanc sententiam Concil. Lateranense sub Innoc. 3. damnauit: ait Sixtus Senensis *h*. Agmen hoc claudet Baronius, nam piget illa vlterius persequi. *Hoc*, inquit *i*, *ab Augustino, Ambrosio & complutibus summa authoritatis doctoribus, summum velint quadam consensione affirmatum scimus: sed pro veritate elucidanda aduersus quoscunque obniti adstringimur.* Quoties quidquam in rem Pontificis, aut Pontificiorum causam facit, *elucidatis ab eis veritatem* (noua phrasi, sed illis solemni) ne dubites: tum verò *aduersus quoscunque obniti*, plane obstringuntur. Æquum nunc postulamus, liceat & nobis hac eadem libertate vti; liceat cum iusta ratio suadet, cogitque, a patre vno, a consensu plurium patrum dissentire. Hanc veniam petimusque, damusque vicissim. Sic enim neque aliter a Patribus arguere didicimus. *Quod Patres asserunt, nisi iusta ratio refragetur, pro vero accipiendum est*; Hoc Augustinus, Chrysostomus aut alij asserunt, ergo, nisi iusta ratio contrarium suadeat, pro vero accipimus, & accipiendum docemus.

h Sixt. Sen. li. 5. Annot. 5.

i Bar. in Appar. num. 89.

De Testimonio Patrum.

A patribus ad Papam Rom. (quem patrem patrum haberi volunt) progrediamur. Et hic quidem res illis ad Triarios rediit. Ecclesia, Patres, Concilia vel maxime Oecumenica, ac legitima, errare poterunt, si ipsa fidei *petra* in fide titubet, & ruat: Illius testimonium quanti valeat videamus. *A testimonio & iudicio definitiuo Rom. pontificis nullum in causis fidei firmius & validius argumentum duci potest.* Ratio est, quia in tali iudicio ille non solum errare in fide potest, & errorem sententia definitiua confirmare, sed & actu, seu de facto sic errauit, vt hæresin confirmauerit. Liberium *subscripsisse vni ex tribus fidei* formulis in Concilio Sirmiensi editis, testantur ipsius literæ *k*, & agnoscunt Baronius *l* ac Binnius *m*. Primam formulam hanc fuisse contendunt illi. Errant. Illam cui Liberius subscripsit, *impiam confessionem fuisse* & alia multa certissime demonstrant, & recte agnoscit Binius *n*. Primam autem formulam, *vere Orthodoxam* esse et res ipsa docet, & testatur Hilarius *o*, qui eam explicat; & agnoscit Baronius *p*. Duæ reliquæ hæreticæ, vtramuis elige. Cuicunque ex duabus illis subscripserit, confirmauit, definiuit, & dogmatizauit hæresin; etiam tum Papa existens. Hæc obiter. Nam singula hæc fusius a me in alio hac ipsa de re instituto Tractatu, declarata sunt. Alter error est Cælestini tertij. Tu eum non meis, sed Alphonsi Castrensis verbis accipies, *Omnis*, inquit *q*, *homo errare potest in fide, etiam si Papa sit. Nam Cælestinum papam errasse circa matrimonium res est omnibus manifesta.* Docuit nimirum Matrimonium ita solui per hæresin, vt liceat ei novum coniugium inire, cuius prior coniux in hæresin lapsus

Reg. 20.

k Epist. 7. Liberij apud Bin. p. 465

l Bar. an. 357. num. 46. & seq.

m Bin. notis in Conc. Sirmicus.

n Cuius impiæ professioni subscripsit. Bin. loc. cit. pag. 474 a.

o Hilar. lib. Synod.

p Bar. loc. cit.

q Alph. a Caste. lib. 1. aduers. hæres. c. 4.

sus sit. *Quod hæreticum* esse liquet ex Concil. Trid. *r* vbi hoc dicentibus Anathema denunciatur. At fortè solum opinatus est hoc Cœlestinus, non *ex Cathedra* definiuit. Audi iterum Alphonsum. *Hic Cœlestini error, talis non fuit vt illum errasse dicamus velut peruicacem personam, & non vt Papam: quoniam huiusmodi Cœlestini Definitio habebatur in antiquis Decretalibus in Cap. Laudabile. Tit. de conuers. infid. quam ego ipse vidi & legi.* Sic Alphonsus. Sed ciuerum iam ne alij legant hæreticam istam Papæ Definitionem. Honorium Monothelitarum hæresin amplexum, eaque de causa anathematizatum agnoscit & demonstrat Canus *s*. Dogmatice vero eum istam hæresin docuisse testantur ipsius literæ in Concil. Gen. 6. Aiunt enim *se in eis docuisse id quod ad dogma ecclesiasticum pertinet, ad instruendam rectitudinem ambigentium, & amputandas inextricabiles quæstionum ambages.* Quare & ista Honorij epistola, cum alijs Cyri & Sergij *u* combusta est, quæ omnia Actione 14. vocantur *Opuscula dogmatica.* De erroribus Iohannis 22. audi Occamum *x*, *Tres* inquit *Iohannes Destitutiones scripsit, quas Constitutiones appellauit. Has ille erroribus, hæresibus, mendacijs, & sophismatibus fermentatas, in fidem & bonos mores damnabiliter impegit: & in præiudicium Christi & Christianitatis, contra veritatem Catholicam intrepide scripsit, docuit, & affirmauit.* Et recensitis ex prima eius Constitutione erroribus quatuordecim, ex secunda septem alijs, ex tertia alijs octodecim, quos omnes *definitiue a Iohanne promulgatos fuisse* testatur: addit Iohannem istum, *quartam Constitutionem edidisse, in qua priores errores & hæreses replicans & confirmans, & se pertinacissimum hæreticum ostendens, plures alias hæreses patentiores, & detestabiliores prioribus adinuenit, quas in ipsa Constitutione definiendo scripsit & docuit, ac sub bulla sua mundo tradidit tanquam Catholicas veritates.* Et recensitis ex illa quarta Constitutione, triginta duobus erroribus & hæresibus, ista subijcit: *Quinimo, alias hæreses cuilibet fideli horrendas in sermonibus suis publice docuit, & pertinaciter defensauit. Vide ann. 1321. in sermone, in festo omnium Sanctorum habito, publice dixit tenuit, docuit, & affirmauit, quod anima in cœlo beate, non vident visione faciali, nec intuentur diuinam essentiam, nec ante diem iudicij generalis sint visuræ: quam hæresin in diuersis alijs sermonibus suis approbando recitauit, & pertinaciter affirmauit, pro qua etiam hæresi fulcienda vnum magnum opus composuit, quod ego vidi & legi.* Hæc ille, qui huius rei viros hde dignos, testes citat. Audi idem ex Gersone *y*. *Hinc* inquit *apparet falsitas dolosæ Papæ Iohannis 22. de visione beata, quæ damnata fuit cum sono buccinarum coram Rege Philippo, per Theologos Parisienses.* Audi idem ex Bellar. qui hoc & *hæresin* 2. *esse agnoscit*, & in Concilijs Florentino & Tridentino damnatum declarat. *Iohannes*, inquit *a*, *veneno sensit animas non visuras Deum nisi post resurrectionem.* Sed Bellarmini testimonio

r Conc. Trid. sess. 24. can. 5.

s Lib. 6. cap. 8. sect. Huic.

t Act. 13. pa. 71.

u Pa. 73.

x Guil. Occam. in Compendio errorum Iohannis 22.

y Serm. in fest. paschæ to. 4. pa. 491.

z Bell. lib. 1. de beat. sanct. cap 1. & 2.

a Lib. 4. de Pontif. cap 14. sect. Respondeo imprimis.

monio non tantum tribuo, præsertim cum ibidem (vereor ne reclamante ipsius conscientia) dicat *b*, *Iohannem hunc non accusari a Gersone & aliis, vllius erroris, præterquam istius de visione Dei.* Atqui, ab Occamo, (quod opinor non ignorauit Bellarminus) septuaginta alij Iohannis errores & hæreses præter istum recensentur. Parum hoc sit Bellar. illud asserere. At asseuerare *Iohannem hunc in errorem nullum incidisse*, (sic disertis verbis asserit *c* Bellar.) superat opinor ipsam impudentiam; cum ille ipse & Iohannem fatetur *sensisse animas non visuras Deum ante resurrectionem*, & hoc ipsū *non errorem solum esse sed hæresim agnoscat.* Audi igitur testem Bellarmino longe digniorem, Adrianum nempe papam. *Notissime* d *fertur de Iohanne* 22. *quod publice docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit, quod anima purgata ante finale iudicium non habeat plenam quæ est clara & facialis visio Dei; & Vniuersitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quod nemo in ea poterat gradum in theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem iurasset se defensurum, & perpetuo eadhæsurum.* Sic ille, qui hinc affirmat *certum esse Pontificem Rom. errare posse in fide*, quoniam alij *in aliis rebus erranerunt, in hac Iohannes iste.* Habe aliud exemplum. Vigilius Papa pro defensione trium Capitulorum (in quibus virus omne Nestorianarum hæresium latebat) edidit *Decretum*, seu *Constitutum Apostolicum* e, in quo ita concludit, *Statuimus & decernimus nulli ad ordines, & dignitates ecclesiasticas pertinenti, licere quidquam contrarium his quæ præsenti asserimus vel statuimus Constituto de sape dictis capitulis aut conscribere, aut proferre, aut componere aut docere; aut aliquam post præsentem Definitionem mouere vlterius quæstionem. Si quis vero de ijsdem tribus Capitulis contra hæc quæ asseruimus, nomine cuiusquam ad ordines & dignitates ecclesiasticas pertinentis factum, dictum, atque conscriptum est vel fuerit, hoc modis omnibus ex authoritate sedis Apostolicæ refutamus.* Quâ tota de causâ, volumen integrum, quod lucem opinor nunquam conspiciet, a me conscriptum esse norunt non pauci. Sed fisto. Certe enim male metuo ne ob ista in hæreseos apud eos suspicionem incidam, eoque magis si vera nobis narrant Canus *f* & Bellar. *g* de Concilio nescio quo Complutensi, circa ann. 1480. habito, in quo *Petrus quidam Oxomensis*, (Oxonienſis ait Bellar.) *hæresis nomine condemnatus est, eo quod asseruit ecclesiam vrbis Romæ errare posse.* Bene vero est. Dignissimus ille Ioh. Gerson, & Papa Adrianus in eadem mecum sententiâ, quos opinor hæreseos vix condemnabunt.

Ad Scholasticos Theologos iam accedamus. Hoc autem nomine non alij significantur, quam qui post annum 1140. suis quæstionum & disputationum spinis quas illi *Argutias* putabant, Theologiam omnem sic perturbarunt, vt omnis fere ad antiquorum Academicorum incertitudinem reuocarint: quique, vt ait Erasm.

b *Lib. 1. de beat. sanct. cap. 2. sect. Secundum.*

c *Lib. 4. de Pont. cap. 14. sect. Quintum.*

d *Adrian in 4. sent. de Sacram. Confir. in fine.*

e *Constitutum illud extat apud Bar. ann. 535. a nu. 50. ad 210.*

f *Can lib. 6. cap. 7. sect. Nicolaus.*

g *Lib. 4. de Pont. cap. 4.*

De testimonio Scholasticorū.

Eraſm h. *totam Theologiam a capite vſque ad calcem retexuerunt, & ex diuina Sophiſticam fecerunt, aut Ariſtoteliſcam.* Hos fere omnes a tribus *Petris*, oriundos dixeris: Pet. Gratiano, Petr. Lumbardo, & Pet. Comeſtore; quorum primus *Decretorum*, & *Canoniſtarum*; ſecundus *Sententiarum*, & *Scholaſticorum*; tertius *Hiſtoria eccleſiaſtica*, & *Legendariorum* magiſter dici poteſt. De quibus fertur i, tres iſtos omnes, *germanos fratres ex adulterio natos fuiſſe*, quorum mater cum in extremis peccatum ſuum confiteretur ſacerdoti, illeque vt pœnitentiam de eo ageret, admoneret, reſpondit in hunc modum. *Pater, ſcio quod adulterium peccatum magnum eſt: ſed conſiderans quantum bonum ſequutum eſt, cum illi filij mei ſint lumina magna in eccleſia, non valeo pœnitere.* Scio Antoninum, Baronium, Bellar. et quoſdam alios, eos pro fratribus non putare: non contendo de hac re, etſi cur hoc verum non ſit rationem nullam firmam adducunt. Hoc in confeſſo eſt, eos omnes eodem ſæculo, & circa ann. 1150. vixiſſe, quo tempore hæreſes multæ & Zizania in eccleſia ſuccreuerunt. In multis Magiſter Scholaſticorum a diſcipulis ſuis non tenetur, *in* k *articulis 26. rejcitur.* Etiam & ipſe *Hæreſeos* l *accuſatus eſt, apud Alexandrum tertium, quod docuiſſet Chriſtum vt hominum non eſſe aliquid*: quæ ſententia iubente Alexandro 3. in *Concilio pariſienſi damnata fuit*. Magiſter item Decretorum, *Apocryphis* m *ſcriptis* & *mendaciis* librum ſuum vbique commaculauit, *ſæpe erranit, minus erat Theologia ſcitus*; Denique Magiſter hiſtoriæ, *multis* n *apocryphis narratis, omnibus hiſtoriam eccleſiaſticam* corrupit, & aliis quomodo pro hiſtorijs fabulas mendaciſſimas quas *Legendas* vocant, orbi propinarent, viam monſtrauit; Ita tres illi Magiſtri, (fratres ſaltem in nequitia & fraude) turbarunt omnem Theologiam, vnus arguuijs inutilibus, & ſpinoſis quæſtiunculis; alter ſcriptis apocryphis, & falſis patrum ſententijs: tertius mendaciis & fabulis. Ex his orti Scholaſtici, qui poſt ih ſectas diuiſi Thomiſtarum & Scotiſtarum, (ſæpe inter ſe tam acriter de lana Caprina dimicantium, ac ſi in ea poſitæ eſſent fortunæ Græcorum. In hoc fere omnes conſpirant, vnus hic erat omnibus labor, Pontifici (cuius illi ſatellites) placere, & receota in pontificum factione dogmata, (vera an falſa eſſent, ſuſque deque erat) manibus pedibuſque propugnare: ri faciant aut facere ſe ſimulent, (Occamus tibi exemplo eſt) hæretici audient. Notum quid ex his o. *doctores dicere* ſoliti, *Sic dicerem in ſcholis, ſed tamen (maneat inter nos) diuerſum ſentio. Sic dicimus in ſcholis, ſed tamen, (maneat inter nos) non poteſt probari ex ſacris literis.* Styli deinde apud hos, quanta barbaries? quam ieiuna & incompta oratio; quæ illis tamen ſit in deliciis, vt lepide ſed non ſine cauſa ab Eraſmo p dictum ſit, vel *Græce ſcire, aut expoliſe loqui, hæreſin inter hos habere*. Nec tamen hæc a me dici putes, quia Scholaſticorum ſcripta aut

h *Eraſm. in vita Hier. præfixa ipſius operibus.*

i *Vita Gratiani poſt librum Decretorum.*

k *Bell. de Script. eccl. in Gratian.*

l *Math. Pariſ. in Henr. 2. ſect. Relatum pa. 185.*

m *Poſſev. in Appar. in Gratian.*

n *Poſſ. in Pet. Comeſt.*

o *Paralip. ad abbat. Vſperg. pa. 448.*

p *Ibid pa. 455.*

aut negligam ipſe, aut ab aliis legi nolim. Certe enim vt homines ingenioſos & argutos in diſputando, laudo & amplector, nec ſine magna voluptate ſimul ac fructu eorum ſcripta ſæpe reuoluo. Sed quia multæ in illis fæces, multæ falebræ, lectorem cauum, & iudicio firmarum eſſe cupio, ne ſpecie veritatis deceptus, pro auro fimum, vitus pro veritate (ſi leui ſit ac inſtabili ingenio) imprudens imbibat. Sed quam firmiter ab iis arguendum ſit videamus.

Cani Regula.

Iterum hic ridiculus eſt Canus, cum de his hanc regulam tradit: *Concordem & conſtantem omnium Theologorum ſcholaſticorum de fide aut moribus ſententiam firmam eſſe, & pro veritate catholica amplectendam.* Huic concordem omnium? Quis omnium ſententiam vnquam exquirat? vnquam inuenit? quis vel omnes nouit? non dico de ſcriptis, ſed vel de nomine? Vt omnes ad manum habeas, an vnquam omnes conſpirare putas? Non ſic Cadmea ſoboles, vt inter ſe dimicat gens hæc clypeata virorum, marte ſuoque cadunt per mutua vulnera. Sæpe etiam diſputatione tantum loquuntur, nec rem diſtinuunt. Tua ipſius verba audi. *Lege 2 Magiſtrum D. Thomam, Scotum, Bonau. Richard. Palud. Durandum, cæteroſque ſchola Theologos, & niſi ſtatim eorum pendentes ac vacillantes animos deprehenderis, tum vero me aut ſtultum aut temerarium iudicato.* Quare mitte concordem illorum omnium ſententiam; de illorum opinionibus, cum aliquot ex eis conſpirant, videamus. *A Theologorum ſcholaſticorum, etiam multorum conſenſu, nullum firmum argumentum peti poteſt, nec plus valet eorum teſtimonium ad faciendam fidem, quam vel ratio vel grauior aliqua authoritas comprobarit*: Hoc vnico exemplo manifeſtum fiet. Matrimonium omne inter Chriſtianos, ſiue celebretur a miniſtro eccleſiaſtico ſacris & ſolemnibus verbis, ſiue abſque tali miniſtro, ſacramentum eſt, et, vt ait Bellar. *eſt communis conſenſus ſcolaſticorum.* ita ſentit *Hugo, Thomas, Dominicus a Soto, Pet. Paludanus* b, *Theologi c Omnes & omnis ſchola* d *Theologorum. Etiam Canus ipſe fatetur* (vt ait Bellar e.) *hanc eſſe communem opinionem Scholaſticorum.* An in hoc fidei dogmate, etiam in *Concilijs* f *ipſorum definito*, cedet Canus communi huic Scholaſticorum ſententiæ? Non cedet. *Matrimonium ſine miniſtro eccleſiaſtico contractum* non eſſe ſacramentum acerrime tuetur g, etiam tuetur vt veritatem non *certam* modo, ſed plane *euidentem*. Sed præſtat ipſius verba audire. *Hic inquit* h, *ſi Thomiſtæ omnes cum Scotiſtis exiſtant, ſi cum antiquis iuniores contra me pugnare velint, ego tamen ſuperior ſim neceſſe eſt. Eſt quædam ita perſpicua veritas, vt eam infirmare nulla res poſſit.* Ecce Thomiſtæ omnes, & Scotiſtæ, Scolaſticorum omnium conſenſus, Canum de ſua ſententia dimouere non poteſt. Nec Cano ſolum hæc libertas. Cæteri omnes quoties ex vſu ipſis eſſe vident, Scholaſticos pro libitu reſpuunt. *Diu. Thomas* i, *ait Chriſti animam per realem præſentiam deſcendiſſe ſolum ad limbum patrum, at reſellit*

Iterum hic ridiculus eſt Canus, cum de his hanc regulam tradit: *Concordem & conſtantem omnium Theologorum ſcholaſticorum de fide aut moribus ſententiam firmam eſſe, & pro veritate catholica amplectendam.* Huic concordem omnium? Quis omnium ſententiam vnquam exquirat? vnquam inuenit? quis vel omnes nouit? non dico de ſcriptis, ſed vel de nomine? Vt omnes ad manum habeas, an vnquam omnes conſpirare putas? Non ſic Cadmea ſoboles, vt inter ſe dimicat gens hæc clypeata virorum, marte ſuoque cadunt per mutua vulnera. Sæpe etiam diſputatione tantum loquuntur, nec rem diſtinuunt. Tua ipſius verba audi. *Lege 2 Magiſtrum D. Thomam, Scotum, Bonau. Richard. Palud. Durandum, cæteroſque ſchola Theologos, & niſi ſtatim eorum pendentes ac vacillantes animos deprehenderis, tum vero me aut ſtultum aut temerarium iudicato.* Quare mitte concordem illorum omnium ſententiam; de illorum opinionibus, cum aliquot ex eis conſpirant, videamus. *A Theologorum ſcholaſticorum, etiam multorum conſenſu, nullum firmum argumentum peti poteſt, nec plus valet eorum teſtimonium ad faciendam fidem, quam vel ratio vel grauior aliqua authoritas comprobarit*: Hoc vnico exemplo manifeſtum fiet. Matrimonium omne inter Chriſtianos, ſiue celebretur a miniſtro eccleſiaſtico ſacris & ſolemnibus verbis, ſiue abſque tali miniſtro, ſacramentum eſt, et, vt ait Bellar. *eſt communis conſenſus ſcolaſticorum.* ita ſentit *Hugo, Thomas, Dominicus a Soto, Pet. Paludanus* b, *Theologi c Omnes & omnis ſchola* d *Theologorum. Etiam Canus ipſe fatetur* (vt ait Bellar e.) *hanc eſſe communem opinionem Scholaſticorum.* An in hoc fidei dogmate, etiam in *Concilijs* f *ipſorum definito*, cedet Canus communi huic Scholaſticorum ſententiæ? Non cedet. *Matrimonium ſine miniſtro eccleſiaſtico contractum* non eſſe ſacramentum acerrime tuetur g, etiam tuetur vt veritatem non *certam* modo, ſed plane *euidentem*. Sed præſtat ipſius verba audire. *Hic inquit* h, *ſi Thomiſtæ omnes cum Scotiſtis exiſtant, ſi cum antiquis iuniores contra me pugnare velint, ego tamen ſuperior ſim neceſſe eſt. Eſt quædam ita perſpicua veritas, vt eam infirmare nulla res poſſit.* Ecce Thomiſtæ omnes, & Scotiſtæ, Scolaſticorum omnium conſenſus, Canum de ſua ſententia dimouere non poteſt. Nec Cano ſolum hæc libertas. Cæteri omnes quoties ex vſu ipſis eſſe vident, Scholaſticos pro libitu reſpuunt. *Diu. Thomas* i, *ait Chriſti animam per realem præſentiam deſcendiſſe ſolum ad limbum patrum, at reſellit*

q Can. lib. 8. ca. 4 § Tertia, et li. 12. cap. 7. ſect. Ottana.

r Can lib. 8. ca. 5 ſect. Oſtendam.

s Bell. lib. de Sacramento Matrim. cap. 7. ſect. Secundo.

t Ibid. cap. 7. ſect. Reſpondeo, Petrus.

c Ibid. cap. 6. ſect. Et quamuis.

d Ibid cap. 8. ſect. Si de

e Ibid. cap. 7. ſect. 5. Thomas.

f Florentino & Tridentino vt ait Bell. ibid. ca. 7 ſect. Concilium.

g Canus lib. 8. cap. 5. ſect. Oſtendam.

h Ibidem.

i Bell. lib 4. de Chriſti anima. cap. 16.

fellit hoc Bellarminus *k*. *Sentit* l *Durand. non totum panem transubſtantiari, ſed manere illius materiam: ſententia haec Durandi haeretica eſt*, ait Bell. m. *Scotus* n *ait Tranſubſtantiationem non fuiſſe fidei dogma ante Concil. Lateranenſe. Hoc non eſt approbandum*, inquit Bellarminus o, *Sanct. Thomas exiſtimat* p *non poſſe vnum corpus eſſe in duobus locis localiter. Illius opinio, etiam & ratio non eſt ſolida*; inquit Bell. q, & ſexcenta ſimilia. An illis ſolis reſpondi Scholaſticos ius fasque eſt? Sed quâri faciendi ſit Scholarum authoritas vnico exemplo indicabo. Aquinas ait imagines quaſdam colendas eſſe cultu Latriæ, & ipſon (eccleſiam nempe Rom.) eas hoc cultu venerari teſtatur: verba eius haec ſunt, part. 3. quæſt. 25 art. 3. *Imagini Chriſti eadem reuerentia exhibetur quæ ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt quod eius Imago ſit adoratione latriæ adoranda.* & art. 4. *loquendo de ipſa cruce in qua Chriſtus crucifixus eſt, illa vtroque modo* (tam propter contactum quam propter repræſentationem) *adoratur eadem adoratione cum Chriſto, ſcilicet adoratione latriæ. Si vero loquamur de effigie crucis, in quacunque alia materia, (puta lapidis, ligni, argenti vel auri) ſic veneramur crucem, eadem vt Imaginem Chriſti, quam veneramur adoratione latriæ.* En tibi Crucem & Imaginem omnem Chriſti, & adorari ait (a Romana eccleſia, cuius ille primarius athleta) cultu latriæ, & ita etiam adorandam eſſe definit. Nec vero excuſari hoc vllo modo poteſt, ſi dicant latriam crucí aut imagini Chriſti exhiberi non propter ſe, ſed propter deum: Latriam verò eſſe cultum Deo proprium, quando exhibetur alicui propter ſe, non quando exhibetur propter aliud, aut propter prototypum; ſiculneum hoc verè ſolium eſt; nec nuditatem illorum tegit, ſed prodit vel maxime. Veriſſime in hanc rem ſcripſit Bellar r. *Eſt de eſſentia veræ latriæ, exhiberi propter ſe. Latria enim dicitur ſummus cultus qui debetur vero Deo vt primo principio omnium rerum. Implicat autem contradictionem, exhiberi ſummum cultum primo principio, & exhiberi propter aliud.* Et tum addit (quod vtinam perpendant) *vel Imagini* (puta crucifixi, aut crucis) *exhibetur cultus Latriæ propter ſe, & hæc eſt vera Idololatria; vel non exhibetur propter ſe, & tum ille non eſt cultus veræ Latriæ.* Cultum eſſe veræ latriæ quem exhibent Cruci & Imaginibus Crucis, ac Chriſti, teſtatur & demonſtrat Angelicus eorum doctor: quia eandem ipſam adorationem his omnibus exhiberi & exhibendam eſſe teſtatur, quæ Chriſto exhibetur. Quare ex Bellarmini verbis certiſſime ſequitur, cultum eum quem his exhibet eorum eccleſia, quemque exhibendum eſſe docet Aquinas, eſſe veram Idolalatriam. An talibus magiſtris fides adhibenda? Et tamen hic ille Diu. Thomas eſt, de quo in Breuiario *s* Romano eoque correcto dicitur, quod cùm Neapoli ad Imaginem Crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audiuit, *Bene de me ſcripſiſti Thoma.* Decuiſſet Diuum Thomam ſic ſtatuæ loquacitatem

k *Ibidem.*
l *Idem lib. 3. de Euchar. cap. 11. ſect. Hinc.*
m *Ibid cap. 13. ſect. Tertius.*
n *Ibid. cap. 23. ſect. Vnum.*
o *Ibidem.*
p *Ibid. cap. 4. ſect. Quidam tamen.*
q *Ibidem, ſect. Sed hæc.*
r *Lib. 2. de Imag. Sanct. cap. 24. ſect. Dicat.*
s *In Feſto Thomæ, Martij 7.*

tatem increpasse, vt olim Bernardus, cum eum similiter B. virginis statua salutasset, *silere eam modeste monuit*, inquiens. *Turpe est mulieri loqui in ecclesia.*

De Testimonio Canonistarum. Reg. 20.

Scholasticis *Canonistas* adiungo, & quod de illis, idem & multo magis de Canonistis dicendum est. *Eorum in causis fidei Testimonia nullius ponderis sunt*, nullius *momenti*. Gnatones illi sunt paparum; gnauiter, imo impudenter Papæ assentari & norunt, & amant. Hi illi sunt, qui non vereantur tantum suo Papæ dare, quantum summo sacerdoti vnus ex Rabbinis tribuebat t, *Ab eo quod ille dixerit non discedendũ, ne si sinistram quidem dextram dixerit, & dextram sinistrã.* Quis ferat audire illud (quod sine blasphemia dici non potest) Papã vocari Deũ? Canonistæ tamẽ sunt qui in Glossa, c. Cũ inter; extra. Iohan. 22. ita dicunt, *Credere Dominum Deum nostrum, conditorem dicti Decretalis, & istius, non potuisse sic statuere sicut statuit, hæreticum est.* Quis & illud ferat v, *Ecclesiam* (eo nomine papam ille x significat) *non modo Cæsari & Regibus anteponi ac præferri, sed omnibus sub cœlo & supra cœlum existentibus.* Quis illud Gratiani (Canonistarum patris) quod vel Possevinus y ipse sine asterisco prætetire non potuit, ferat? *Epistolas Decretales pontificum numerandas esse inter Scripturas canonicas.* De his verissime ait Polid. Virgil z: *Non secus detorquent sacras literas quo volunt, quam sutores sordidas solent dentibus extendere pelles.* In eosdem rectissime quadrat quod de Episcopis illius sæculi aiebat Ænæas Siluius a, *Etiam vera dicere contra papam, est contra iuramentum Episcoporum*: vt Scholasticis, ita his, in causis fidei nulla fides habenda.

t *Rab. Shelom. Iarchi in cap. 17. Deuter.*

u *Verb. Rodulp. Cupers. com. ad Cap. Oportebat in princ. pa. 3. nu. 7.*

x *Idem lib. eod. pa. 128. nu. 42.*

y *Appar. in verbo Gratianus.*

z *Polid. lib. 4. de Invent. rerũ, ca. 9.*

a *Cuius verba citantur in Paral. ad Alb. Vsperg. pa. 418.*

De omnibus vero humanis testimonijs de quibus huc vsque egimus, vnum hoc observandum est, quod * *Licet ab eis firmum & validum argumentum ex se, duci non possit, tamen adversus eos qui vel testes illos omnes, vel eorum vllum vt fide dignum recipiunt, & valide ac firmiter arguere licet a talibus testimonijs.* Sunt enim talia, *Argumenta* (vt vocant) *ad hominem*, in se quidem invalida, sed adversus eum qui tales testes pro fide dignis habet, valida sunt. Sic quia Pontificij iudicium *ecclesiæ*, *Conciliorum generalium* omnium quæ pro approbatis habent, & *Pontificum decreta omnia* in causis fidei pro infallibilibus habent, ideo ab vllo eorum vt infallibili testimonio adversus eos arguere licet. Itidem quia non *Patrum* solum, sed et *Scholasticorum* consensum, in dogmate fidei pro certo recipiunt, ideo ex eorum etiam consensu, in fidei dogmate, tam firmiter adversus eos arguas, atque ex ipsis Pontificum decretis. Denique quia *Canonistas* in pretio habent, & vt fide dignos admittunt, ab ipsis Canonistarum testimonijs, argumenta adversus eos petas licet. Æquum est vt quos ipse testes vt fide dignos probas, & citas, eorum testimonia ipse non respuas: vt ex Augustino

* *Reg. 21.*

ante

bante monuimus qui Cypriani omnia scripta contra Donatistas ipsum vt testem fide dignum citantibus valere asserit.

A Scholasticis ad *Philosophos* progrediamur, vbi iterum solennis illa apud Canum Regula decidendi occurrit; *Philosophorum*, inquit *c, omnium vna eademque consensio certam fidem facit philosophici dogmatis.* Omnium consensis? Cane, miranda canis, sed non credenda. Anaxagoras *d* nivem nigram, *solem* e *lapidem ardentem* esse dicebat. Zeno *f motum omnem localem* peregranit. Arcesilas & tota vetus Academia *g nihil omnino sciri, nihil percipi posse* contendebat: nec hæc quidem ipsa *vtrum sciamus aliquid, an non sciamus; vtrum sit aliquid an omnino nihil sit*, ne hæc inquam cognosci posse illi putabant. Nunquam Cane, nunquam philosophorum omnium consensum inuenies; *hanc Academicorum sententiam*, vt ait Orator *h reliquorum philosophorum nemo probat.* Nimis prodigus es, in tuis *vniuersalibus*, in *Omnibus*; mitte si me amas, *Omnes*: vnius aut plurium ex ipsis, authoritas, quanti valeat, dispiciamus.

In rebus philosophicis, nec vnius nec plurium Philosophorum authoritas certam fidem facere potest. Homines sunt, errare possunt. Et quis omnium non errauit? non turpiter a veritate deflexit? Pythagoræ metempsuchosis & numeri; Platonis Ideæ & vxorum communitas; Anaximandri infinitas principia & innumerabiles mundi, lippis ac tonsoribus nota. Et hi omnes longa agmina post se ducebant. Quare ab eis, certum & indubitatum argumentum duci non potest. Quod vero Aristotelem citet Canus *k*, quasi ille ex philosophorum consensu, indubitatum argumentum peti posse dicat, cum. 6. Eth. cap. 11. sit, *Oportere nos seniorum, & prudentium ac eorum qui experti sunt sententijs, opinionibusue, non minus quam demonstrationibus mentem adhibere*, longe hallucinatur in eo Canus. Non loquitur Arist. de opinionibus senforum in rebus *speculatiuis*, vbi quid verum sit inuestigatur, sed solum de *consilijs, monitis* & vt sic dicam *parabolis* seu *proverbijs*, quibus in rebus agendis senes ac prudentes viri, propter longam ipsorum experientiam iuniores dirigere solent. Eorum consilia & præcepta in rebus agendis, non secus sequenda quam in rebus speculandis demonstrationes. Tu quia inuenis es, nec rerum adhuc expertus, nescis quam verum sit illud Chilonis *l*, *Comitem aris alieni, atque litis, esse miseriam*; nec quam illud Publij Syri *m*, *Ab alio expectes, alteri quod feceris*: aut illud eiusdem *n*, *Habet suum venenum blanda oratio.* Linque scholas, e Musæo veni in astu, vel in vicos ipsos; Oracula esse hæc, Euclidis demonstrationibus, certiora inuenies. Non aliud sensit Arist. non id quod Canus, consensum antiquorum esse certum veritatis indicium.

A testimonio vnius docti & grauis philosophi, multoque magis a consensu plurium eiusmodi, non est temere nec absque ratione aut graviori aliorum authoritate dissentiendum. Cur enim sine ratione dissentias? An tu

b *Lib. 2. contr. Crescon. cap. 32.*
De Testimonijs Philosophorum. Reg. Cani.
c *Can. lib. 10. cap. 4 sect. Philosophorum.*
d *Cic. lib. 2. Acad. quæst. pa. 39.*
e *Aug. lib. 18. de Ciuit Dei, ca. 41.*
f *Arist. lib. 6. Phys. cap. 9.*
g *Cic. loco cit.*
h *Ibid. pa. 38. Reg. 22.*
i *Aug. lib. 8. cap. 2.*
k *Can. lib. 10. cap. 4.*
l *Plin lib. 7. cap. 32.*
m *Extat in Frag. Poetarum. pa. 277.*
n *Pub. Syr. ibid. pa. 279. Reg. 23.*

an tu *Capito* esse vis, vt *stet pro ratione voluntas*. Nobis non licet esse tam omnivolis. Sed qui illi graues Philosophi? Platonem, Theophrastum, Crysippum, Pythagoram, multos alios nominare possem; sed ego inter omnes & præ omnibus *Aristotelem* solum celebro, de quo honoris causa sequentem regulam tibi trado.

Reg. 24. *Tanta est & tam celebris apud omnes doctos Aristotelis autoritas, tanto ille tamque fœlici fuit in veris inueniendis & ingenio & iudicio, vt ab eo in nulla omnino Logicæ parte, in Philosophia vero disciplinis, Metaphysicam dico, Physicam & Ethicam, non nisi in paucis aliquot dissentiendum sit.* Ille enim est qui hanc Logicæ artem & invenit, cum de ratiocinando nihil dictum esset vt ipse testatur, lib. 1. Elenc. in fine, & sic excoluit vt perfecerit. Ille est quem fuisse *summum Philosophum, & Philosophorum principem, omnium pene gentium*, vt recte ait Canus, o & *multorum seculorum consensus testatur*: qui ideo per Antonomasiam *Philosophus* dicitur. Sicut meridiano sole lucernæ lumen, & stellæ omnes obumbrantur, ita postquam *Sol hic Philosophiæ* splendore suo scholas, Academias, & orbem collustrare cœpit, reliqui omnes Philosophi, quasi minores, & minutiores stellæ sic obscuratæ sunt, vt vix videri possint. *Solus Arist.* vt ait Canus p *abunde satis est vt sit homo in omnibus Philosophiæ partibus eruditus.* Ab huius testimonio ita in rebus Philosophicis (paucis quibusdam exceptis) rectissime arguas; *Ipse dixit*, ergo nisi admodum temerarius sis, pro vero agnoscere debes. Certe enim sine optima ratione vix quidquam ille in his dicit, quam etsi non semper exprimit, (quod sæpissime facit) subesse tamen, ne dubites. Rationi igitur credis, cum Aristoteli credis; quam si tu non capis intellectu, cape tamen assensu & fide: *Discentem enim* (vt ipse q ait) *credere oportet.* Ad *discendum* vt rectissime monet August. r *ducimur Autoritate & Ratione. Autoritas tempore; vt autem ratio prior est: & occulta discere incipientibus, non aperit nisi autoritas ianuam.* Eam primo hic sectare, postquam vero doctus fueris, videbis te non Aristoteli, sed Rationi ipsi fidem habuisse. Sed tamen nec Aristoteles ipse, in omnibus sequendus. Nemo est tam oculatus, qui non aliquando cæcutit: nec desunt aliqui, vel in pulcherrimis corporibus nævi. Errauit in paucis aliquot, quæ cauere te oportet potius quam carpere. Huius generis sunt, *mundi s æternitas*, & quæ ex ea consequuntur omnia; *numerus t ac ordo cœlestium orbium*, Neque vllum ille supra orbem stelliferum quem primum mobile vocat, neque infra Solis orbem alium u quam lunæ, putauit. Tale & illud, *quod nihil x mutilum aut orbatum naturâ, ne liberos quidem educandos censuit*, & aliqua similia. Scio ipsum reprehendi tum a Galeno, quòd *cor non cerebrum* statuat præcipuum membrum; tum ab alijs, quòd *Galaxiam*, meteoron sentiat. Sed

o Can. lib. 10. ca. 5. §. Cū vero

p Ibid.

q Arist. lib. 1. de repr. Sophist. ca 2.

r Aug. lib. 2. de Ordine, ca. 9.

s Arist. lib. 8. Physic ca. 1. & sæpissime alijs in locis.

t Idem lib. 2. de Cœl. ca. 12.

u Vt ex cap. proxime citato Aristotelem sensisse ait Clar. com. in cap. 1. Ioh. de Sacrob. pa. 64.

x quod idem colligit ex lib. 1. Meteor. ca. 4.

y Arist. lib. 6. Polit. ca. 16.

in

in vtroque recte sensisse Aristotelem facile qui rem serio perpendit, intelliget. Quòd vero Prouidentiam Dei negasse asseritur, non a Laertio solum, Iusto Lipsio, & Cano, sed a Clemente Alexandrino & Epiphanio; in eo insignem fieri tanto Philosopho iniuriam, in libello meo *De Prouidentia* non solum abunde, sed vt plane arbitror, irrefragabiliter demonstraui. Huic ego te vt magistro omnium dignissimo instruendum iam trado, & linquo. Id vnum moneo, *Idem fere quod de Aristotele in Logicæ ac Philosophiæ studijs diximus, aliis etiam summis viris qui in vlla disciplina, Magistri merito habentur, tribuendum esse*; Euclidi in Geometria, Ptolomeo in Astronomia, Hippocrati & Galeno in Medicina, Ciceroni in Rhetorica, atque ita in reliquis, vna hæc in omnibus Regula tenenda est, *Credendum esse perito in sua arte*: credendum inquam, nisi euidens ratio contrarium docear. Omnis enim humana authoritas, certæ ac euidenti Rationi cedere debet.

De Testimonio Historicorum.

Accedamus nunc ad *Historicos* siue alij ecclesiastici sint, siue ethnici. Hoc vero historiarum nomine comprehendi debent narrationes illæ omnes, vel in Patrum scriptis, vel in Actis Conciliorum, vel in libris Philosophorum, quibus res gestæ, memoriæ traduntur. Cum vel Episcopus, vel Philosophus, vel quiuis alius res vllas gestas conscribit, id facit non vt Episcopus, aut Philosophus, sed vt historicus; sicut cum historicus aliquando intexit, quid facere nos aut fugere oportet, in eo Philosophum agit aut Theologum, non historicum. Atque hic denuo (sed certe me tædet) Canus cum sua trita & prottita *vniuersitate* occurrit. *Si omnes*, inquit y, *graues & probati historici concurrant, argumentum firmum inde peti potest.* Hui, quando vnquam vel eorum omnium sententias inuenies? Consensum vero non ante Calendas Græcas. Sed hoc tibi solenne dictum. Nobis aliæ regulæ quærendæ & sequendæ sunt.

y *Canus lib. 11. ca. 4. sect. Tertia.*

A testimonio nullius historici, (sacris solis exceptis) de quibus nunc non ago) argumentum indubitatæ & infallibilis fidei duci potest, sed solum tale quod fidem humanam faciat, qua etsi certa omnino & infallibilis non sit, est tamen tanta ac talis, vt testimonia historicorum grauium & fide dignorum respuere, sit maximæ temeritatis & impudentiæ. Reg. 25.

Aliqui res gestas *scribunt incuriosè*, vt dicebat Pollio z, alij odio, alij amore, alijsue perturbationibus occæcati, veritatem corrumpunt, aut dissimulant, vt Vopiscus a non vereatur asserere, *neminem esse historicum, qui non aliquid mentitus sit*; ille igitur historiam aggressus est *securus se mendaciorum comites habiturum*. Etsi vere mendax omnis homo, tamen viris ac historicis grauibus, nisi constet eos in hoc falli, merito fides moralis & humana habenda est. Romam a Romulo conditam, Athenas studijs literarum floruisse, Xerxem cum Græcis bellum gessisse, Gulielmum Conquestorem

z *Apud Vopisc. in vita Aureliani in prin.*

a *Loc cit.*

rem regnum Angliæ tenuisse, & similia infinita, non aliunde scire aut probare potes, quam ex Historicis. Quod si de his quæ nominaui dubites, non temerarius solum, sed vecors audire debes. Si hominibus *humanam fidem* habere non vis, aut nauiga ad Anticyras, aut in Vtopiam abi.

Reg. 26. *Historicis illis qui res conscripsere quibus vel ipsi interfuerint, vel quæ ipsorum ætate gestæ sunt, maior est habenda fides, quam ijs, qui res narrant centum, ducentis, aut mille antequam ipsi nascerentur annis gestas.* Vnde enim post tam longum temporis intervallum quid verè gestum fuit, hi scire poterunt, nisi ex scriptis aliorum, aut (quod sæpissime fallit) ex fama & traditione non scripta. Qui res suæ ætatis scribunt, vident plerumque, aut ex constanti relatione tum viuentium, & videntium, tibi referunt. Alij audita solum commemorant, exque vulgi fama, quæ est tam ficti *b*, prauique tenax, quam nuncia veri. *Pluris est c oculatus testis vnus, quam auriti decem.*

A testimonijs grauium Historicorum (siue ecclesiastici sint, siue ethnici,) sine clara ac euidenti ratione non est dissentiendum. Quare enim absque ratione dissentias? Quod si rationem claram cur fides eis in hoc vel illo habenda non sit, afferre potes, non solum legitime dissentire licet, sed nisi dissentias imprudens omnino es. Quinam vero illi graues & fide digni historici? Equidem si quis hoc accurate indicare vellet, is apud me maximam iniret gratiam: credo et apud doctos omnes, quibus, vt ego sentio, vix quidquam vtilius aut gratius tradi posset, in tanta non multitudine, sed immensitate omnis generis scriptorum. Quo iuniorum studijs adiumentum aliquod feram, quid mihi hic videtur paucis indicabo. Primum locum hic vendicant *Acta Conciliorum* generalium præcipue, tum prouincialium, quibus respondent Acta illa ciuilia quæ in publicis rerum pub. Comitijs, (qualia apud nos Parliamenta vocantur) consignantur. Quæ publico consensu in tanto tamque celebri consessu, pro rebus gestis, literis & posteris commendantur, quis nisi vecors in dubium an ea gesta sint vocare velit. Exempla duo dabo. Tria Capitula in quibus Nestorianorum omnes hæreses, & eorundem Capitulorum defensores vt hæreticos in quinto Concilio generali condemnatos esse, totum Concilium *d*, voce sua simul & subscriptione testantur. Vigilium tum Papam, non defendisse solum, sed *Apostolica sua authoritate* definiuisse tria illa Capitula defendenda esse, testatur ipsius Constitutum *e*, testatur illa Synodus in qua illi Constituto, & ipse & tota Synodus subscripsit *f*. Quis nunc dubitandi locus, quin Vigilius a quinto generali Concilio vt hæreticus, imo vt is qui Apostolica authoritate hæreses definiuit ac defendit, condemnatus sit? Exemplum alterum est de Honorio. Eum non fuisse hæreticum, nec de hæresi condemnatum, Pighius *g*, Bellarminus *h*, & Baronius *i*, alijque in Pontificis verba iurati, contendunt

b *Virgil. Æne. id lib 4.*
c *Plaut. in Truc. Act. 2. Reg. 27.*
d *Conc. Gen. 5. Collat. 8.*
e *Quod extat apud Bar. ann. 553. nu. 50. & seq.*
f *Bar. eodem ann. nu. 209.*
g *Pigh lib. 4. eccl. Hier. cap. 8.*
h *Bellar. lib. 4 cap. 11.*
i *Baro. ann. 633. & 680.*

dum. Vnde constabit, nisi ex Historicis fide dignis? Quid Historici testentur de hac re audite verbis Cani *k*, quæ testibus quos ille citat, vere consonant. *Defendat* inquit *Liberium Pighius, excuset Marcellinum, Anastasium liberet. At Honorium quomodo ab errore vindicabit? quem hæreticum fuisse tradit Psellus Theodorus cum Synodo Hyrcosolymitana, tota septima Synodus, Adrianus Romanus Pontifex, & expleratum est in sexta Synodo generali, vbi Agathe Honorium anathematizat:* sic Canus. Potestne manus, certius, aut illustrius testimonium non dico proferri, sed vel desiderari? Et tamen qui sunt pertinacis, contra tot, tantosque testes eum hæreticum fuisse, non erubescunt negare. Sed & hæresin illam Monothelitarum *dogmatizasse*, & *dogmatice*, sua authoritate confirmasse, ex Actis sexti Synodi liquet, vt ante monui.

k *Can. lib. 6. cap. 8. sect. Huic.*

Conciliorum testimonijs proxima puto *Episcoporum*. Quæ illi de rebus gestis, vel a se, vel ab aliis suæ ætatis testantur: eis (nisi de contrario constet) fidem dare, dignum & æquum est. Eusebius qui Constantino familiaris fuit, & oculatus testis eorum quæ de Constantino narrauit, esse potuit, testatur *l Constantinum paulo ante obitum in Iordane baptizatum esse*. Acta Siluestri Anonyma, Apocrypha, putida, mendacijs oppleta, 200 post Constantinum annis conficta, contrarium affirmant. Vtri creditis? Et tamen his nullius fidei Actis Syluestri, hdem habet Baronius *m*. An non similes habent labra lactucas? Gregorius Nazianzenus de se ipse testatur, se natum ex patre iam tum Episcopo, aut saltem presbytero. Sic enim patrem suum, se alloquutum ait *n*, *Nondum tot anni sunt tui, quot in sacris mihi sunt peracti victimæ*. An non ipsi Gregorio de se testanti, fides potius habenda, quam Baronio? Stomachatur ille admodum in hac causa, & Gregorii patrem neque presbyterum fuisse neque Episcopum, *sed adhuc ethnicum o cum Gregorius ei natus erat*, contendit. Sed cauillatur plane Baronius, & strophis (vt solet) decipere tentat: sic enim arguit, Pater Gregorii baptizatus est eodem quo Concilium Nicenum est habitum anno, nempe 325. Verum est. Gregorius erat annorum 30. quando erat Athenis: & hoc quoque verum; (*sed non quamprimum Athenas venit.*) Nunc perge. Athenis erat, cum Iulianus se illuc contulit; et hoc quoque verum; (sed *& Athenis mansit aliquot post aduentum Iuliani annis*) Iam quia Iulianus Athenas venit, Coss. Constantio 7 & Gallo. 3. an nempe 354. (quod verum est) ideo Gregorium natum concludit 30. ante annis, nempe ann. 324. qui est annus, antequam pater ipsius baptizatus erat. Videte fraudem & strophas; probat quæ clara sunt; Illud vnum quod probatione indigebat, & in quo vis tota rationis ponitur, omittit penitus, neque de eo vel verbum vnum facit. Id vero est, *Gregorium fuisse 30. annorum quando Iulianus Athenas venit*. Erat quidem 30. annorum priusquam ipse Athenis discesserit,

l *Euseb. lib. 4. de vit. Const. cap. 61, 62.*

m *Bar. ann. 324. nu. 41. & seq.*

n *Greg. Naz. in carm. de vita sua.*

o *Bar. ann. 371. nu. 102. 103.*

sed eo quo venit illuc Iulianus anno, erat (quantum ego perspicere possum,) non nisi annorum 26. Ita natus erat ann. 227. biennio scilicet, postquam ipsius pater in Episcopatu sedisset. Nam ille Leontio in Episcopatu, eo ipso quo est baptizatus anno, & Paulo post susceptam baptismam, successit, vt agnoscit Baronius *p*.

p Bar. ann. 325. nu. 32.

Post Episcopos proximo Loco *Historici tum Ecclesiastici* tum Ethnici fide dignissimi sunt. Hos omnes tibi nominare nec possum nec vacat. Paucos designabo, Eusebium, Hieronimi Chronicon, Orosium, Socratem, Marcellinum Comitem, Victorem Tununensem, Zozomenum, Bedam, Paulum Diaconum, Photium in Bibliotheca, Zonaram, quibus adde Procopium. Ex recentioribus Sigebertum habe, Litprandum, Zonaram, Lambertum Scafnaburgensem, Abbatem Vrspergensem, Matth. Parisiensem, Platinam & Sigonium, quibus adde Phil. Comineum, & Guicciardinum. Hi optimæ notæ ac classis, non quia nulli in his errores aut lapsus (sunt enim in singulis multi) sed quia maiori, quam alii, fide, res gestas commemorant. Caue verò ne vel Pontificali (quod Damasi nomen præ se fert,) vel Anastasio, vel Baronio, qui Iacobum Voraginem mendaciis æquat, fraude longissime superat, fidem adhibeas, aut vlli ex illa factione pontificia historico. Vera illi dissimulant, & falsa supponunt, & vt paucis dicam; vel falsa narrant, vel vera vt fallant. Neminem velim his habere fidem nisi qui affinis censeri velit illi sacerdoti de quo Canus ait, Vidit nostra ætas sacerdotem cui persuasissimum erat nihil omnino esse falsum quod semel typis excusum esset. Inter Ethnicos historicos, nullus mihi Plutarcho charior, cui in primis Thucydidem adiungo, tum Polibium, Herodianum, T. Liuium. L. Florum, Cor. Tacitum, Sallustium, Q. Curtium, Ca. Cæsarem, Suetonium, Vell. Paterculum, Ammi. Marcellinum. Caue verò a Beroso, Metasthene, Portio Catone, Philone, & cæteris mendacissimis impostoribus, quos in sua opinor officina confectos, commendauit orbi homo inscitiæ atque impudentia singulari Annius Viterbiensis. Impostoram luculenter detexit Ios. Scaliger *q*, & Gaspar Varerius *r*.

q Lib. de Emend. temp. lib. 5. pag. 215. & alibi passim.

r In Censura librorum ab Annio editorum.

Vltimo iam Loco ad *Testimonia hominum quorumuis e plebe* accedo. De quibus nil aliud dicam, quam quod in reliquis testimoniis intelligendum est. *Probitas, integritas, authoritas testis spectanda, & quanta ista* sint in vllo, tanta ei fides debetur. Leuis est ingenii cuiuis fidem dare; viris vero probatis, & integræ famæ nisi iusta causa subest, qui fidem non habet, nimis meticulosus est. Cæterum in iudiciis ferendis cautum, vt etiam iuramenti sacrosancto vinculo, se vera testari obligarent. Et merito, quia testium fidem iudex sequi debet: nisi illi veraces, quantæ iniuriæ & incommoda insequuntur, quis non videt? Quoties igitur contrarium Iudici non constat, & ratio, & æquitas, et leges *s* ipsæ postulant vt iuxta allegata

Reg. 28.

s Digest. de Officio Præsidis cap. Illicitas.

gata et probata iudicium ferat. Sed quid si Iudex sciat testes, etiam iuramento susceptо, falsum testari? eum nempe esse reum homicidii aut alterius criminis, quem innoxium et innocentem esse, de sua certa scientia Iudex nouit? Aquinati non est hic assentiendum, Is ita ait, *debere iudicem in hoc casu causam superiori Iudici relinquere. Si illud non potest, tum debere etiam contra scientiam suam & conscientiam, secundum allegata & probata sententiam ferre*, et innocentem condemnare. Itane vero? An quisquam contra Conscientiam, non modo falsum pronunciare debet, sed et vitam alteri iniuste auferre? Absit. Verissime atque prudentissime non sine applausu imò stupore audientium, quid hic Iudici agendum sit, docuit Serenissimus rex noster Iacobus, cum ipso præsente, quæstio illa in celeberrima Academia Oxoniensi inter Iurisconsultos disceptata esset. *Index*, aiebat *u*, *duplicem personam sustinet, Publicam Iudicis, Priuatam hominis Christiani. Si quando vero contingat, vt vtrumque præstare non possit* (quod in casu proposito euenit) *debet tum Iudex ea de re certiorem facere Regem, qui tanquam Angelus Dei iudicium rectum & secundum veritatem ferre debet.* Rex vel *ipse sententiam ferre, vel alium Iudicem, loc. substituere debet & Iudicem* (cui id constat) *in testem producere. Sin Rex neque ipse iudicare, neque alium substituere vult, sed hunc ipsum, sententiam ferre; tum Iudicem oportet potius munus Iudicis deponere, quam contra conscientiam iudicare, quia verissime dictum est, Qui iudicat contra Conscientiam, adiscat ad gehennam.* Ita Serenissimus Rex, certe non sine numine. Ita enim nodi omnes, qui plane insolubiles videbantur, rectissime, facillimeque soluuntur. Nam neque conscientia, ferendo falsam sententiam, læditur; neque leges, quæ allegata et probata sequi Iudicem præcipiunt, violantur: veritatem simul et Iudicium cantabimus tibi Domine. Sed hæc satis multa de hoc a Testimonio arguendi Loco. In quo, fateor, prolixior multo fui, quam in animo mihi aut votis erat: Occurrebant enim tam multa tamque ardua hic tractanda, vt mihi leuiter ea pertransire nefas videretur. Sunt enim ista instar carnium Testudinis, de quibus recte præcipitur *x*, *Testudinis carnes aut comedendas esse, aut non comedendas.*

z *Aquin. 2. 2. quæst. 84. art. 6.*

u *Isa. Wake. in lib qui inscribitur, Rex Platonicus. pa. 113.*

x *Athan lib. 8.*

Appendix de Syllogiſmo Sophiſtico.

De Syllogiſmo Sophiſtico.

DIximus de *Syllogiſmo*, eiuſque duabus ſpeciebus, *Demonſtratiuo* et *Probabili*. An vero *Sophiſticum* omnino intactum reliquemus? Quidni? Non eſt Species ſed *vitium Syllogiſmi*. Imo verò non eſt omnino ſyllogiſmus, quia ſemper peccat in forma veri Syllogiſmi. Qui igitur recte ſyllogiſmum formare nouit, is vitium quodcunq; in Syllogiſmo Sophiſtico perſpicit. Eſt enim *Rectum index ſui & obliqui*. Sed quia Ariſt. Sophiſtarum technas ſigillatim detegendas cenſuit, nos eius veſtigiis inſiſtentes, pauca etiam de Syllogiſmo Sophiſtico adiiciemus.

Syllogiſmus Sophiſticus quid.

Syllogiſmus fallax ſeu ſophiſticus, eſt quando quis videtur alterius dictum iuſte reprehendere & ſolide refutare, cum reuera non recte reprehendat nec omnino refutet.

Elenchus quid.

Reprehenſio iuſta & ſolida confutatio (quæ Elenchus dicitur) eſt quando quis vere, ſolide & ſyllogiſtice probat contradictorium eius quod aduerſarius aſſeritur: docet hoc Ariſt. Lib. 1. Elenc. cap. 1. nu 4. Quare pro certo tenendum eſt, eum, qui veritatem, vel id quod verum eſt aſſerit, ac tuetur, nunquam iuſte ſolide ac ſyllogiſtice reprehendi poſſe aut refutari. Veritas, vt lux ſolis, ſtrophis ac fallaciis ſophiſtarum, quaſi nebulis, offuſcari & obtenebrari poteſt: Vinci ac refelli nunquam poteſt. Tu proſpice, vt vera dicas, vt veritas tibi pro clypeo ſit, ego te inuictum, inuincibilem dabo. *Murus aheneus eſto hoc, vera loqui.* Quicquid vere iuſte & ſyllogiſtice reprehenditur, ac refellitur, illud falſum eſt, & quia falſum, refelli & debet & poteſt.

Elenchus Sophiſticus quid.

Reprehenſio & Refutatio apparens, fallax ſeu ſophiſtica (quæ Elenchus ſophiſticus dicitur) *eſt quando quis videtur ſolum Contradictorium probare eius quod aduerſarius aſſerit, ſed reuera non probat.* Talis eſt omnis argumentatio, qua quiſquam contra veritatem vllam aſſerit; videtur talis probare quod falſum eſt, ſed videtur ſolum, non probat; ſed nec, probari vllis artis aut ingenii machinis vnquam poteſt. Nam Argumentatio omnis qua falſum concluditur, vel peccat in *materia*, & tum præmiſſarum vel vna vel vtraque neganda eſt; vel peccat in *forma*, & tum parologiſmus eſt, non Syllogiſmus.

mus. Quare Elenchus verus ad Demonstratorem & Dialecticum solum spectat; Elenchus apparens, Sophistarum proprius est. Quibus vero technis fallere soleant sophistæ paucis expediam.

In Syllogismo Sophistico fallacia et dolus latet vel in *Dictione*, vel extra *Dictionem*, vt docet Arist. l. 1. Elenc. c. 4. In dictione, fallaciæ sunt sex, nempe fallacia *Æquiuocationis*, *Amphibolia*, *Compositionis*, *Diuisionis*, *Accentus*, & *a figura dictionis*: de quibus omnibus agit Arist. lib. cit. cap. 4. quæ hoc versu continentur. *Fallaciæ in Dictione sex.*

Æquiuocans, Amphi, Componit, Diuidit, Acc. Fig.

Fallacia Æquiuocationis est, cum quis vtitur vocabulo vllo ambiguo, & sumit in duplici sensu, cum videri vult sumere in vno tantùm. Vt Populus crescit ex terra, multitudo hominum est populus, ergo multitudo hominum crescit ex terra; *Populus* in maiori, *arborem*, in minori *homines* notat. Hac fraude Ariani olim vsi. Nicena (dicebant) fides seu quæ Niceæ decreta fuit, amplectenda est; hæc nostra est Nicena & Niceæ decreta, ergo amplectenda; Scilicet Ariani *a* aliquot Episcopi tempore Ariminensis Concilii Niceam contenderant; ibi Synodum habent, et Ariminensem fidem Niceæ confirmant, et sic fides eorum *Nicena* vere fides erat, Conuenticuli scilicet illius Niceni, sed non illa quæ a 318. patribus, in Oecumenico Concilio declarata erat. Hac fallacia decepit papam Siluestrum secundum (Æquiuocationum pater et artifex) dæmon *Sciscitabatur* b *ille diabolum* (frequens enim erat inter eos colloquium) *quandiu in pontificatu victurus erat?* Responsum habuit, *quandiu non celebraret in Hierusalem. Gauisus valde est papa*, Nam Hierosolimam non omnino proficisci decretum erat. Cum quarto pontificatus anno, *Romæ ad ecclesiam S. Crucis, quæ in Hierusalem vocatur, celebraret*, et dæmonis æquiuocationem, et fatalem diem sibi adesse miser tum intellexit. *Fall. Æquiuocationis.* a *Socr. lib. 2. cap. 29.* b *Plat. in vita Silvestri 2. & Mart. Polon. ann. 1007.*

Fallacia Amphibolia, est quando oratione ambigua, vt non ambigua quis vtitur. Nam vt Æquiuocatio vocis vnius, ita Amphibolia est orationis ambiguitas; vt, Quod quis videt, illud videt, at homo videt lapidem, ergo lapis videt. Huius generis sunt ista, *Aio te Æacides Romanos vincere posse. Crasus Halin penetrans magnam peruertet opum vim; Exiguum vidi leporem iugulasse molossum.* *Fallac. Amphibolia.*

Fallacia Compositionis est, cum quis ab ijs coniunctis arguat, quæ separatim vera sunt, non coniuncta. Vt, Duo et tria sunt par et impar, quinque sunt duo et tria, ergo quinque sunt par, et impar. Maior est vera, si duo et tria coniunctim sumantur, falsa si separatim: sic a bene diuisis arguitur ad male coniuncta. *Fall. Compositionis.*

Fallacia

Fallac. Divisionis. *Fallacia Divisionis est quando a bene coniunctis ad male divisa arguitur*: vt, quinque non sunt par & impar, duo & tria sunt quinque: ergo duo & tria non sunt par & impar.

Fallac. accentus *Fallacia Accentus est, cum ex varietate accentuum diversus sensus dictionis & orationis oritur, vnus verus & commodus, alter falsus & incommodus*: vt omne malum est fugiendum, pomum est malum: ergo fugiendum.

Fall. Figuræ dictionis. *Fallacia figuræ dictionis est, cum ex diversa pronunciatione aut punctuatione orationis, diversus sensus oritur*. & nisi recte pronuncietur aut punctuetur, fallere facile potest. Sic deceptus tertur Placentiæ dux Albertus, cum Oraculum ei dixisset, *Domine sis securus, inimici tui intrabunt urbem, & subjicientur domui tuæ*. Legi potest vel *Domine* sis securus, vel *domine* sis securus. Et iterum, *subjicientur*, vel *subjicient vr*, id est ignem domui tuæ. Tale illud tum mandatum de Edwardo 2. tum in carcerem coniecto; quærebatur a proceribus illius custos, an occidendus esset, vel non? respondentur illi: *Edwardum occidere nolite timere bonum est*: si punctum addatur post *nolite*, prohibitio est ne occidat: si post *timere*, mandatum est vt occidat.

c Hollinsh. in Edw 2.

Fallaciæ extra Dictionem septem. Fallaciæ *extra dictionem* septem recenset tractatque Arist. lib. 1. ca. 5. *Ab accidenti, ab ignoratione Elenchi, a secundum quid ad simpliciter, a Petitione principij, a Non causa vt causa, a fallacia consequentis, & a pluribus interrogationibus, vt vna*; quæ hoc versu comprehenduntur.

Acci, Quid, Ignorans, Petit, infert, Causa, ropatque.

Fallac. Accidentis. *Fallacia Accidentis est, quando ab eo quod subiecto convenit solum per accidens, ita arguimus, ac si subiecto per se conveniat, aut contra*: vt homo est species, Socrates est homo: ergo Socrates est species; Esse speciem accidit homini, quod autem per se homini convenit, illud Socrati, omnique homini convenit. Sed & aliud hic vitium, nam propositio hic nulla est vniuersalis; quare nullus Syllogismus. Sic quod iuvat est optandum; vulnerari ab hoste iuvat (vt liquet in Iasone, de quo dictum est, *vna eademque manus, vulnus opemque tulit*,) ergo vulnerari ab hoste est expetendum. Certe quod ex se & per se iuvat, optandum est; vulnus inimici ex accidenti & fortuito iuvabat, aperuit forte vomicam, cum ex se necem ei inferre hostis volebat. Talia sunt & ista sophismata: Eloquentes homines multa mala suadent, multa bona dissuadent: ergo Eloquentia tollenda. Vinum multos inebriat: ergo est tollendum. Nec eloquentiæ, nec vino ex se ista conveniunt, sed per accidens, per abusum nempe eorundem. Vsus autem rei propter nequissimorum hominum abusum tollendus non est. Ex Evangelio lites, inimicitiæ, discordiæ, bella oriuntur: ergo Euangelium deferendum. Absit. Vitio hominum ista mala consequuntur. Euangelium ex se pacem

omnem

omnem offert & affert; pacem cum Deo, cum hominibus, cum nostris ipsorum conscientijs. Spectat ad hanc fallaciam & illud vulgare Sophisma, Quod emisti comedisti, crudam carnem emisti: ergo crudam comedisti. Certe quod emit, illud quoad substantiam edit, sed non edit eisdem accidentibus imbutum, quibus erat cum emit, non edit *Aliud*, sed edit illud *Aberatum*. Et similia multa: Latissime enim patet hic locus, & frequentissimo sophistis vsu esse solet.

Fallacia à dicto secundum quid ad simpliciter est, quando ex eo quod secundum quid, aut in aliquo verum est, concludimus simpliciter verum secundum quid, esse, aut contra ex eo quod simpliciter verum est, concludimus secundum quid verum esse: vt non ens (puta Chimera) est opinabile: ergo Non ens est. Non sequitur, quia ab *esse opinabile*, seu ab *esse secundum quid*, vel secundum phantasiam & opinionem, non sequitur ad *esse simpliciter*, seu ad esse secundum realem existentiam. Æthiops est niger corpore, albus dentibus: ergo idem est & albus & niger. Non sequitur, quod idem homo, seu *totum* ita sit, sed quod idem secundum partem aliquam sit albus, secundum aliam niger; & id verum est. Quod differt ab homine non est homo, Socrates differt ab homine, puta a Platone: ergo non est homo. Verum est, quod differt simpliciter & secundum totam essentiam ab homine, non est homo: At Socrates non differt sic ab homine, sed solum *secundum quid*, prout homo restringitur per individuales proprietates ad Platonem. Huius generis est hoc sophisma, qui dicit te esse animal (puta simpliciter, & sine adiectione aut implicatione irrationalis) dicit verum; at qui dicit te esse equum, dicit te esse animal, (verùm, non animal simpliciter, sed animal irrationale:) ergo qui dicit te esse equum dicit verum: non sequitur, quia in maiori animal simpliciter sumitur, in minori secundum quid & limitatum. *Fall. a dicto secundum quid ad simpliciter.*

Fallacia ab ignoratione Elenchi est, quando quis vel disputat ex falsis, vel ex veris quidem, sed non disputat ad idem, aut non secundum idem, aut non eodem tempore; quo casu si quis putet aduersarium contradictorium solide concluisse, decipitur. Dicis nullum simplum duplum esse. Sophista sic contra disputat, Duo sunt duplum ad vnum, & simplum ad quatuor. ergo idem est & simplum, & duplum. Ecce Sophisma est, tu negabas idem *eodem respectu* esse duplum, & simplum, ille probat diuerso respectu esse, ita non contradicit. *Fall. ab Ignoratione Elenchi*

Fallacia a Petitione principij est, cum aliquid probatur per id quod est aeque, vel magis ignotum, atque id quod probandum fuit: vt Aristoteles est filius Platonis, quia Plato est pater Aristotelis: hic alijs verbis solum asseritur id quod concluditur, sed nihil affertur, quo vtrumvis eorum manifestum fiat. Probatio autem omnis ex notioribus debet procedere. Tale est, si quis probet papam esse infallibilem *Fall. a Petitione Principij.*

fallibilem, quia papæ credere oportet, credere inquam id quod ille dicit verum esse. Nam æquè ignotum est, *credendum esse papæ*, atque *papam esse infallibilem*. Et tamen miserimo huic *principio*, imo petitioni principij, innituntur omnia plane argumenta quæ a nonnullis ad quidquam probandum in vlla fidei causa afferuntur: in hoc resolvuntur, in hoc sistunt. Quare credis panem transubstantiari? quia scriptura docet; quare credis istam esse scripturam? aut istum esse scripturæ sensum? quia ecclesia (id est, ipsis interpretibus *d Papa*) ita docet & iudicat: quare credis ecclesiæ, id est papæ, iudicium verum esse? quia ecclesia, id est papa dicit eius iudicium verum esse. Hoc, *Credo ecclesiam* (id est papam) *vera docere, est* [1] *transcendens fidei dogma ex quo & hic, & aly omnes articuli deducuntur*. Papa est & Alpha fidei & Omega, Credo alia omnia, quia credo papæ; credo papæ, quia credo papæ. O circulos, o gyros!

[1] *per ecclesiam intelligimus Pontificem. Greg. def. ca. 10. lib. 5. de ver. dei. pa. 1450. sic Rod. Cuper. pa. 128. e Stapl. lib. 8. princip. doct. ca. Fall. Consequentis. f ca. Solitæ. de Maior. et obed. lib. 1. Dec. 2. 33. g ca. vnam sanctam de maior. & obed. Extra. lib. 1. tit. 8.*

Fallacia Consequentis est, quando quis putat consequentias converti quæ non convertuntur: vt si quis ex hoc, *Nuper pluebat: ergo terra est madida*, putet consequi: *terra est madida, ergo nuper plueba*t, decipitur: alia de causa terra madescere potest quam pluvia. Si anima sit genita, (id est orta per Physicam generationem) habet principium: ergo si non sit genita, non habet principium, fallax est consequentia, a *non gigni*, ad *non incipere*, quia potest incipere per *creationem*, licet non per *generationem*; & sic vere incipit omnis anima rationalis. Huc opinor referendæ sunt illæ rationes quæ a *Baculo ad angulum* duci dicuntur: quales illæ Innocentij & Bonifacij, Deus *f* fecit duo magna luminaria, solem & lunam: ergo quanto sol maior est Luna, tanto papa maior est Imperatore. Hic *g* sunt duo gladij: ergo papa habet potestatem vtriusque gladij. Isidem arguas: Angelus est in cœlo: ergo Baculus est in angulo. Cæmentum in his nullum, aut gluten; nulla Consequentia.

Fall. a non causa.

Fallacia a non causa est, cum quis id vt causam affert alicuius rei quæ reuera causa non est. Agnus ex rivulo bibit. ergo turbauit fontem: nec fere rectius vnquam lupi cum agnis disputant. Hic multæ vites, multa igitur hic ebrietas non sequitur, non vinum, sed vitium hominum ebrietatis est causa.

Fall. a pluribus interrogationibus.

Fallacia a pluribus interrogationibus est, cum Sophista plura quærat, quibus se vnicum responsum dare vult: vnicum vero commode dari non potest: vt erantne Cæsar, & Cicero Imperatores Romanorum? Estne Socrates homo & equus? si affirmas, ridet Sophista; quia equum dicis esse hominem. Si negas, ridet etiam, quia Socratem negas esse hominem. Sicut igitur duplex est interrogatio, ita sit duplex responsio. Socrates est, & equus non est homo.

Fallacia non distinguuntur Species.

In his autem fallacijs tria hæc obseruanda sunt. Primo, *non esse has distinctas species fallacis aut Sophisticæ argumentationis*, sed potius diversos modos arguendi & decipiendi quibus Sophistæ vtuntur. Secundo, vnum argumentum sophisticum *referri posse diver-*

so

ſe reſpectu ad diuerſas fallacias. Sic omnes fallaciæ *Aristotelis*, itemque *a ſecundum quid ad ſimpliciter*, poſſunt referri vel ad fallaciam *Æquiuocationis*, ſi vnam vocem, vel ad *Amphibolia*, ſi orationem diſtinguas. Etiam *omnes fallaciæ ad ignorationem Elenchi reducuntur*; vt docet Ariſt. lib. 1. Elench. ca. 6. Nunquam enim vere & ſolide, ſed ſolum apparenter & fallaciter Elenchum & Reprehenſionem aduerſarij continent; nam vel *falſa ſumunt* in præmiſſis vel ex veris *fallaciter & Sophiſtice* ſolum concludunt, verus autem Elenchus *verum* ſemper ſyllogiſtice concludit, & *ex veris*. Quare cum illud cernis in quo a vero Elencho deficiunt, fugaſti fallaciam & ſoluiſti. Tertio, In pleriſque, ſi non in omnibus fallacijs, *eſſe quatuor terminos*: id quod in omnibus argumentis, vbi vel eſt ambigua vox, vel ambigua oratio, (quorum vnum opinor in omni fallacia inuenitur) perſpicuum eſt. Nec plura addam de hoc Sophiſtico arguendi genere. Sed quia poſt longum hoc iter, terram nunc video, ad Epilogum feſtino.

Fallacia multa eſſe poſſunt in vno Syllogiſmo

In fallacijs fere omnibus ſunt quatuor termini.

Epilogus, vbi de Officiis Opponentis & Reſpondentis agitur.

EPilogi vice attexam: primo, pauca de legibus tam ab *Opponente* quam a *Reſpondente* in diſputando obſeruandis.

Sunt autem *Officia* quædam Opponenti, quædam alia Reſpondenti propria; alia vtriſque communia.

Opponentis Officia quatuor ſunt. 1. diligenter atque accurate apud ſe perpendere quid ſit oppugnaturus, neque quidquam aliud probare quam quod in controuerſiam venit, ſeu quod eſt Contradictorium eius quod a reſpondente aſſeritur. 2. Argumentum ſuum caute, ſed clare, & ſine hæſitantia proponere, idque ſine omni pompa & inani verborum ornatu. 3. Cauere ne Reſpondens ad quidquam aliud reſpondeat, quam ad id quod ab ipſo in argumento adducto proponitur: nempe ad præmiſſas rationis allatæ. Quarto Solutionem a Reſpondente datam vel repetere, ſi opus ſit, vel ſerio ſaltem apud ſe perpendere: eandemque ſi vera ſit, libenti animo accipere, & amplecti, ſin falſa, ſine pertinacia refellere.

Opponentis officia.

Reſpondentis Officia tria ſunt. Primo Cauere ante omnia ne opponens quidquam aliud concludat, quam quod ab ipſo negatum fuit, idque (ſi ſtricte agendum ſit) iiſdem ipſis verbis quibus negatum fuit, ſine vlla h *omnino vel leui (ne in ſynonimam quidem vocem) mutatione*. Secundo Argumentū ab opponente propoſitum, vel clare ac diſtincte (ſi opus ſit) repetere, vel ſaltem ſerio apud ſe ponderare ac perpendere, vt ſic rectius ac directius reſponſionem ſuam argumento allato accommodet. Tertio, Reſponſionem ſuam aptare ad argu-

Reſpondentis officia.

h *Ariſt. lib. 1. Elench. ca. 4. num. 5.*

mentum allatum ab opponente, idque vno horum trium modorum, vel *Concedendo* quæ vera sunt, vel *Negando* quæ falsa sunt, vel *Distinguendo* quæ ambigua sunt. Distinctio autem accommodanda est, vel *toti alicui propositioni* in argumento adducto, vel *alicui termino ac vlla præmissarum.* Ea postquam clare proposita est, ad quæstionem præsentem sic aptari debet a respondente, vt ostendat quo sensu *ipse*, & quo sensu *opponens* vocem aliquã, aut propositionem accipiat, & quomodo in *suo sensu* verũ ipse defendat, in *opponentis vero sensu*, non oppugnetur illud quod ipse defendit. Ac Negatio quidem & Distinctio præmissis solum argumenti allati adhiberi debet, nunquam conclusioni. Concedere autem licet & oportet, non solum præmissas, sed & ipsam Conclusionem si veram eam esse perspiciat. Quod cum facit, tum respondens & seipsum errasse, & rationis vi victum esse ingenue debet profiteri, & suo opponenti idem ipsum occinere, quod olim Luciferianus Hieronymo *i*, *Vicimus vterque nostrum, Palmam tu refer mei, ego erroris.*

Tres modi Respondendi.

i. Hieron. ad v. Lucif. in fine.

Officia vtrisque communia duo sunt. Prius vt in omni disputatione, Respondens vnam, opponens alteram partem *Contradictionis* accipiat; sic enim fiet vt neque ambo verum, neque ambo falsum vnquam dicant, sed vnus verum propugnet, alter verum oppugnet; a qua verò parte stet veritas, ratione & argumentis disceptant. Alterum officiũ est, vt in tota concertatione ab ipso Capite ad calcem modestia vtrinque adhibeatur, sic vt licet sales & lepores nonunquam, sed parcius vsurpentur, contumelia tamen omnis, omnis acerbitas, rixæ omnes, & conuitia longe exulent, vtque omnia pacato ac tranquillo animo vtrinque transigantur. Nihil enim magis obnubilat mentem, & ingenij acumen, quam ardor nimius, & contentio perturbati animi. Verissimeque Publius,

Officia Communia vtrisq;.

Altercando, sæpe amittitur veritas.

Hæc paucis monuisse satis hic sit. Reliqua genio & ingenio disputantium relinquenda sunt.

Habes nunc mi Lector integrum (vt opinor) *Logicæ Corpus*, meo, id est, rudi (fateor) penicillo delineatum. Qualecunque sit, Deo optimo maximo, cuius singulari beneficio, ope, atque gratia, hæc ad vmbilicum a me nunc perducta sunt, gratias quantas possum maximas ago: eumque supplex rogo, vt qui mihi ardens desiderium aliorum studijs opitulandi dedit, & mihi det, & ipsis, vt laboribus nostris, alij reipsa & efficaci sua gratia iuuentur, in sanctissima illa veritatis primum, tum virtutis via. Quodque vnum nunc superest, Augustini *l* verbis concludam: *Domine Deus, Quæcunq; dixi de tuo, agnoscant et tui: Quæcunque de meo, & tu ignosce & tui.*

l lib. 15. de Trin. ca. 28.

FINIS.

nis habeat. Hæc mihi ad illam obiectionem dicenda occurrebant: Tu ſiquid noviſti rectius iſtis, Candidus impertì, ſi non, his vtere mecum.

Locus non eſt diſtincta ſpecies Quantitatis.

Hæ ſunt omnes ſpecies Quantitatis continuæ; Quod ſiquis Locum addendum hic exiſtimet, is intelligat, *Locum non eſſe ab his diſtinctum naturâ, ſpecie, & eſſentia, ſed ſub ſuperficie comprehendi.* Etenim Ariſt. 4. Phyſ. cap. 4. definit locum *eſſe Superficiem continentis*, Superficiem (inquam) concauam: quæ convexa, et plana, *accidente* ſolum diſſert, *non natura*, et *ſpecie*, vt homo erectus, a curvo, aut manus clauſa, ab aperta; ideoque locum prout Ab Ariſt. Phyſ. 4. definitur, e numero diſtinctarum quantitatis ſpecierum, reijcit Fonſ. in Com. in lib. 5. Metaph. cap. 13. quæſt. 7. ſect. 2. ſicut etiam Iul. Par. cap. de Quant.

Dub.

At Ariſt. cap. de Quant. ponit locum pro diſtincta ſpecie a ſuperficie, & alijs quantitatibus.

Sol.

Ponit quidem, *ſed ex veterum, eaque falſa opinione*, non ex ſua ipſius ſententia: Nam locus quem eo capite intelligit, ſumitur pro eo *interuallo immobili*, quod extendi per totum mundum forte etiam extra mundum putabant aliqui. Huic *interuallo* trinas illi dimenſiones, longitudinem, latitudinem, et profunditatem tribuebant vti corpori Quantitatiuo: id tamen vt diſtinctam Quantitatis ſpeciem, et a corpore natura differentem, ſtatuebant, quia corpus Quantitativum inhærere ſubiecto, *interuallum* verò per ſe exiſtere, nullique ſubiecto inhærere, docebant: et corpus Quantitativum mobile a loco in locum, *interuallum* verò penitus immobile cenſebant. Hoc autem ſenſu Ariſtotelem accepiſſe locum in cap. de Quanto certum eſt, non ſolum ex Interpretum conſenſu hoc aſſerentium, vt ex Fonſec. in Com. in lib. 5. Metap. cap. 13 quæſt. 7. ſect. 1. liquet, ſed etiam ex ipſius verbis, ait enim, *locum habere eundem terminum communem, quem habent partes corporis*, nu. 9. Iam partes corporis nullum terminum alium habent quo copulantur, præter ſuperficiem. Quare locus ille de quo ibi agit, non eſt ſuperficies ſed *magnitudo ipſa corporea, cuius terminus eſt ſuperficies, ideoque verè illud interuallum quod veteres ſomniabant.* Quare cum interuallum illud nihil ſit reale, ſed merum figmentum, quod falſò ponebant Chryſippus et vetetes Academici, quodque ab ipſo Ariſt. ſolidiſſimis rationibus refutatur in 4. Phyſ. cap. 3. et 4. meritiſſimò, locus, vt *interuallum ſignificat*, e ſpecibus Quantitatis, imò e prædicamentis (quæ ſunt claſſes rerum) reijciendus eſt.

Quantitas Diſcreta quid.

Veniamus nunc ad *diſcretam quantitatem*, quæ definitur eſſe *Quantitas cuius partes nullo communi termino copulantur, ſed diſtinctæ, ſeparatæ ac diſcretæ manent*: vt in Binario numero, partes illius, quæ ſunt duæ vnitates, diſcretæ ſunt, neque vllo vinculo aut termino communi copulantur. Si enim vllo, certè is nihil aliud quàm vnitas eſſe, aut fingi poteſt. Si autem præter duas iſtas vnitates Binarij, tertia quæ

ſit

sit terminus eorum communis, adijciatur, profectò in Binario erunt tres vnitates, & ita Binarius erit Trinarius. Quod idem de omni alio numero pari ratione dicendum est. Præterea additio terminorum communium nunquam reddit Quantitatem maiorem; nam si addas infinitâ puncta lineæ, cum illa omnia indiuisibilia sint & non quanta, nunquam lineam maiorem efficient. Sed si vel vnicam vnitatem addas vlli numero, fit maior quantitas, maior numerus. Quare vnitas terminus communis esse dicive non potest. *Ternarius*

Species quantitatis discretæ ab Arist. recensentur duæ *Numerus & Oratio*. Sed recenset illas ex sententia vulgata, & tunc temporis recepta, vti de loco nuper monuimus, non ex rei veritate, aut sua mente. Agnoscunt hoc Caiet. Alber. & Pet. Fons. vt videre licet in Com. suo in Metap. lib. 5. cap. 13. quæst. 5. sect. 2. Nam *Oratio, ipsa Quantitas non est, neque species Quantitatis*, quippe *ex se nihil mensurat*, imò ipsa ab alio mensuratur, nempe a Tempore. Nam syllaba aut dicto hæc, breuis est, illa longa; quia hæc breui, illa longa tempore pronunciatur aut pronunciandi est; neque aliunde cognoscitur vllius syllabæ aut dictionis quantitas. Quare cum Oratio ex se non mensuret, sed eius quantitas aliundè mensuretur, certum est Orationem Quantitatem non esse: Omnis enim Quantitas *ex sese aliquid mensurat*. Aut igitur errauit Arist. cum posuit *Orationem* inter species quantitatis, aut eum id statuisse ex aliorum sententia asserendum est. Erasse tantum Philosophum indignum est vt sentiamus; sequutus igitur in hoc est vulgatam & receptam diuisionem (cum duas species Quantitatis discretæ posuit) de qua, an vera esset aut falsa, noluit in hac breui, & minus accurata tractatione disserere. Relinquitur ergo, nullam aliam esse Quantitatem discretam præter Numerum, qui *non est species Quantitatis discretæ, cum contradiuisa species nulla sit, sed est vt idem planè cum discreta quantitate, cumque ea conuertitur*. De Numero vero pauca hic addamus. *Oratio non est Quantitas discreta.*

Numerus vel sic definiri potest, *Est Quantitas discreta*: (nam *Quantitas*, genus illius est; *discreta*, differentia per quam ab omni alia Quantitate essentialiter distinguitur) vel sic cum Euclide lib. 7. def. 2. *Numerus est multitudo vnitatum*: id est, quantitas constans & composita ex multis vnitatibus, vt ex partibus integralibus. Nam quod vulgò dicitur, *ex non Quantis non fit Quantum*, ideoque neque ex vnitatibus Numerus: id tantummodo verum est, & est accipiendum de *Quanto continuo*, nam Quantum continuum ex non quantis, fieri non potest, vt linea non fit ex punctis, nec tempus ex instantibus: Sed discretam Quantitatem, puta numerum, ex non quantis, puta vnitatibus constare et fieri, vt ex partibus ipsius integrantibus, non modo verum est, sed necessarium. *Numerus quid.*

Ex hac definitione tria manifestè consequuntur. Primũ est, *Vnitatem non esse Numerum, sed solum principium aut partem numeri*; nam omnis numerus est multitudo, at vnitas multitudo non est. Deinde omnis *Vnitas non est numerus.*

Numerus est Quantitas, & quantitas omnis est diuisibilis in partes: vnitas autem in partes diuidi non potest, cum nihil vnitate minus sit in quod diuidatur. Id quidem quod vnum est, puta Homo, lapis, minus, denarius, in partes diuiditur, at ipsam vnitatem diuidi impossibile est.

Dub. Sed quid Grammaticis tum dicemus qui singularem numerum toties intonant?

Sol. Dicendum est illos laxius, & abusiue, accipere nomen numeri, prout non solum numerum propriè dictum, sed & principium numeri (quod est vnitas) complectitur. Reuera autem, vox hæc (*singularis*) addita numero, diminuens terminus est, qualis, *pilus*, si addatur homini, neque aliter singularis numerus, numerus vocari potest, quam homo pictus, vocatur homo; vtrumque impropriè, vtrumque catachrestic[e]s.

Nullus est numerus maximus. 2. Quod consequitur est hoc: *Numerum maximum unquam dari posse.* Nam nullus est aut fingi potest numerus, cui vnitas vna, imò verò decem myriades vnitatum addi non possint. Addita autem vel vnica vnitate, numerus fit maior. Atque hinc illud vulgatum verissimumque axioma: *Nec in Quantitate continua dari potest minimum, nec in quantitate discreta maximum.*

Numerus actu infinitus esse non potest. 3. Est hoc. *Numerus omnis finitus est, neque vllus numerus actu infinitus dari potest.* Est enim contra ipsam naturam & essentiam numeri, vt aliquid sit numerus, & sit actu infinitus: hoc liquet ex secundo, nam nullus numerus aut esse aut fingi potest, quin maior eo facillime detur; nam adde ei vel vnicam vnitatem, habes maiorem. At infinito numero maior dari non potest, certum enim est quod vulgo dicitur: *In infinitis non esse maius aut minus; & infinito nihil est infinitius.* Quoniam igitur omni numero dato, aut qui esse darive potest, semper maior numerus dari potest, certe si esset, aut esse posset vllus numerus actu infinitus, posset etiam dari infinito isto numero maior aliquis, & magis infinitus numerus, quod est simpliciter impossibile.

Numeri proprietas. Quid sit numerus diximus; proprietas numeri est hæc: quod *per eum res omnes numerari possunt, & quanta sit illorum multitudo explicari.* Dico res omnes, tam spirituales, quam corporales, non minus enim denario numero numerantur decem angeli, quam decem homines, aut equi. neque solùm ea quæ realiter, formaliter, & actu, atque sua totalitate distincta sunt & diuisa, sed etiam illa quæ mente solum, & intellectu separantur, aut distinguuntur, non reali distinctione. Sic quinario numero quinque digiti vnius manus, quinque partes vnius lineæ verè numerantur.

Subiectum Numeri quod. *Subiectum numeri, sunt res ipsa numerata.* vt subiectum denarij numeri quo decem Angeli mensurantur sunt decem Angeli; itidem decem homines, decem lapides, decem digiti subiecta sunt illius numeri quo numerantur. Sunt hæc (inquam) vnum subiectum illius numeri. Sed vnum, *non essentia, neque continuitate, neque coexistentia, sed vnum*

per

per aggregationem. Nam ſicut ipſe numerus diſcretus eſt quoad ſuas partes & vnitates, & eſt vnus per illarum vnitatum aggregationem, ita non requirit ſubiectum vnum continuum, aut vnum *per eſſentiam*, ſed ſufficit ſi ſit vnum *per aggregationem.*

Cauſa numeri eſt diuerſitas ſeu diſtinctio rerum: diſtinctionem dico, vel *realem* & quoad ſubiecta, vt in decem Angelis, decem hominibus, & ſimilibus: vel *mentalem*, quando mens in vno ſubiecto deſignat diſtinctas partes, licet ſint inter ſe continuatæ, vt cum decem partes eiuſdem lineæ, eiuſdem hominis aut arboris deſignantur. Nam quod vulgo dicitur *Numerum oriri ex diviſione continui*, id hunc ſenſum habet, quod ſemper ex diviſione continui numerus partium iam ſeparatarum oritur, & quo magis dividis, maior extat numerus: Sed ſenſus non eſt, quod nullus numerus ſit in rebus, niſi quando continuum dividatur, ſic enim nec eſſet numerus in Angelis, nec in decem hominibus, nec in decem arboribus, quia in his nulla eſt diviſio continui: cum decem homines inter ſe continui non ſint. Ratio autem, quare diſtinctio rerum facit numerum, eſt iſta, quia ex iſta diſtinctione & diverſitate ſit vt res diverſæ ſint & multæ; vt quia hic Angelus diverſus eſt ab illo, ideò hic vnus eſt, ille alius, atque ita multi ſunt: facta autem multitudine fit numerus, cum numerus ſit ipſa multitudo vnitatum: idem dicam de diſtinctione huius lapidis ab illo, huius digiti ab illo. *Cauſa numeri.*

Atque hæc de numero, deque tota ſerie huius prædicamenti cuius Synopſin hic ſubiungo.



CAP.

CAP. XII.

De Relatione.

POst *Quantitatem*, si accuratus rerum ordo servetur, de *Qualitate* agendum esset, & alijs absolutis prædicamentis, ac postremò de Relatione. Sed nos Arist. vestigijs insistemus, qui, vt ea quæ de Relatis, cap. de Quantitate dixerat, facilius intelligerentur, voluit perspicuitatis causa, invertere paulo rerum ordinem, & *Relationem*, *Qualitati*, reliquisque prædicamentis absolutis præponere.

De relatione tria declaranda sunt,
1. *Quod nam sit hic summum genus, & quomodo definiatur.*
2. *Quæ illius proprietates sint.*
3. *Quæ eius species.*

Relata & Relationes differunt inter se.

Vt genus summum in hoc prædicamento inveniatur, advertendum est diligenter, *multum inter se differre Relata, seu vt Arist. vocat, ea quæ sunt ad aliquid, & Relationes*: Nam *Relata*, sunt termini relationis, vel *subiecta* quibus insunt Relationes, quæ per istas relationes invicem referuntur inter se. *Relationes* autem non referuntur ipsæ ad alia, sed sunt nudæ formæ, per quas relata seu termini referuntur. Exempli gratia. Pater refertur ad filium, per hanc *relationem* quæ dicitur Paternitas, & filius ad patrem, per eam *relationem* quæ dicitur filiatio; Paternitas autem & filiatio non referuntur ad vlla, sed per illam pater, per hanc filius refertur. Quare *Relata referuntur, Relationes sunt respectus ipsi seu referentia quibus relata referuntur*, aut si apertius loqui velis, Relata sunt subiecta ipsa provt relationibus sunt affecta, relationes sunt nuda accidentia quibus subiecta afficiuntur, & ex quibus relata vocantur.

Relatum non summum est Genus.

Ex hoc discrimine, quatuor consequuntur quæ ad investigandum summum Genus, apprimè conducunt. Primũ est hoc: *Relatum nec est, nec esse potest summum Genus huius prædicamenti.* Ratio aperta est. Nam relatum refertur ad aliud, nempe ad correlatum. Quare si *relatum* esset summum Genus, pari ratione etiam *correlatum* eius esset summum Genus, & ita, aut essent duo summa genera vnius prædicamenti, aut hoc non esset vnum prædicamentum, & sic essent plura quàm decem. Cum igitur nulla ratio vel fingi potest quare relatum esset summum Genus, & non etiam illius Correlatum, certè consequitur, aut neutrum, aut vtrumque esse summum Genus; & quia vtrumque esse summum, impossibile est, profectò neutrum eorum summum esse, pro-

profitendum eſt. Præterea omnia ſumma Genera ſimplicia ſunt & incomplexa, vt ex prima diviſione antepræd icamentali liquet: *at relata omnia complexa ſunt*, ſignificantia duas naturas totaliter diſtinctas, *Subiectum* nempe cui ineſt relatio, & ipſam relationem. Summum igitur genus relatum eſſe non poteſt.

Secundum, conſequens eſt hoc. *Relatio verò eſt ſummum genus, huius prædicamenti.* Sequitur ex priori. Nam certum eſt vel *relatum*, vel *relationem ipſam* eſſe ſummum Genus huius ſerici: nihil enim aliud cum vlla ſpecie probabilitatis vel fingi poteſt. Cum igitur oſtenſum ſit, *relatum* non eſſe, relinquitur *relationem ipſam* eſſe verè ſummum Genus. *Relatio eſt ſummum Genus.*

Tertium eſt hoc. *Relata nulla ſunt vel Genera, vel Species, vel differentiæ, vel propria, vel individua, huius prædicamenti.* Sequitur ex præcedentibus: nam iſta omnia incomplexa ſunt, at Relata omnia complexa, vt iam oſtendimus. Præterea ſummum Genus verè & eſſentialiter de omni inferiori genere, deque omni ſpecie, & individuo prædicatur, at *relatio* quæ eſt (vt ante probatum eſt) ſummum genus huius prædicamenti, de nullo relato dicitur: tum enim non relatum eſſet ſeu terminus qui refertur, ſed relatio ipſa per quam terminus alius referretur ad alium. Quare hinc conſtat relata nulla poſſe dici, vel genera, vel ſpecies, vel individua, huius prædicamenti. *Relata non omnino genera vel ſpecies.*

Quartum conſequens eſt hoc. *Relata nulla directè ponuntur in vllo prædicamento, reductivè verò in hoc relationis collocantur.* Hoc etiam ex præcedentibus liquet. Nam quicquid directè in vllo prædicamento locatur, illud incomplexum eſt: at nullum relatum eſt incomplexum. Reducuntur verò ad hanc claſſem, quia *termini ſunt relationis*, ſicut Punctum, & Inſtans reducuntur ad quantitatem, quia ſunt termini quantitatum. Atque hoc ſenſu, neque alio, capiendum eſt illud quod frequentiſſimè dici ſolet: *Relata eſſe in hoc prædicamento, aut hoc eſſe prædicamentum eorum quæ ſunt ad Aliquid.* Etenim quia relationum natura ac eſſentia ſubtilis valde eſt, neque ex ſe facilè percipitur, ideò frequenter pro relationibus, relatis vtimur, quia illa facilius cognoſcuntur & per illa ad relationum cognitionem quaſi manu ducimur. *Relata ſolum in prædicamento reductivè.*

Cæterum etſi relata ponantur in hoc prædicamento eo quo dixi modo, tamen non omnia ne ſic quidem hic locantur. Vt autem ſciamus quæ relata ſint, quæ non ſint hic reponenda, ſedulò advertenda eſt hæc diſtinctio.

Relata

Relata secundum Dici & secundum Esse.

- *Intentionalia, quæ sunt secundæ intentiones, in quibus mens nostra concipit respectum vnius ad alterum.* Talia sunt *genus & species, Causa & effectum, Subiectum & adiunctum*, et similia prout *intentionaliter* accipiuntur, non autem *materialiter*, pro rebus ipsis quæ illis intentionibus substernuntur.
- *Realia quæ sunt res ipsæ sine mentis nostræ operatione existentes & respectum notantes*, hæc sunt vel relata
  - *Secundum Dici, quorum essentia quidem absoluta est, sed tamen accidentaliter notant respectum quendam superadditum essentiæ ipsorum*, vt Scientia & Scibile, Sensus & Sensibile.
  - *Secundum Esse, quorum tota essentia est in relationem posita, sic vt absolutam naturam nullam habeant*, vt Pater & filius, Dominus & Seruus.

Relata sunt duplicia,

Hinc iam explicari potest, quæ relata sint, quæ non sit in hac serie. Illud tribus propositionibus declaro.

Relata intentionalia non sunt in vllo prædicamento.

1. Est hæc. *Relata intentionalia neque in hoc, neque in vllo alio prædicamento per se reponi possunt.* Ratio manifesta est, quia prædicamenta sunt classes rerum, non intentionum secundarũ. Præterea talia relata æquè sunt in omnibus, atque in vno prædicamento: nam in omni classe sunt genera & species, causa & effectum; ad vnum igitur aliquod restringi ista non possunt. Sunt igitur in nullo *vno per se*, in omni autem *per accidens & gratia illarum rerum quæ per ipsas intentiones secundas notantur.*

Relata secundum Dici non sunt in hoc tertio prædicamento.

2. Est hæc. *Relata nulla secundum Dici, ad hoc prædicamentum spectant, nec in eo vel reductivè ponuntur.* Ratio est, quia omnia talia relata sunt in sua essentia & natura absoluta; & omnia absoluta ad classes rerum absolutarum spectant, & in aliquo eorum collocantur, vt Scientia & Sensus in Qualitate, Scibile aliquod in Substantia, aliud in Quantitate, aliud in alijs prædicamentis. Cum igitur omnia talia relata ad aliquod absolutum prædicamentum pertineant, certe in hoc *Relationis* reponi, aut ad hoc reduci non possunt: Nam sic vnum idemque in diuersis prædicamentis esset, quod est impossibile, vt ante declaravimus cap. 8.

Omnia & sola relata secundum esse, in hoc prædicamento.

3. Est hæc: *Relata omnia secundum Esse, eaque sola ad hoc prædicamentum spectant, & reductiuè in eo ponuntur.* Sequitur ex præcedentibus. Nam cum neq; *intentionalia* hic ponantur, neq; *relata secundum Dici*, relinquitur vt sola *relata secundum Esse*, hic collocentur. Ea verò omnia huc spectare liquet; quia relationes omnes quibus illa referuntur,

runtur in vna communi natura & vnivoco genere conveniunt, nempe in *Relatione*: quare cum relationes omnes quibus ista relata referuntur, directè in hoc prædicamento collocentur, consequitur relata ipsa quæ sic referuntur, ad hoc idem prædicamentum reduci, in eoque reductivè collocari.

Satis vt opinor, nunc liquet, primò relationem esse summum Genus huius prædicamenti; deinde relata (non quidem omnia) sed *secundum esse solum*, huc spectare, & hic per reductionem locari. Nunc quid sit hæc relatio quæ est summum Genus expediamus, describitur autem sic.

Relatio est Accidens naturâ sua respectivum, per quod subiectum cui inest refertur ad aliud. Quia autem doctrina hæc tota de Relationibus & valde fructuosa est & valde obscura, addam pauca ad pleniorem huius descriptionis, aliorumque quæ ad relationem spectant, intelligentiam. Sunt autem tria præcipue in ista descriptione notanda. *Relatio quid sit*

Primum, quod *relationes omnes sint accidentia, ideoque verè Entia realiter existentia, & subiectis suis inhærentia.* Loquimur enim hic solum de *relationibus finitis*, & rerum finitarum. Sunt enim in Deo *divina quædam & per rationem humanam omnino incomprehensibiles relationes*, quæ Accidentia non sunt, cum in Deo *accidens nullam vel sit vel esse possit*, vt August. sæpissime, & clarissime lib. de fide & Symb. ca. 9. & post eum Aquinas part. 1. q. 3. art. 6. & lib. 1. contra Gent. ca. 23. docet. Istæ (inquam) *relationes in Deo Accidentia non sunt*, vt Aquin. docet part. 1. q. 28. art. 2. & lib. 4. contra Gent. ca. 14. Sed reprimo me, nec in tam altum pelagus (vbi Elephantes omnes natent, nec forte enatent) immitto Cymbam hanc. Moneo solùm de his Relationibus nihil nos hic agere, cum relationes *accidentia definimus*. Relationes enim solum *finitas* tractamus; Theologis alias relinquimus. *Relationes sunt accidentia realia.*

Secundum est hoc, quod *relationes sunt natura sua & essentia respectiva*. Quod non ita capiendum est, quasi ipsæ relationes respiciant alia, aut ad alia referantur, (nã hoc *terminus, & relata conveniat, non relationibus*) sed sunt respectiva, quia *per ea subiecta ipsa seu termini ad alia referantur*, neque quidquam sint, quatenus has relationes habent, quàm natura sua & relata. Sic pater quà pater, id est quatenus paternitatem habet, nihil aliud est, quam relatum, nullam absolutam naturam habet, sed solum respectivam. Est enim paternitas, essentialiter respectus qua pater refertur ad filium, de quo vide quæ supra meminimus ca. 9. *Relationes quomodo naturæ respectivæ.*

Tertium est hoc. *Quod per relationem subiectum aut Terminus vnus refertur ad alium*: vnus (inquam) *ad vnum non ad plures*. Etenim in omni relatione duo sunt, & duo tantum non plures termini. Ideoque si eveniat (quod frequentissime evenit) vt vnus pater referatur ad 5. aut 50. filios (quot Priamum habuisse narrat Cicero, lib. 1. Tus. Quæ.) *Relatum refertur ad vnum tantum Correlatum.*

aut vnus dominus ad 500. ſervos, aut vnus rex ad 100. Myriadas ſubditorum, quoniam vniuſcuiuſque relationis non poſſunt eſſe plures quam duo termini, efficitur, quod tot ſint in illo patre, domino aut rege diſtinctæ numero paternitates, dominationes, & regalitates, quot ſunt eius filij, ſervi, aut Subditi; & quod ille idem homo per vnam paternitatem referatur ad hunc filium, & dicatur terminus relatus ad hunc, vel pater huius filij: per aliam paternitatem, referatur ad alium, dicaturque terminus relatus ad illum, vel pater illius filij, & ita in reliquis quotcunque ſunt. Hoc ita probatur. Quia ſi vna tantum paternitas eſſet ineſſet, eaque vna ad quinque filios referretur, certe mortuo vllo vno iſto um quinque filiorum, non poſſet amplius pater aut eſſe aut dici. Certum eſt enim quod vna relatio, ſeu paternitas tollitur, cum tollitur vnus filius, nam ſublato relato tollitur Correlatum, Correlatum autem filij pater eſt, aut homo cum paternitate. Quare ſi homo ille vnam tantum paternitatem habuit, quoniam illam iam mortuo vno filio, amiſit, relinquitur eum diutius non eſſe patrem: at conſtat eum adhuc eſſe patrem, quia adhuc alij eius filij ſunt ſuperſtites. Quare certum eſt eum adhuc retinere alias paternitates, per quas adhuc pater dicatur horum filiorum, & ad eos referatur; Similiter ab ortu filiorum, ſervorum, aut Subditorum arguere poſſemus. Neque tamen propter iſtam multiplicitatem aut diverſitatem paternitatum, aliarumque relationum, quæ eidem inſunt, debet ille vnus homo, multi aut diverſi patres, domini, aut reges appellari. Nam vt ſint diverſi aut multi patres, aut reges, requiritur non ſolum vt relationes diverſæ ſint, ſed vt ſubiecta ipſa quibus illæ relationes inſunt, ſint diverſa, quia nomen patris aut regis notat ſubiectum cum paternitate, aut regalitate. Hic autem ſubiectum vnum eſt tantum, non multa. Quare vnus tantum pater aut rex eſt, etſi illi vni inſint multæ paternitates aut regalitates. Hoc tamen verum eſt, quod ille vnus, cui tot paternitates inſunt, eſt terminus diverſus quinque filiorum, quia ſubiectum illud licet vnum ſit, tamen cum vna paternitate eſt terminus vnius filij, cum alia paternitate, terminus alterius, & ita in reliquis. Nam ad terminorum diverſitatem ſufficit ſubiectum idem cum diverſis relationibus. Atque propter hanc terminorum diverſitatem, fit vt extincto vno filio non deſinat eſſe pater, ſed ſolum pater illius filij, ſeu relatus ad illum filium: nec extinguitur in eo ſimpliciter paternitas, ſed ſolum illa paternitas per quam referebatur, aut per quam erat terminus relatus ad illum filium. Quamdiu autem in eo manet vel vnica paternitas, tamdiu æque vere pater dicendus eſt, licèt habet ſolum vnicum filium, ac dicebatur cum haberat quingentos; ſed iam non eſt pater tot filiorum, neque tot paternitatibus affectus.

Dub. At inquies, duo aut plura accidentia ſolo numero differentia non poſſunt eidem ſubiecto ineſſe, ſic enim vulgo dicitur.

Sol. Reſpondeo, id quidem alicubi dici ab Aquinate, ſed cuiuſcunque propoſitio ſit, certe vera non eſt, ſi generaliter accipiatur. Nam ſpecies

cies ſenſibiles decem millium obiectorum, puta ſtellarum, aut hominum, aut arborum, aut corporum alborum in eadem parte aeris, in eodem oculo, imo pupilla oculi, ſimul eſſe poſſunt: at ſpecies duarum albarum chartarum, duarum ſtellarum, aut duorum hominum, differunt ſolum numero, ſicut chartæ ipſæ albæ, aut homines, aut ſtellæ ſolo numero differunt. Itidem ſpecies intelligibiles centum aut mille hominum, ſimul eſſe poſſunt in mente, & tamen numero tantum inter ſe differunt. Idem de lumine aſſeritur a nonnullis, duo nimirum lumina diſtincta ſolo numero ſimul aeri ineſſe, cuius indicium capiunt ex eo, quòd ſi duæ lucernæ eidem menſæ apponantur, & inter ea corpus opacum, videmus vmbram vtrinque fieri, ideoque lumina diverſa in aere ſunt, quia privatio vnius luminis vnam non duas vmbras efficeret. Quare etſi illud vulgare dictum, ſi de quantitatibus ſolum, vel qualitatibus (vt vocant) materialibus capiatur concedi poſſet, ita vt duo calores, aut duo corpora quantitativa, aut duæ figuræ diſtinctæ ſolo numero in eodem ſubiecto ineſſe nequeant, quo ſenſu a Zab. ſumitur, cap. 9. lib. de Region. Aeris tamen ſi ad alia accidentia vel ea quæ ſpiritualia vocantur (qualia ſunt ſpecies omnes viſibiles) vel ea quæ debilem entitatem habent, & tanquam *ſpiritualia* ſunt (qualia ſunt relationes) ſi inquam ad hæc accommodetur, verum non eſt; nam in exemplis allatis tum relationum, tum ſpecierum viſibilium, liquet duo, imò centum aut mille accidentia ſolo numero diſtincta, ſimul in eodem ſubiecto eſſe poſſe.

Explicata relationis definitione; Cauſa eius ſicut in alijs accidentibus inveſtiganda eſt. Ea *dicitur fundamentum relationis*. Nam quod nonnulli fundamenti nomine ſubiectum ipſum aut relatum intelligant, vt Iac. Zab. in Introd. ca. de Rel. longe aberrant & a ſcopo, & vero ſenſu illius vocis. *Fundamentum enim eſt illud, vnde immediatè oritur relatio, ſeu illud, quod eſt cauſa proxima cur hic terminus, aut ſubiectum ad aliud referatur, cuique* (velut fundamento adificium,) *ſuperſtruitur relatio.* *Fundamentum relationis quid.*

Fundamentum omnium relationum eſt aliquod Ens abſolutum: omnes autem relationes non in vno, aut non ſimiliter fundantur. Quædam fundantur in *Quantitate*, aliæ in *Qualitate*, aliæ in *Actione*, aliæ in *aliis rebus*, vt ex diligenti conſideratione percipi poteſt. In quantitate fundantur æqualitas & inæqualitas, nam cauſa proxima, cur aliquid ſit æquale alteri eſt hæc, quia quantitatem eamque æqualem vtraque habeant. In magnitudine fundatur longum & breve, latum & arctum, magnum & paruum: In tempore, diuturnum & breve quoad durationem: In numero, par & impar. In qualitate fundatur ſimilitudo & diſſimilitudo; nam ex eo quod duo termini habent eandem qualitatem ſpecie, oritur inter ipſa ſimilitudo; ex eo quod diverſam habent, puta vnus eorum albedinem, alter nigredinem, oritur diſſimilitudo. Itidem quod vnum albius ſit, alterum minus album, vnus doctior, alter minus doctus; vnus fortior, alter minus fortis; vnus calidior, alter

minus calidus, et reliquæ omnes relationes quæ comparationem in qualitate vlla notant, Hæ inquam omnes, ex qualitate oriuntur, et in qualitate fundantur. Nam cui vlla qualitas in pluribus gradibus ineſt, illud refertur ad aliud cui pauciores gradus inſunt, per notam relationis magis aut minus. Sicut longius, latius, craſſius, durius nitet oritur a maiori extenſione quantitatis (nempe lineæ, ſuperficiei, corporis aut temporis) quam vnum habet, præ alio. In actione quam plurimæ relationes fundantur, in actione generandi, id eſt, producendi aliud, ita vt ſubſtantiam ſuam aut illius partem eidem communicet, fundatur paternitas: in act[illegible] recipiendi ſubſtantiam ſuam ab alio per modum generationis, fundatur filiatio: in actione recipiendi ſubſtantiam ab eodem patre, fundatur fraternitas: in actione docendi præcepta artis alicui, eumque in illa arte rectè inſtituendi, fundatur ea relatio, qua quis præceptor vocatur: In actione auſcultandi, et artem aliquam ab alio diſcendi, fundatur relatio ex qua quis diſcipulus denominatur. In actione conſentiendi, vel in mutuo conſenſu per verba de præſenti, quod alter vir ſit aut maritus, altera vxor, fundatur matrimonium, id eſt, relatio illa ex qua coniuges vocantur, alter vir, altera vxor. In mutuo conſenſu quod vnus alteri fideliter ſeruiat, et alter ei debito modo dominetur, eique proſpiciat, fundantur relationes illæ, ex quibus hic dominus, ille ſervus vocatur. Idem in omnibus alijs relationibus declarari poſſet, ſed hæc ex empli cauſa propoſuiſſe ſufficit.

Dub. Dubitaverit forte quis de eo quòd *magnum, longum, latum, diuturnum* inter relationes numeremus, cum potius inter Quantitates cenſendæ ſint.

Sol. Solutio facilis eſt. *Magnum, longum* & reliqua ſumuntur dupliciter, *Abſolutè*, pro eo quod ſimpliciter magnitudinem aut extenſionem habet vllam. *Reſpectiuè*, pro eo quod magnitudinem aut extenſionem maiorem habet quam aliud. Idem de *longo, lato*, & *diuturno* dicendum eſt. Si priori modo capiantur, ſic *abſoluta ſunt*, & vel idem quod linea, ſuperficies, corpus & tempus, vel proprietates & affectiones illorum, atque ſic de ijs hic non loquimur. Si ſecundo modo ſumantur, verè relata ſunt in ſua natura, ſic enim *magnum* vocatur, non quod eſt extenſum, ſed quod maiorem habet extenſionem in longum, latum, aut profundum, quam aliud quod reſpectu huius dicitur parvum. Atque hinc conſequitur, aliquid poſſe *abſolutè* dici *magnum, longum, latum, craſſum*, ea (inquam) omnia quibus ineſt magnitudo, ſeu extenſio in longum, latum, aut profundum. Sed *parvum, breue, ſubtile*, nihil abſolute vel eſſe, vel cogitari poteſt. Quippe nihil eſt abſolutè parvum, quia quodcunque ſumas corpus eidem ineſt extenſio & magnitudo; nihil abſolutè breue, quia eidem ineſt aliqua longitudo, & ſic in cæteris. Quare quicquid parvum eſt, id tantummodo comparatè parvum eſt, nempe reſpectu maioris. Quodcunque

cunque enim parvum accipias, idem est absolute magnum, quia extensionem & magnitudinem habet: & ideò etiam respectiue magnum esse potest, si cum minori conferatur, nam *minima magnitudo aut extensio dari non potest.*

Ex his quæ de relationum fundamentis iam diximus, sex consequuntur. Primum est hoc. *Relationem omnem esse ens reale, verè realiter, seu essentialiter distinctum a suo fundamento.* Liquet ex dictis. Nam fundamentum semper est *absoluta natura*, relatio semper est *respectiuæ*: Fundamentum semper est *causa* seu id vnde oritur relatio, Relatio est id quod *oritur, causatur*, & consequitur ex fundamento. Fundamentum semper *prius est naturâ* relatione: Relatio *naturâ posterius* suo fundamento. Hæc certa indicia sunt realis & essentialis distinctionis. Scio virum illum doctrina & pietate insignem Hier. Zanch. lib. 2. de Attrib. divin cap. 2. quæst. 1. §. Vocantur, paulo aliter docere, ait enim, *Relationes esse ac dici entia realia, non quia ex se talia sunt, sed tantum ex ipso fundamento*, quia fundamentum eorum est reale: et vlterius ait, *Relationes nihil addere suis fundamentis.* Sed cur istis non sit assentiendum, ex prædictis liquet. Addo etiam, quod si nihil addatur corpori albo cum vocatur, & est simile alteri albo, certè omnis similitudo abolenda est, nam ex albo sine reali accidente, realiter esse dicive nihil potest Simile. *Fundamentum, & Relatio realiter differunt.*

Secundum est hoc: quod *Relatio nulla possit esse terminus motus aut mutationis, sic vt ad ipsam tendat aut terminetur mutatio.* Docet hoc expresse Arist. 5. Phys. cap. 2. et ratio est, quia motus omnis & mutatio huc spectat, vt introducatur in subiectum aliquod ens absolutum, nempe vel Substantia, vel quantitas, vel qualitas, vel vbi: nihil autem horum, neque vllum absolutum, relatio est. *Relatio non est terminus Motus.*

Tertium. *Relationes oriuntur tribus modis*; primo *ad ortum subiecti cui insunt*, vt, cum oritur homo, cum eodem oritur potentia ridendi, & ideo similitudo ad alios homines qui ridere itidem possunt, sed dissimilitudo ad bruta, plantas, & omnia alia quæ nequeunt ridere. Secundo, *ad ortum sui fundamenti.* Vt cum ignis calefacit aquam, ad introductionem caloris in aqua oritur similitudo ad aerem, sed dissimilitudo ad terram & omnia frigida. Tertio *ad ortum sui correlati*, etsi nullum omninò absolutum accedat subiecto cui inest relatio: sic in exemplo posito, cum aqua calefit, oritur noua dissimilitudo in terra ad istam aquam, ea verò oritur neque *ad ortum subiecti*, neque ad *ortum fundamenti*, sed solum ad *ortum correlati*, illius nempe dissimilitudinis quæ oritur in aqua ex illa introductione caloris in eam. Fundatur autem dissimilitudo terræ in qualitate frigoris quod præextiterat in terra, & quod dissimile est omni calido; & propter hoc frigus noua relatio nunc fit in terra ad ortum sui correlati. *Relationes oriuntur tribus modis.*

Quartum est hoc. *Relationes sicut oriuntur, ita moriuntur, occidunt, seu desinunt esse, tribus contrarijs modis.* Primo, *per interitum subiecti*, vt moriente Socrate qui pater est, moriuntur omnes paternitates quæ *Relationes cessant tribus modis.*

in ipso sunt. Secundo, *per interitum correlati*, vt moriente Socrate patre, desinunt relationes filiationis quæ sunt in eius filijs. Tertio, *per interitum sui fundamenti*, etiamsi subiectum tam relati quam correlati salvum sit: vt intereunte calore aquæ, interit dissimilitudo aquæ ad terram, et omnia alia frigida.

Numerus relationum propè est infinitus.

Quintum est hoc. *Cum tot modis oriri soleant relationes, non est dubitandum, quin ingens & omninò incomprehensibilis numerus relationum, & sit & quotidiè oriatur.* Accipe vel vnum granum tritici, quis mente concipere potest, quot sint corpora maiora illo grano, quotve arenæ maris minores eo? Sunt verò tot relationes in illo vno grano, quot sunt numero, ad quæ refertur. Et cum oritur illud granum, oriuntur simul omnes illæ relationes, tam in alijs quæ vel maiora sunt vel minora ipso, quàm in ipso illo grano. Aut quis fingere animo potest quot sunt numeri quibus binarius numerus sit inæqualis?

Sextum est hoc. *Cum relationes tam facile & oriantur & intereant, cumque tam leuem habeant dependentiam a subiectis quibus insunt, vt sine vlla mutatione in illis facta (per accessum nempe vllius absoluti) & oriantur infinitæ fere relationes in illis, & intereant, fatendum est, id esse verum quod vulgo dicitur: Relationes esse minimæ entitatis.* Dependet enim earum entitas, tam a *subiecto* cui insunt, quodque refertur, quam a *termino* ad quem refertur, & a *fundamento* a quo oritur relatio. Quorum vllum si deficiat, perit relatio.

Proprietates Relatorum.

Huc vsque de summo genere quodnam, & quidnam esset in hoc prædicamento, diximus. Nunc ad illius proprietates progrediamur. Quinque enumerat Arist. cuius nos sensum aperire desideramus.

Prima est *quod relatis aliquid sit contrarium.* Contrarium (inquam) non *per se*, sed *gratia sui fundamenti.* Ea enim relata contraria sunt, quorum fundamenta sunt contraria: vt dissimilitudo orta ab albedine, contraria est per accidens, dissimilitudini quæ fundatur in nigredine, quia albedo & nigredo contraria sunt. Convenit autem relatis secundum esse neque omnibus, non enim æquali aut inæquali; neque solis, nam qualitates contrariantur, quare *communitas verius quàm proprietas vocanda est.*

Secunda est. *Relata suscipiunt magis & minus*, vt vnum simile, est magis simile alicui, quam alterum. Estque hæc etiam *communitas solum, non proprietas relatorum secundùm esse.* Nam nec omnibus convenit, non enim æquali & inæquali, cum fundamentum eorum nempe Quantitas non suscipiat magis & minus: nec solis, convenit enim qualitatibus; Addo etiam, nullis relatis *per se* convenit, sed solum *per accidens* & gratia fundamenti.

Dub.

Sed quomodo tum dicit Arist. æquale & inæquale suscipere magis & minus: nam illa fundantur in quantitate, & quantitas non suscipit magis aut minus. Præterea æqualitas omnis in indivisibili consistit, sic vt vel addendo quicquam, vel detrahendo desinat esse æquale: quare nihil altero magis æquale, nam vtraque omninò paria

sunt

sunt. Inæquale quidem vnum, magis altero inæquale. Vt mille, magis inæqualis est numerus respectu binarij, quam centum, & centum quam viginti, ita vtrinque difficultas est.

Respondendum est, Arist. hic res tractare pingui Minerua, & exempla adducere vulgata, licet non exactè vera. Etenim & hic locum illud habet, *In exemplis non est quærenda veritas, sed illustratio.* Dicendum igitur, neque æquale, neque inæquale, *propriè loquendo* suscipere magis aut minus; & quamvis vnum dicatur inæqualius aut magis inæquale altero, id tamen non dicitur propter maiorem intensionem quantitatis aut multiplicationem vnitatum. *Sol.*

Tertia, *Relata omnia dicuntur ad conuertentiam, id est, reciprocantur vnum cum altero in aliquo obliquo casu*, vel in *genitiuo*, vt, pater est filij pater; vel in *dativo*, vt simile est simili simile; vel in *accusativo*, vt mons dicitur magnus, ad parvum, aut respectu parui; vel in *ablativo*, vt maius dicitur minore maius. Nunquam vero reciprocantur relata in *recto* casu, nam non possumus dicere, Omnis pater est filius. *Relata dicuntur ad conuertentiam.*

Convenit hoc Relatis secundum esse *omnibus, non solis*, nam etiam relata secundum dici sic reciprocantur, vt sensibile est sensu sensibile, Scibile est Scientia Scibile. Est ergo proprium relatis secundum esse, primo modo. *Relata sunt simul naturâ.*

Quarta, *Relata omnia sunt simul naturâ.* Vt autem aliqua dicantur simul naturâ, duo requiruntur, Prius, vt sint *simul tempore*, neutrum verò aut prius tempore aut posterius altero; sed posito vno ponitur alterum, & sublato vno tollitur alterum. Posterius, vt *neutrum eorum sit causa alterius.* Horum vtrumque relatis omnibus huius prædicamenti, id est, relatis secundum esse convenit. Nam neque pater prior est filio, & neutrum causa alterius est. Est autem hoc proprium relatis secundum esse primo modo; nam *omnibus conuenit sed non solis.* Etenim relata secundum dici possunt esse simul naturâ, vt Scientia & Scibile, Sensus et Sensibile: et relata etiam intentionalia, vt Genus et species, causa et effectum: et præter hæc, duo propria eiusdem speciei, vt risibile et flebile, nam posito vno, ponitur vtrumque, & nec risibilitas causa est flebilitatis, nec contra.

Sed duplex dubitatio hic occurrit, prior de relatis secundum esse, nam vt vulgò objici solet, pater prior est tempore suo filio, aliàs filium generare non posset. *Dub.*

Responsio vulgaris, si rectè intelligatur, vera est, patrem, si *materialiter* sumatur pro homine generante, priorem esse tempore suo filio: Si *formaliter*, neutrum prius est altero. Cæterum diligenter obseruandum est, quod formalis acceptio eorum, non est accipere patrem et filium pro abstractis, nempe pro paternitate et filiatione, sic enim neutrum eorum refertur ad aliud, vt sæpe dictum est, sed sunt ipsæ relationes per quas termini referuntur ad invicem inter se. Sed pater sumitur *formaliter*, cum accipitur homo cum hac relatione paternitas, aut quatenus ei paternitas inest. Et sic pater, nec est, nec *Sol.*

cogitari potest esse prior filio. Nunquam quis pater dici potest priusquam filius ei sit. Homo quidem iste cui inest iam paternitas, prior est filio, sed homo cum hac relatione, prior non est. Et si plures filios habeat, non est pater huius filij priusquam sit hic filius.

Dub. Altera dubitatio est de relatis intentionalibus, qualia sunt *Genus & Species, Causa & effectum, pars essentialis, & totum essentiale, prius natura & posterius natura.* Hæc enim non sunt simul natura, cum omne genus prius sit natura suis speciebus, vt in ca. de Genere dictum est. Et causa omnis prior sit natura suo effectu, vt Arist. docet cap. de *Prior.* Ex quo sequitur tum genus esse prius specie, tum partem essentialem suo toto essentiali, cum ista sint causæ intrinsecæ horum. His addi potest *prius tempore*, & *posterius tempore*, quæ sine dubio relata sunt, & tamen non sunt simul natura, quia vnum eorum est tempore prius alio, nempe [*prius tempore*] aliter enim tempore non esset prius sed simul: quod implicat contradictionem.

Sol. Vna responsio omnibus his satisfacit, illa nempe quam in obiectione solvenda de patre & filio poluimus, de acceptione horum *materiali & formali*, Si genus & species sumantur *materialiter*, pro eis rebus quæ genera sunt & species; tum certissimũ est, genus esse naturâ prius specie, vt animal homine, viuens animali, corpus viuente. Sed si sumantur *formaliter*, pro rebus ipsis, *quatenus hæ intentiones generis & speciei eis accommodantur*, tum neutrum est prius natura altero. Nam animal quatenus ei *Generalitas* attribuitur, aut quatenus vocatur *genus*, nec est nec esse potest genus, nisi sit aut cogitetur aliquid esse species illius. Idem dicendum est de causa & effectu: res omnes quæ causæ sunt, priores natura sunt, quam res illæ quæ sunt eorum effecta; Sed res nulla causa est, nec habet *hanc intentionem causæ ei attributam* priusquam alteri hæc *intentio effecti* attribuatur. Similiter res ipsa quæ est pars essentialis, prior est natura suo toto essentiali, vt rationale homine: sed rationale cum hac *intentione partis essentialis*, seu prout ei accommodas hanc intentionem secundam, quod sit pars essentialis, neque est, neque cogitari potest priusquam cogites aliud, quod sit totum essentiale respectu illius partis. Atque hoc idem de *priori natura*, & *posteriori natura* respondendum. Accipe ea *materialiter* pro rebus illis quæ priores natura sunt aliis, tum non sunt simul natura, sed vnum prius est natura (vti vocatur prius natura) alterâ: sed sume *formaliter* pro re aliqua cum hac *relatione prioritatis naturâ*, tum non est, nec cogitari potest esse *prius natura*, nisi sit aliud & cogitetur, quod sit eo *posterius natura*. Etiam de *priori & posteriori tempore*, idem respondendum. Homo centum annorum prior est tempore homine qui solum duos annos egit, præcedit enim hunc annos octo & nonaginta: Sed nunquam ei inest hæc relatio *prioritatis tempore* antequam alter natus sit, cui inest alia relatio *posterioritatis temporis*; ideo nunquam nec est, nec dici aut cogitari potest, esse prior tempore, quam sit alter, aut dicatur aut cogitetur, qui sit posterior tempore.

re. Sicut homo qui pater est, nunquam est, aut cogitatur esse pater antequam sit alter, aut cogitetur qui sit illius filius. Atque de omnibus quæ similia sunt simile omnino est iudicium.

Tertia dubitatio est de relatis secundum dici, eaque ex ipso Arist. deprompta. Nam ille prolixa tractatione probat, esse *scibile*, cuius tamen non sit *Scientia*, vt Quadratura circuli scibilis est, nec adhuc tamen est illius scientia; & antequam crearentur homines, erant multa scibilia, puta, Cœlum, elementa, plantæ, bruta, & tamen non erat eorum Scientia (nempe *humana*) cum nondum esset homo. Ita ante creationem animalium erant multa sensibilia quæ sentiri possent, nec tamen erat vllus sensus quo poterant tum sentiri. Ex quo liquet, quod etiam Arist. concludit, Scientiam & scibile, sensum & sensibile, quæ sunt relata secundum dici, non esse simul natura, cum vnum sine altero esse possit. *Dub.*

Respondeo Arist. id quidem & affirmare & probare, sed in tota illa tractatione, *disserit non asserit*, vel vt vulgo dicitur, *loquitur disputatiuè, non doctrinaliter*. Reliquit verò rem in dubio, neque solutionem annexit, vel quia hic res tractat pingui Minervâ, vel quia lectorum ingenia in solutione investiganda, exercere voluit. Soluitur autem dubitatio hæc distinctione: Scibile & scientia sumuntur tripliciter, vel *vtraque actu*, vt illud dicatur Scibile quod actu scitur, & illud scientia qua rem actu scimus: & sic ambo sunt simul natura, neutrum altero prius, nam nihil est actu scibile, antequam sit actu scientia quâ sciatur; vel *vtraque potestate*, vt illud dicatur scibile quod potest sciri, etsi adhuc non sciatur; & illud scientia, qua res potest sciri, etsi adhuc actu non sciatur, & sic ambo etiam sunt simul natura: nam nihil potest sciri, quin potest esse scientia quâ sciatur: vel *vnum eorum sumitur actu, & alterum potestate*, vt si capias scibile pro eo quod potest sciri, scientiam verò pro eo quo actu rem scimus; & hoc modo si accipiantur, Scibile est prius Scientia: hocque sensu de eo disputat Arist. Sed tum non apta fit collatio, nec aptum correlatum adhibetur Scibili. Si autem aptum capias correlatum Scibilis, profectò ea simul natura verè dici debent. Similis responsio de sensu & Sensibili adhibenda est. *Sol.*

Quinta & vltima proprietas relatorum est hæc, quòd *cognito vno relatorum definitè, etiam alterum definitè cognoscitur*. Sed quid est cognoscere aliquid *definitè*? Duo significat: vel cognoscere aliquid *in particulari* esse tale aut tale, vt cognoscere Socratem in particulari esse patrem, aut hoc corpus in particulari esse capitatum, & sic opponitur ei quod est, *cognoscere aliquid confusè* aut *in genere*: vel significat cognoscere aliquid *per veram & essentialem definitionem ipsius*, vt si cognoscas patrem per suam essentiam & definitionem, aut capitatum corpus per suam essentiam: & sic opponitur ei quod est *cognoscere aliquid per accidentia*, aut accidentalem descriptionem. Si priori sensu sumatur, tum hoc est proprium relatis secundum esse secundo modo: *Quid sit cognoscere aliquid definitè.*

nam *conuenit eis omnibus, ſed non ſolit*, nam etiam relatis *ſecundum dici, & intentionalibus* conuenit. Etenim vt non ſcis definitè hunc eſſe patrem, aut dominum, niſi in particulari & definitè ſcias, eum eſſe patrem huius filij, aut dominum huius ſervi: ita neque definitè & in particulari ſcire potes, hoc eſſe ſenſibile, aut ſcibile, niſi definitè & in particulari ſcias quòd ſit hoc ſenſu ſenſibile, aut hac ſcientia ſcibile: neque etiam definitè potes ſcire hoc eſſe genus, aut cauſam, aut partem eſſentialem, niſi in particulari ac definitè ſcias, eſſe genus huius ſpeciei, cauſam huius effectus, aut partem eſſentialem huius totius eſſentialis. Si verò ſumatur in poſteriori ſenſu, tum eſt proprium *quarto modo relatis ſecundum eſſe*, nam convenit eis omnibus, ſolis ac ſemper: Ratio eſt, quia ipſa eſſentia relatorum ſecundum eſſe, eſt reſpicere aliud, ad iludque referri: Quare impoſſibile eſt cognoſcere ipſum in eſſentia ſua, niſi ſcias id ad quod iuxta eſſentiam refertur. Non ſic relata ſecundum dici: nam illa omnia in ſua natura ac eſſentia abſoluta ſunt, ideòque habent abſolutam eſſentiam, qua cognita, ipſa definitè & in eſſentia cognoſcuntur; ſicut Scientia & ſenſus qualitates ſunt, & ſenſibile, vel qualitas vel Subſtantia. Cum ergo in ſua natura non reſpiciant vllum aliud, certè in ſua eſſentia cognoſci poſſunt, interim vt alia illa non cognoſcantur, ad quæ ex accidenti & non ex eſſentia referuntur. Relatis autem intentionalibus hoc non convenit, quia illa definitè & iuxta eſſentialem definitionem non omninò cognoſcantur, ſed ſoluna per deſcriptiones, quia non ſunt res extra mentem & ſine eius operatione exiſtentes, ſed intentiones ſecundæ a mente fabricatæ, quare nec in prædicamentis (quæ ſunt claſſes rerum) locantur.

Ariſt. autem ſumpſit hoc [*Definitè cognoſcere*] vtroque ſenſu ſimul. Atque eo modo eſt etiam proprium relatis ſecundum eſſe, quarto modo.

Dub. Sed dubitari de vtroque ſenſu poteſt. Primò videntur relata ſecundum eſſe cognoſci definitè et eſſentialiter ſine cognitione ſuorum correlatiuorum. Vnumquodque enim tum eſſentialiter cognoſcitur quando per ſuum genus & differentiam cognoſcitur. Quare ſi quis cognoſcat genus & differentiam patris, is ſanè totam eſſentiam patris cognoſcit. Deinde certum eſt correlatum non eſſe de eſſentia, neque partem vllam eſſentialem ſui relati, nam tum eſſet prius naturâ relato, cum omnia eſſentialia priora ſint eis de quorum eſſentia ſunt; relata verò omnia ſunt ſimul natura. Quare cum correlatum non ſit de eſſentia relati, videtur relatum ſecundum ſuam totam eſſentiam cognoſci poſſe ſine eo.

Sol. Reſpondeo, veriſſimum eſſe, correlatum nullum eſſe de eſſentia ſui relati, vti ſatis apertè ac ſolidè in obiectione probatur. Sed tamen neque eſſentialiter cognoſci poteſt, neque eſſentialiter definiri, relatum ſine correlato. In quo magnum diſcrimen obſeruandum eſt inter *abſoluta & reſpectiua*. Nam quia natura abſolutorum abſoluta eſt, ideò

ideò ad cognitionem essentiæ, & ad essentialem definitionem ipsorum, nihil requiritur præter genus & differentiam, quæ sunt partes essentiales: At secus se res habet in *relatis*; Nam quia ipsorum natura non est absoluta, sed *respectiua*, talisque vt illa ipsa essentia implicet respectum ad aliud, ideo relata non possunt secundum essentiam suam sciri, nisi id sciatur ad quod respectus notatur per illam essentiam: neque satis est ad relatorum definitiones adhibere genus & differentiam (quæ sola eis essentialia sunt) sed oportet addi correlatum, quod etsi non sit de essentia, est tamen terminus correlativus quem relatum per suam essentiam respicit.

Altera dubitatio est de priori sensu & de relatis secundum dici. Interea Arist. enumerat *Caput* & *Capitatum*, *manum* & *manuatum*, & ait aliquem posse definitè, & in particulari scire manum & caput, interim vt cuius manus sit aut caput ignoretur. Hoc autem videtur impossibile, nam non potest definitè et in particulari sciri hoc esse manu aut caput, nisi sciatur esse huius corporis manu aut caput, quia manus et caput partes sunt totius, pars autem et totum sunt relata secundum esse. Quare vnu certò ac definitè sine altero cognosci non potest. *Dub.*

Respondeo, Arist. et ponere illa inter relata secundum dici; et asserere vnum posse definitè sciri sine altero. Sed quod in alijs quamplurimis, idem hic locum habet, in *exemplis non quærendam esse veritatem sed illustrationem*. Nam capitatum cum sit totum, caput cum sit pars, cumque pars et totum sint relata secundum essentiam, sane idem, de capite et capitato, manu et manuato, ac similibus dicendum esse, non potest esse dubium. Et vt Pater si *materialiter* sumatur est solum substantia, si verò *formaliter* pro homine cui ineſt paternitas, est relatum secundum esse; itidem planè capitatum, si *materialiter* capiatur, pro substantia ipsa, ac corpore, relatum non est: Sed si *formaliter* accipias, pro corpore cui caput est, aut pro corpore quatenus habet caput, sic non minùs est relatum secundum esse quam pater, aut Totum. Quod autem Arist: dicit posse definitè sciri manum aut caput, etsi non cognoscatur definitè, cuius manus sit aut caput, respondeo id *exempli gratia & illustrationis dictum esse, non quòd ad amussim verum sit.* Nam sicut potes cognoscere definitè, certò et in particulari, aliquem esse dominum cum videas alios ei seruire, etsi non cognoscas nomen vel domini vel serui: ita planè potes cognoscere certò ac definitè hoc corpus esse capitatum aut hoc esse caput huius totius, licet non cognoscas de nomine, aut de facie, aut vultu, id cuius est caput. Sed vt nemo potest scire certò ac definitè hunc esse dominum nisi sciat hunc esse eius seruum; ita nemo certò ac definitè scire potest, vel hoc esse capitatum, nisi sciat in particulari hoc esse illius caput, et esse huic toti continuatum: vel hoc esse caput, nisi certò sciat, esse caput huius totius capitati, eique continuatum esse vt partem integralem suo toti. *Sol.*

Hæc de proprietatibus Relatorum dicta sint. Nunc eorum series explicanda. Et sanè cum infinitus sit Relationum numerus, adeò vt

multitudine, absoluta accidentia longissimè superent, possent ea multis modis diuidi, & in immensam seriem produci. Verùm nos exactam harum rerum tractationem alijs relinquentes, brevem ac qualemcunque tabellam Relatorum quasi in exemplar subijciemus.



Atque hæc de Prædicamento Relationis dicta sint.

Cap.

Cap. XIII.

De Qualitate.

Sequitur nunc quartum prædicamentum, nempe *Qualitas*; de hac tria explicanda sunt, vti in priorit us. Primo *quodnam & quidnam sit Qualitas ea quæ est summum Genus.* Secundo, quæ *illius proprietates.* Tertio quæ *eius species & series prædicamentalis.* Quod attinet ad primum, obseruanda est hæc distinctio.

Qualitas vocatur qua quocunque modo prædicatur in Quale, et est duplex,

- *Essentialis, qua prædicatur in quale essentialiter, quæque est de essentia rei.* Sic rationale qualitas essentialis hominis vocari potest. Hoc sensu sumit Arist. qualitatis nomen 5. Metaph. cap. 14. vbi ait *differentiam substantiæ dici qualitatem;* quod idem ait Aquin. 1. 2. quæst. 49. art. 2. Et ratio huius aperta est, quia omnis *differentia in quale essentiale prædicatur*, vt ex Porph. diximus.
- *Accidentalis, qua denominat subiectum sunum Quale accidentaliter* & hoc dupliciter vel,
  - *Cum additamento, vt quale quantum, quale relatiũ, quale agens*, &c. Sic omnia alia octo prædicamenta accidentium dici possunt qualitates, quia illa omnia prædicantur in *quale accidentale*, sed semper cum aliquo additamento.
  - *Simpliciter, quod denominat subiectum quale & nihil aliud*, neque quantum, neque relatum, neque aliud alterius prædicamenti.

Qualitatis acceptiones.

Hinc facile perspicere licet quodnam sit summum genus huius prædicamenti. Non *Qualitas essentialis*, nam ea substantia esse potest, & ea semper differentia est; at *nulla differentia est genus*, vt ait Arist. lib. 4. Top. cap. 2 nu. 5. Nec *qualitas qua prædicatur in quale accidentale cum additamento*, hæc inquam non potest esse summum genus huius seriei: nam talis est semper in alio distincto prædicamento, in Quantitate, Relatione, Actione, vel alijs; quare in hoc prædicamento nulla talis qualitas reponi potest, multo minus potest esse summum genus huius seriei. Restat ergo, *qualitatem accidentalem quæ denominat subiectum suum quale simpliciter & sine additamento, esse verè summum genus huius prædicamenti*, omniumq; specierum in eo comprehensarũ.

Quæ Qualitas sit summum Genus.

Qualitas quid. Qualitas hæc ita describi potest: *Est accidens absolutum, ex quo subiectum denominatur quale sine vllo additamento quanti, relati, aut alterum.* Vt ex albedine dicitur quis albus, a doctrina doctus.

Proprietates Qualitatis. Accedamus nunc ad proprietates qualitatis: Earum tres ponit Arist.

Prima est hæc. *Qualitati aliquid est contrarium*, vt vitium & virtus, calor & frigus, humor & siccitas. Est autem hæc *communitas* verius, quam proprietas, nam nec soli, nec omni qualitati convenit: non enim vlli potentiæ naturali, nec vlli figuræ, nec fortitudini aut temperantiæ, viriditati, rubedini aut vlli medio colori. Nihil verò tam proprie contrariari dicitur quam qualitas, & præcipuæ quatuor illæ *primæ qualitates*, (vt vocantur) calor, frigus, humiditas, siccitas; hæ enim primariò activæ sunt ac passivæ, ideò præcipuè pugnant inter se & contrariantur.

Dub. Sed quomodo dicit Arist. hoc cap. num. 25. & ca. 11. nu. 6. *Iustitiam & iniustitiam esse* contraria, aut *virtutem ac vitium*? Nam contraria debent maximè inter se distare: iam virtus omnis moralis, ideoque iustitia, medium est inter duo extrema vitia. Certum est autem, extremum ab extremo magis distare, quàm a medio, vt timiditas plus distat ab audacia, quam fortitudo.

Sol. Respondeo, virtutem & vitium si sumantur in genere sub ratione *boni & mali moralis*, sic maximè a se distant, Nihil enim a bono potest plus distare quàm malum, & contra. Sed si sumantur *ut species*, vt vitia sunt extrema, & virtus medium inter illa, sic non sunt contraria, nec maxime distant. Iam cum diximus esse contraria, sumpsimus ea in genere non in specie, & Arist. per iustitiam intelligit virtutem moralem in genere, per iniustitiam vitium morale in genere, & sic accepta contrariantur sicut virtus & vitium. in specie verò si capiantur, sic extrema iustitiæ, plus distant inter se, quam iustitia ab alterutra.

Secunda est hæc. *Qualitas suscipit magis & minus*, vt vnus alio doctior, prudentior, melior, fortior, calidior, frigidior. Et hæc etiam *communitas* solum est, non proprietas. Nam nec soli qualitati convenit, sed relatis, & Actionibus; nec omni, nam nulli naturali potentiæ, nulli figuræ.

Dub. Cæterũ hic difficultas non levis occurrit. Nam Arist. probat hoc ca. nu. 30. figuram non suscipere magis & minus, *quia cuicunque figuræ definitio convenit, eidem æqualiter convenit: quibus autem definitio figuræ non convenit, illa non possunt dici magis aut minus figurata, quia non sunt omnino figurata.* Iam si hæc Aristotelis ratio valida sit, profectò nihil omninò, nec vlla qualitas suscipiet magis & minus. Nam si caloris definitio (capiatur id pro exemplo) aliquibus convenit, æqualiter sine dubio convenit vtrisque, cum *nullius rei essentia intendatur aut remittatur*, vt vulgo asseritur, & ex Porph. colligitur apertè tam de genere, ca. 11. nu. 3. quàm de differentia ca. 15. nu. 4. Quæcunque

ergo

ergo calorem habent, ea æqualiter non secundum magis & minus definitionem caloris habent. Quæcunque verò non habent definitionem caloris, ea non possunt dici magis minusve calida, cum omninò calida non sint. Calor itaque eâdem planè ratione probatur non suscipere magis & minus, quo figuram non suscipere probavit Arist. Idemque de omnibus alijs rebus pari modo dici posset. Quare nihil omnino suscipiet magis & minus.

Respondeo, neque figuram, neque calorem, neque quidquam susSol. cipere magis aut minus per intentionem essentiæ, aut definitionis, in vno magis quam in alio. Sed omnis susceptio magis & minus *est per gradus individuales superadditos essentiæ*: vt cum duo calida sunt, essentia caloris est æqualiter in vtroque, nam intendi non potest. Sed tamen in vno calor potest esse in quarto, in altero solum in primo gradu: illud autem subiectum calidius verè dicitur & calor in eo intendi, in quo sunt plures gradus, aut graduales partes (vt nonnulli vocant.) Iam quod ad Arist. rationem attinet: is sumit vt concessum, (quod sanè verum est) in figura nullos esse gradus intentionis, nam cum figuræ omnes sint in Quantitate, & quantitas tales gradus respuat, certè figura eos habere non potest. Extensionis quidem gradus & quantitas & figura habet: intensionis verò neutrum eorum.

Hoc ergo supposito, quod per gradus intensionis figura non suscipiat magis aut minus, Arist. probat quod non omninò suscipit, quia eius essentia non intenditur aut remittitur. Tota verò Arist. ratio & argumentatio si exprimeretur, ita se habet. Si figura susciperet magis aut minus, illud fit vel quia eius essentia intenditur magis in vna figura quam in alia, vel quia sunt plures gradus intensionis in vno figurato quam in alio; At hoc posterius ne fingi quidem potest, & vt perspicuum accipio: per essentiam autem impossibile est vt intendatur; nullo igitur modo suscipit magis & minus. Hæc autem ratio in calore & frigore, alijsque qualitatibus, æquè valida esset ad probandum eas non suscipere magis aut minus, si de illis verè dici ac concedi posset, sicut de figura, quod in suis subiectis non habent gradus accidentales essentiæ superadditos.

Hoc verò neque de calore, neque de frigore, neque de vllo accidente quod suscipit magis & minus dici, potest.

Tertia proprietas est *quòd secundum qualitates res dicuntur similes aut dissimiles*. Et hoc quidem ex ipsa qualitatis essentia emanat, eique quarto modo proprium est. Sed hoc ita explicandum est vt de æqualitate & inæqualitate dictum est in cap. de quantitate. Nam *formaliter* quidem ex similitudine (quæ est relatio non qualitas) res di- Dub. cuntur similes, & ex dissimilitudine dissimiles, sed *causaliter* ex qualitate sola res dicuntur similes ac dissimiles, cum qualitas sola sit fun- Sol. damentum vnde similitudo omnis oriatur.

Quod si quis dicat hominem & brutum in hoc similia esse, quod

vtrum-

vtrumque sit animal: aut vtrumque quantum, aut vtrumque viuens? Similitudo ista *proprie* non est, nec similia in animali aut viuente, sed eadem genere dicenda sunt, & per quantitates æquales aut inæquales appellanda sunt. Hic autem Arist. de similitudine ac dissimilitudine *propriè* ac stricte loquitur, quæ definitur esse *conuenientia duorum in vna qualitate, aut rerum diuersarum eadem qualitas*: & dissimilitudo est *rerum diuersarum diuersa qualitas*.

Hæc de proprietatibus qualitatis dicta sunt. Superest nunc series, in qua explicanda multò maior difficultas est. Occurrunt enim res non solum propter multitudinem immensæ, sed propter spinosas quæstiones valdè obscuræ; aggrediamur tamen, & si possimus, lucem eis afferamus.

Quatuor species Qualitatis

Aristoteles ponit 4. species Qualitatis: illa sunt *Habitus & dispositio, Naturalis potentia & impotentia: passio & passibilis qualitas: forma & figura.* Quæ diuisio omninò amplectenda est. Neque vllo modo audiendus est, vel Timpl. qui lib. 5. Metap. ca. 3. q 4. *reiecta hac Arist. diuisione, aliam approbat traditque, quam esse meliorem & perfectiorem iactat*: vel Picol. qui lib. 2. de princ. virt. ca. 8. duas primas species, *Habitum* nempe, & *naturalem potentiam*, è qualitatum numero ac serie expungit. Facile esset illorum ratiunculas refellere, si esset operæ pretium: verùm novitate ista repudiata, nefas ducimus, ab hac antiqua ac trita semita philosophorum recedere, ideo Arist. vestigijs insistentes, diuisionem ipsius paululum explanemus. Possunt autem hæ 4. species ita ad bimembrem diuisionem reuocari, ex qua quomodo vnaquæque ab alia differt intelligi potest.

Quomodo 4. species qualitatis inter se distinguantur.

- *Qualitas* omnis vel est,
  - *Insensibilis, quæ sensui passionē non infert,* & hæc est duplex:
    - *Innata, quæ ab ipsa natura & essentia rei cui primo conuenit promanat, ideoque ab eo tolli non potest*; & hæc est secunda species quæ apte vocatur *naturalis potentia & impotentia.*
    - *Illata aliundè, nec a natura rei cui conuenit promanans, ideoque removeri potest*; & hæc est prima species *Habitus & dispositio.*
  - *Sensibilis, quæ sensui passionē infert*, idq; vel
    - *Vt obiectum proprium alicuius sensus*, & hæc est tertia species quæ vocatur *Passio. & patibilis qualitas.*
    - *Vt obiectum commune plurium sensuum*, estque quarta species quæ vocatur *Forma & figura.*

Hinc facile distinguas vnamquamque speciem Qualitatis ab alijs.

Illud

Illud verò de omnibus observandum, quod etsi singulæ species duobus nominibus insigniantur, vt 1. per *habitum & dispositionem*, 2. per *potentiam naturalem ac impotentiam*, & ita in reliquis: tamen per istas, non duæ, sed vna tantum species semper notatur, & sunt *complexa voce tantum, non re*, sicut *Corpus animatum*, & *Quantitas continua*, & similia quàm multa. Quod ex singularum tractatione ac consideratione quam nunc attexemus, liquebit. Eas verò ordine percurremus, incipientes cum Arist. ab *Habitu & dispositione*. De hac verò specie tria explicanda sunt: Primo, *quid per nomen habitus, itemque dispositionis, hic notetur*. Secundo, *quomodo inter se differant habitus & dispositio, & quomodo definiantur*. Tertio, *quæ sit habituum series, aut quæ qualitates sub hac prima specie comprehendantur*.

Habitus sumitur tripliciter:
- Primo, *pro accidente quovis positivo, cui privatio opponitur*, Sic vita, visus, auditus, *habitus* sunt, quorum *privationes* sunt, mors, cæcitas, surditas.
- Secundo, *pro accidente illo quo quis habituari aut vestiri dicitur*. Estque decimum prædicamentum, quod dicitur *Habitus*. — *Acceptiones Habitus.*
- Tertio, *pro qualitate insensibili, & illata extrinsecus, non innata subiecto, quæ firmiter suo subiecto inhæret*, vt scientia, virtus, vitium.

Habitus *vt primo modo accipitur*, non est vnum aliquod genus entis, ideoque non in prædicamento, sed postprædicamentis tractatur, nec potest esse prima hæc species, quia visus & omnes sensus sunt habitus in eo sensu, & tamen sunt in secunda non in prima specie Qualitatis. Habitus vt *sumitur secundo modo* est summum Genus, non igitur vllius generis, nedum qualitatis species. *In tertia igitur acceptione*, Habitus hic sumitur, et pro specie qualitatis censenda est.

Dicitur autem *Habitus, quia eum in quo inest, reddit habilem & aptum ad perficiendum ea opera atque actiones, quæ illo habitu præstari solent*. — *Habitus quare dicatur.*

Vt ex Grammaticâ, habilis quis fit ad loquendum congruè, ex Logicâ ad arguendum rectè, quare *habitus* idem est quod *habilitas*.

Dispositionis acceptiones.

Dispositio sumitur multipliciter.

Generaliter, pro omni qualitate insensibili & illata extrinsecus, per quam subiectum disponitur ad agendum aliquid quomodocunque, sive facile, sive difficulter, sive constanter, sive inconstanter, sive sit facilè mobilis a subiecto, sive difficulter; atque hoc sensu omnis habitus dispositio dici potest: & sic vocatur ab Arist. hoc cap. num. 6. quia ex habitu disponitur homo ad agendum aliquid facile, & cum constantia.

Specialiter pro illa solum qualitate insensibili, & illata, non innata, qua subiectum disponitur quidem ad agendum aliquid leviter, cum difficultate, & inconstantia, adeo vt facile amitti ac deperdi possit illa dispositio. Sic cum quis leviter tinctus est literis, Grammatica aut alia arte, dicitur dispositionem habere ad agendum ea quæ arte illa docentur, non dum autem habere habitum; & hoc sensu nullus *habitus*, *dispositio* dici potest.

Dispositio in genere quid.

Si nomen Dispositionis capiatur *in primo sensu*, est idem omninò quod qualitas primæ speciei: definiturque *esse qualitas insensibilis, non innata, sed illata extrinsecus, per quam subiectum cui inest, disponitur aut habile sit ad aliquid agendum: & completitur* sub se tam *habitum* quam *dispositionem specialiter acceptam*. Si dispositio *sumatur in secundo sensu*, cum differt ab habitu, quia habitus constantius, ac firmius inhæret, dispositio levius: Ex habitu redditur quis aptus ad aliquid facile agendum; Ex dispositione aptus est solum cum difficultate facere.

Dispositio Specialiter accepta quid.

Quare dispositio sic accepta ita describitur, *Est qualitas insensibilis, non innata, sed illata extrinsecus, per quam subiectum disponitur leviter, ad aliquid agendum, & cum difficultate, quæque facilè removetur a subiecto.* Habitus autem ita describitur, *Est qualitas insensibilis, non innata, sed illata extrinsecus, per quam subiectum redditur aptum ac habile ad aliquid agendum, idque cum facilitate, quæque difficulter amitti ac deperdi potest.*

Dub.

At Arist. 7. Phys. ca. 3. ait *Habitus, virtutes ac vitia, esse relata*, non igitur qualitates sunt, nec in hoc, sed relatorum prædicamento locandi.

Sol.

Relata vocat, & sunt quidem, sed *relata secundum dici*, quæ ex naturâ sua absoluta sunt; *non secundum esse* quæ sola in illo prædicamento Relationis ponuntur. Neque vllo modo est audiendus Zabar. lib. de Spec. intell. cap. 8. vbi ait, *Habitum & notare naturam absolutam, & simul essentialiter respectum concrete*. Nam contradictionem planè implicat, vt vnum idemque sit, secundum essentiam absolutam, & secundum essentiam relativam. Quod si detur, certè esset in duobus distinctis prædicamentis; & duas distinctas essentias haberet. Quæ vtraque absurda sunt & adversantur Arist. tum in secunda regula Anteprædi-

teprædicamentali, tum in 6. Top. ca. 4. nu. 2.

Arist. ca. de qualitate num. 4. ponit *calorem & frigus in hac prima* Dub.
specie, at illa sunt qualitates sensibiles; male ergo dispositio & habitus definiuntur esse qualitates insensibiles.

Sæpe dixi, Arist. hæc tractare pingui minerva, ideoque in illius ex- Sol.
emplis *veritatem non semper quærendam esse sed illustrationem*. Et quidem, vt calor & frigus facile removentur; ita dispositiones: verè tamen calor & frigus, nec *habitus* nec *dispositiones* sunt, neque in prima sed in tertia specie collocanda. Nam quod ait Zabar. loco nuper citato, *habitus posse in duabus speciebus Qualitatis locari, nempe in prima & secunda*, id tam alienum est a ratione, & Arist. quam quod ibidem dixit, *idem esse naturæ sua & respectivum & absolutum*.

Sed quare non additur in definitione habitus, quod ex *multis actio-* Dub.
nibus generetur, præcipue cum id vulgò in habituum definitione ponatur; et Arist. lib. 2: Eth. ca. 1. *habitum omnem ex similibus actionibus sæpe frequentatis generari dicat*.

Responsio facilis est. Habitus aliqui *infusi sunt divinitus* in mentes Sol.
hominum, & nullis nostris actionibus, aut labore comparati; tales erant habitus omnes virtutum, & scientiarum quibus Adamus cum primum creabatur ornatissimus fuit atque instructissimus: tales etiam illi habitus scientiarum quibus Apostoli divinitus inspirati fuerunt; tales sunt illi a scholasticis *Infusi habitus* dicti, *Fides, Spes*, & *Charitas*. Cum ergo tam multi habitus sint, qui non ex actionibus frequentatis generantur, sed sine vllo labore aut operatione nostra infunduntur, non debuit habitus, qui vtrosque complectitur, sic definiri, quod ex crebris actionibus oriatur, tum enim ex habituum numero excluderentur omnes habitus *infusi*. Alij habitus *Acquisiti* sunt, & de his Arist. solum loquitur loco citato, & illis quidem id convenit, *quod generantur ex frequentatione similium operationum*. Habitus autem vtrisque his, tam *infusis* quam *acquisitis* communis, per ea solum definitur, quæ vtrisque conueniunt, & ea sunt, quæ in definitione supra posita afferuntur.

At ne in *Acquisitis habitibus* id verũ videtur, quod ex frequentibus Dub.
actionibus generentur. Nam scientia, quæ est habitus acquisitus, vnica demonstratione comparatur, & ex vna actione adulterii, aut homicidii, vere quis adulter, & homicida denominatur, quæ sunt nomina habitum notantia.

Dicendum est, non requiri ad habitum acquisitum vt generetur ex Sol.
actionibus *similibus omnino in specie* cum illis qui ex habitu prodeunt: Satis est si actiones *similes in genere præcedant*, modò illæ sint præviæ dispositiones ad habitum, & actus qui ex habitu fiunt. Sic ante vllam demonstrationem quam quis formare potest, oportet multiplicem rerum, & logicæ præsertim cognitionem præcedere, quæ præparet animum ad intelligendum vim & efficaciam illius demonstrationis, per quam scientiam acquirit. Ita de Intemperantia sentiendum. Ante